


HERODOTI HISTORIARUM LIBRI IX. PROF. DR. DARCY CARVALHO. FEA USP. SÃO PAULO. BRAZIL. STUDIES IN MEDIEVAL AND MODERN LATIN. LATIN TRANSLATIONS OF GREEK AUTHORS.

HERODOTI HISTORIARUM LIBRI IX RECOGNOVIT GULIELMUS DINDORFIUS PARISIIS. EDITORE AMBROSIO FIRMIN DIDOT, INSTITUTI IMPERIALIS FRANCIAE TYPOGRAPHO, VIA JACOB, 56. 1858. TABLE OF CONTENTS:

HERODOTI HISTORIARUM LIBER PRIMUS. (CLIO.)

Herodotus Halicarnassus, quae quum caeteris de rebus, tum de caussa bellorum Graecos inter Barbarosque gestorum, perquirendo cognovit, ea his libris consignata in publicum edit; ne, quae ab hominibus gesta sunt, progressu temporis oblivione deleantur, neve praeclara mirabiliaque facta, quae vel a Graecis edita sunt vel a Barbaris, sua laude fraudentur.

I. Jam Persarum quidem literatos si audias, inimicitiarum primi auctores Phoenices fuere. Hos enim, aiunt, postquam a mari quod Rubrum vocatur ad hoc nostrum mare advenissent, hancque regionem quam etiam nunc incolunt, coepissent habitare, continuo navigationibus longinquis dedisse operam, et transvehendis mercibus aegyptiis Assyriisque quum alias Graeciae partes; tum vero et Argos adiisse. (2) Argos enim illis temporibus inter alia ejus regionis oppida, quae Graecia nunc nominatur, rebus omnibus eminebat. Ad Argos igitur hoc postquam adpulissent

Phoenices, ibique merces suas venum exposuissent, (3) quinto aut sexto ab adventu die, divenditis fere rebus omnibus, mulieres ad mare venisse, quum alias multas, tum vero et regis filiam, quam quidem eodem nomine Persae adpellant atque Graeci, Io Inachi. (4) Quae dum ad puppim navis stantes mercarentur merces quae illarum maxime animos advertissent, Phoenices interim mutuo sese cohortatos impetum in illas fecisse: et majorem quidem mulierum numerum profugisse, Io vero cum aliis fuisse raptam: quibus in navem impositis, soluta navi Phoenices aegyptum versus vela fecisse.

II. Hac quidem ratione in aegyptum pervenisse Io aiunt Persae, secus atque Graeci, idque primum fuisse injuriarum initium. Deinde vero Graecos nonnullos, quorum nomina non possunt memorare, (fuerint hi autem Cretenses,) Tyrum in Phoenice aiunt adpulisse, filiamque regis rapuisse Europam; (2) ac sic quidem par pari fuisse ab his repensum. Post haec autem Graecos secundae injuriae fuisse auctores: etenim longa navi aeam, Colchidis oppidum, et ad Phasin flumen profectos, perfectis caeteris rebus quarum caussa advenissent, rapuisse inde regis filiam Medeam; (3) quumque ad poenas raptus hujus repetendas et ad reposcendam filiam caduceatorem in Graeciam misisset Colchus, respondisse Graecos, quemadmodum illi de raptu Argivae Ius sibi non dedissent poenas, sic ne se quidem illis daturos.

III. Tum deinde, proxima aetate, Alexandrum Priami filium, quum ista audivisset, cupidinem incessisse uxoris sibi e Graecia per rapinam comparandae; existimantem utique se non daturum poenas, quoniam nec illi dedissent. (2) Ita quum is rapuisset Helenam, visum esse Graecis primum missis nunciis Helenam repetere et poenas de raptu poscere: (3) illos vero hisce, postulata sua exponentibus, raptum exprobrasse Medeae, ut qui, quum ipsi nec poenas dedissent, nec illam reposcentibus reddidissent, vellent ab aliis poenas sibi dari.

IV. Hucusque igitur mutuis solum rapinis esse actum: ab illo vero tempore Graecos utique graviorum injuriarum exstitisse auctores; hos enim priores Asiae coepisse bellum inferre, quam Persae intulissent Europae. (2) Et mulieres quidem rapere, videri sibi aiunt iniquorum esse hominum; raptarum vero ultionem tanto studio persequi, amentium; contra, nullam raptarum curam habere, prudentium: quippe manifestum esse, nisi ipsae voluissent, non futurum fuisse ut raperentur. (3) Itaque se quidem, Asiam incolentes, aiunt Persae, raptarum mulierum nullam habuisse rationem; Graecos autem mulieris Laconicae caussa ingentem contraxisse classem, et mox in Asiam profectos Priami regnum evertisse: (4) ab eo tempore se constanter Graeciae populos sibi esse inimicos existimasse. Nam Asiam et barbaras gentes eam incolentes ad se pertinere autumant Persae; Europam vero et Graecos nihil secum commune habere.

V. Hunc in modum Persae quidem gestas res esse memorant, et ab Ilii excidio repetunt inimicitiarum suarum adversus Graecos initium. (2) De Io vero cum Persis non consentiunt Phoenices rem isto modo esse gestam. Negant enim se raptu usos illam in aegyptum abduxisse: sed Argis eam cum nauclero aiunt concubuisse, et quum se gravidam sensisset, veritam parentum iram, sic volentem ipsam cum Phoenicibus enavigasse, ne comperta foret. (3) Haec sunt igitur quae partim a Persis, partim a Phoenicibus memorantur. Ego vero, utrum tali modo haec gesta sint, an alio, non adgredior disceptare: sed, quem ipse novi primum fuisse injuriarum

Graecis illatarum auctorem, hunc ubi indicavero, tunc ad reliqua exponenda progrediar, perinde et parvarum civitatum et magnarum res persecuturus. (4) Etenim quae olim fuerant magnae, earum plurimae parvae factae sunt: et quae nostra memoria magnae fuere, eaedem prius exiguae fuerant. Itaque, bene gnarus humanam felicitatem nequaquam in eodem fastigio manere, perinde utrarumque faciam mentionem.

VI. Croesus, genere Lydus, Alyattis filius, rex fuit populorum intra Halyn fluvium incolentium; quod flumen, a meridie Syros inter et Paphlagonas interfluens, ad septentrionem in Euxinum qui vocatur Pontum se exonerat. (2) Hic Croesus e barbaris, quos novimus, primus alios Graecorum imperio suo subjecit et ad tributum pendendum adegit, alios sibi socios et amicos adjunxit. Subegit Ionas et aeoles et Dorienses Asiam incolentes; amicos autem sibi conciliavit Lacedaemonios. (3) Ante Croesi vero imperium Graeci omnes liberi fuerunt: nam Cimmeriorum expeditio adversus Ioniam, ante Croesi aetatem suscepta, non oppidorum fuerat redactio in potestatem, sed rapina ex incursione.

VII. Caeterum regnum illud, quum Heraclidarum antea fuisset, ad Croesi genus, qui Mermnadae nominabantur, tali modo pervenerat. (2) Candaules, quem Graeci Myrsilum vocant, Sardium fuit rex, ab Alcaeo oriundus, Herculis filio. (3) Nam Agron, Nini filius, Beli nepos, Alcaei pronepos, primus ex Heraclidis rex fuerat Sardium; Candaules vero, Myrsi filius, postremus. Qui vero ante Agronem in eadem regione regnaverant, a Lydo Atyis filio erant oriundi, a quo universus populus Lydorum nomen invenit, quum prius Maeones fuissent nominati. (4) Ab his priscis regibus commissum sibi regnum ex oraculi edicto obtinuerunt Heraclidae, Iardani ancilla et Hercule prognati; regnantes, per duas et viginti virorum generationes, annos quinque et quingentos, continua serie filius patri succedens usque ad Candaulen Myrsi filium.

VIII. Hic igitur Candaules uxoris suae amore tenebatur, eamque deperiens arbitrabatur esse sibi uxorem mulierum omnium formosissimam. Quod quum ei esset persuasum, apud Gygen Dascyli filium, unum e corporis custodibus, quem maxime acceptum habebat, ut de rebus etiam gravissimis cum eo communicabat, ita formae laudem uxoris supra modum extulit. (2) Nec multo post (erat enim in fatis ut infortunatus esset Candaules) his verbis Gygen est adlocutus: «Gyge, videris tu mihi de forma uxoris meae verba facienti fidem non adhibere; auribus enim minus fidere amant homines quam oculis: fac igitur ut nudam illam spectes.» (3) At ille, vehementer exclamans, «Domine, inquit, quemnam sermonem haudquaquam sanum profers, jubens me heram meam nudam spectare! Mulier enim tunicam exuens, simul etiam verecundiam exuit. (4) Jam olim vero honestatis praecepta inventa sunt ab hominibus, a quibus discere oportet: quorum unum hoc est, Sua quemque debere inspicere. Ego vero persuasum habeo esse illam mulierum omnium pulcerrimam; teque oro, ne postules illicita.»

IX. His usus verbis repugnavit Gyges, veritus ne quid sibi ex ea re mali accideret. Cui rex vicissim, «Confide, inquit, Gyge; neque aut me time, quasi te tentaturus utar hoc sermone, aut uxorem meam, ne quid tibi ex illa detrimenti creetur. Omnino enim eam rationem equidem inibo, ut illa ne intellectura sit quidem, esse se a te conspectam. (2) Te enim post apertam januam cubiculi, in quo cubamus, collocabo. Postquam ego ero ingressus, aderit et uxor mea in cubiculum: posita

est autem prope introitum sella, in qua illa vestes suas, aliam post aliam exuens, deponet: ibi tunc licuerit tibi multo cum otio eam spectare. (3) Deinde, quum e sella in lectum conscendet et tu a tergo ejus eris, reliquum est ut tu cures ne illa te conspiciat foras exeuntem.»[TR1]

X. Igitur Gyges, quum effugere non posset, paratus fuit: quem Candaules, postquam cubandi tempus visum est adesse, in cubiculum introduxit; pauloque post uxor etiam adfuit. (2) Ingressam et vestimenta ponentem Gyges quum spectasset, mox ubi aversa illa in lectum se contulit, clam ipse foras se subduxit: at egredientem conspicata est mulier. (3) Quae ut intellexit quid a marito actum esset, neque exclamavit, pudore retenta, et se animadvertisse dissimulavit, in animo habens ultionem capere de Candaule. Apud Lydos enim, ac fere apud caeteros quoque barbaros, etiam viro magnum in probrum vertitur nudum conspici.

XI. Itaque tunc quidem nihil aperiens, silentium tenuit illa: simulac vero illuxit, praesto esse jussis famulis quos maxime fidos sibi cognoverat, Gygen ad se vocavit. (2) Et ille, nihil eam nosse ratus eorum quae gesta essent, arcessitus venit; quippe et antea solitus, quoties regina vocaret, eam convenire. (3) Ut venit, his verbis eum adlocuta est mulier: Gyge, «nunc duarum viarum tibi apertarum optionem concedo utram ingredi volueris: aut enim, interfecto Candaule, et me et regnum Lydorum habeto; aut te ipsum protinus sic mori oportet, ne posthac, Candaulae in omnibus obsequens, spectes quae te spectare nefas est. Enimvero aut illum, qui ista molitus est, interire oportet, aut te, qui nudam me es conspicatus et illicita fecisti.» (4) Ad haec verba Gyges primum stupere, tum deinde obsecrare illam ne se necessitati illigaret dijudicandae talis optionis. Nec vero ei persuasit; sed vidit necessitatem utique sibi propositam aut perdendi herum aut per alios pereundi. Elegit itaque ut ipse superesset: (5) et illam percontans, «Quandoquidem invitum me, inquit, adigis ad herum meum occidendum, age audiam ecquo illum modo adgressuri simus?» Et illa excipiens, «Ex eodem loco, inquit, adoriendus erit, unde ille nudam me tibi ostendit: in sopitum somno impetus fiet.»

XII. Ita quum de faciendis insidiis inter se constituissent, ingruente nocte Gyges (nec enim dimittebatur, neque ullum ei effugium erat, sed aut ipsum interire oportebat aut Candaulen) secutus est mulierem in cubiculum; ubi eum illa, tradito pugione, post eandem januam occultavit.[TR2] (2) Deinde quiescente Candaule leniter accessit; illoque obtruncato et uxorem et regnum obtinuit Gyges: cujus etiam Archilochus Parius, qui eadem vixit aetate, in iambis trimetris meminit.

XIII. Obtinuit autem regnum in eoque confirmatus est ex Delphici oraculi effato. Nam quum indigne ferrent Lydi casum Candaulae, essentque in armis, convenit inter Gygae factionem et reliquos Lydos, ut, si respondisset oraculum hunc esse regem Lydorum, ipse regnaret; sin minus, Heraclidis restitueret regnum. (2) Edito igitur secundum eum oraculo, Gyges ita regnum obtinuit. Verumtamen hoc simul edixerat Pythia, ultionem venturam esse Heraclidis in quintum ex posteris Gygae: quod quidem vaticinium nec Lydi nec eorum reges ullius momenti fecerunt, donec exitu comprobatum est.

XIV. Tali igitur modo ad Mermnadas pervenit Lydiae regnum, Heraclidis ereptum. Gyges autem, regnum adeptus, Delphos donaria misit non pauca. Et argentea quidem donaria ejus maximo numero Delphis exstant: praeter argentum vero, auri etiam immensam vim dedicavit, quum aliarum rerum, tum vero (quod praecipue memoratu dignum) crateres aurei numero sex ab eodem dedicati exstant, (2) pondere triginta talentorum [aureorum, quae hodie fuerint 2,106,00 librae. LARCH.], repositi in Corinthiorum thesauro; qui quidem thesaurus, vere ut dicam, non publicus civitatis Corinthiorum est, sed Cypseli, Eetionis filii. (3) Est autem hic Gyges barbarorum quos novimus primus qui donaria Delphis dedicavit post Midam Gordiae filium, Phrygiae regem. Dedicaverat enim Midas quoque regiam sellam, in qua praesidens jus dicere consueverat, spectatu dignam; positaque est haec sella ibidem ubi Gygae crateres. (4) Aurum vero istud et argentum, quod a Gyge dedicatum est, Gygadas [id est Gygaeum] vocatur a Delphensibus de illius nomine qui dedicavit. (5) Hic quoque, postquam regno est potitus, arma intulit Mileto et Smyrnae, et Colophonis urbem cepit: caeterum, quum per octo et triginta, quos regnavit, annos nihil aliud memorabile ab eodem gestum sit, hisce commemoratis, missum hunc faciemus.

XV. Ardyis vero, Gygae filii, qui post illum regnavit, mentionem injiciam. Hic Prienenses expugnavit, et Miletum invasit: eodemque regnum Sardium obtinente, Cimmerii suis sedibus a Scythis nomadibus pulsi in Asiam venerunt, Sardesque praeter arcem ceperunt.

XVI. Ardys postquam undequinquaginta annos regnarat, successorem habuit filium Sadyatten, qui annos regnavit duodecim. Sadyattae successit Alyattes; qui cum Cyaxare, Deiocae nepote, et cum Medis bellum gessit. Idem Cimmerios ex Asia ejecit; et Smyrnam, Colophoniorum coloniam, cepit; et Clazomenas invasit: quo quidem ab oppido non ita ut voluerat discessit, sed cladem haud mediocrem passus. Verum et alias res, dum regnum tenuit, gessit; quarum memoratu dignissimae hae sunt.

XVII. Bellum gessit cum Milesiis, a patre traditum. Oppugnabat igitur incursione facta Miletum tali modo: (2) quando terrae fruges adultae erant, tunc exercitum in regionem immittebat, expeditionem faciens ad cantum fistularum fidiumque, ac tibiae tam muliebris quam virilis. Ubi vero in fines Milesiorum pervenerat, aedificia in agris nec diruebat nec incendebat, neque fores abstrahebat, sed intacta stare omnia sinebat; verum arbores et terrae fruges ut corruperat, domum se recipiebat: quum enim mare obtinerent Milesii, nil attinebat circumsedere urbem cum exercitu. (3) aedificia autem non diruebat Lydus hoc consilio, ut possent inde progressi Milesii terram serere colereque, ipse vero, quum illi terram colerent, haberet quod incursione facta popularetur.

XVIII. Hoc illo modo bellum gerebat, per undecim annos; intra quos duo ingentia vulnera Milesii accepere, unum praelio ad Limeneum in ipsorum finibus commisso, alterum in Maeandri campo. (2) Horum undecim annorum sex adhuc Sadyattes, Ardyis filius, apud Lydos regnaverat, qui aetate illa cum exercitu fines Milesiorum incursavit; Sadyattes enim hic conflaverat id bellum: quinque vero insequentibus annis Alyattes, Sadyattae filius, bellum gerebat, qui illud, a patre (ut supra etiam memoravi) sibi traditum, intente persecutus est. (3) Quo in bello nulli ex Ionibus

sublevarunt Milesios, praeterquam Chii soli: hi autem, opem illis ferentes, vicem rependerunt; nam et Milesii antea Chiis, in bello cum Erythraeis, sociam praestiterant operam.

XIX. Sed anno duodecimo, dum succendebantur ab exercitu segetes, hoc rei accidit. Simulatque incensae segetes erant, valido coorto vento Minervae templum cognomine Assesiae corripuit flamma, eoque incendio templum conflagravit. Quae res principio nullius momenti est habita, deinde vero, simul Sardes redierat exercitus, in morbum Alyattes incidit. (2) Diuturnior quum esset morbus, Delphos misit qui deum de valitudine consulerent, sive alieno consilio ad mittendum inductus, sive suo. Hi quum Delphos venissent, negavit Pythia se responsum eis reddituram priusquam Minervae templum restituissent, quod Assesi in Milesiorum agro cremassent.

XX. Haec ita acta esse equidem ex Delphensibus auditu cognovi: sed Milesii istis hoc adjiciunt, Periandrum Cypseli filium, quum audivisset oraculum Alyattae redditum, ea de re Thrasybulum, Milesiorum tunc temporis tyrannum, hospitio et amicitia sibi inprimis conjunctum, misso nuncio fecisse certiorem; quo ille, re ante cognita, consilium aliquod ad rem pertinens caperet. Ita quidem Milesii rem gestam narrant.

XXI. Alyattes vero, nunciato Pythiae responso, praeconem protinus Miletum misit, inducias cum Thrasybulo et Milesiis ad tempus pacturus dum templum aedificaret. (2) Miletum dum se confert legatus, Thrasybulus de tota re liquido antea certior factus, nec ignarus quid moliretur Alyattes, haec machinatur. (3) Quidquid frumenti in urbe erat, tam suum, quam privatorum, id omne in forum comportari jussit, praedixitque Milesiis, ut ubi signum ipse dedisset, tunc compotationes comessationesque mutuas cuncti instituerent.

XXII. Id fecit praedixitque Thrasybulus hoc consilio, ut Sardianus legatus, postquam ingentem frumenti acervum in foro profusum et homines vidisset oblectationibus vacantes, Alyattae rem renunciaret. (2) Quod et factum: nam postquam ista vidit caduceator, expositisque Thrasybulo Lydi mandatis domum rediit, nullam aliam ob caussam (ut ego audio) pax composita est. (3) Quum enim existimasset Alyattes vehementem frumenti penuriam Mileti esse, populumque ad extremum malorum esse redactum et fere contritum, audivit ex caduceatore Mileto domum redeunte contraria eorum quae erat opinatus. (4) Inde paullo post pax inter illos conciliata est hac lege, ut mutuo hospites essent sociique: et pro uno Minervae templo ad Assesum duo aedificavit Alyattes, ipseque e morbo convaluit. Haec igitur ratio exitusque belli fuit, quod Alyattes cum Milesiis et Thrasybulo gessit.

XXIII. Periander vero Cypseli filius erat, is qui Thrasybulum de edito oraculo certiorem fecit, et Corinthi tyrannus: cui maximum in vita oblatum fuisse miraculum narrant Corinthii, hisque Lesbii adsentiuntur; scilicet Arionem Methymnaeum delphino insidentem ad Taenaron fuisse delatum. Citharoedus is erat, nulli suae aetatis secundus; primusque hominum, quos novimus, dithyrambum et fecit et nominavit docuitque Corinthi.

XXIV. Hunc Arionem aiunt, postquam plurimum temporis apud Periandrum esset versatus, in Italiam Siciliamque cupivisse navigare; ingentique pecunia ibi comparata, voluisse Corinthum reverti. Igitur quum Tarento esset profecturus, nec ullis magis quam Corinthiis fidem haberet, navigium conduxisse hominum Corinthiorum: (2) at hos, ubi altum tenuere, consilium agitasse de illo in mare projiciendo, quo pecunia potirentur. Tum illum, quid ageretur intelligentem, ad preces confugisse; et, pecunia omni nautis oblata, vitam esse deprecatum: (3) nautas vero, precibus viri nil commotos, jussisse ut aut sibi manus inferret, quo in terra sepulturam nancisceretur, aut ut illico in mare se projiceret. (4) Has in angustias et consilii inopiam redactum Arionem orasse, ut, quandoquidem ita eis placitum esset, sinerent se omni ornatu suo indutum, in summo puppis foro stantem, canticum canere; quo facto pollicebatur sibi se manus illaturum. (5) Tunc nautas, cupidine captos audiendi praestantissimi omnium cantoris, e puppi mediam in navem concessisse; et illum, omni ornatu indutum, capta cithara, in summo navis foro stantem, carmen quod orthion vocatur peregisse; peractoque cantu, ita ut erat, cum omni ornatu in mare se conjecisse. (6) Tum illos, continuato cursu, Corinthum navigasse: hunc vero, aiunt, a delphino exceptum dorso, Taenaron fuisse delatum; ubi quum in terram esset egressus, Corinthum inde eodem habitu perrexisse, ibique quid accidisset enarrasse. (7) Periandrum vero, quum fidem non haberet, tenuisse Arionem in custodia, ne quo prodiret, caeterum curam intendisse in nautas. Nautae ut Corinthum advenerunt, accitos ad se percontatum esse Periandrum, ecquid de Arione memorarent: (8) quibus dicentibus salvum illum in Italia esse, et fortunatum Tarenti a se relictum, adparuisse Arionem eodem cultu quo in mare prosiluerat; et illos, perterritos convictosque, non potuisse amplius ire infitias. (9) Haec quidem et Corinthii narrant et Lesbii; et exstat Taenari donarium Arionis aeneum, non magnum illud quidem, homo insidens delphino.

XXV. Alyattes Lydus, confecto cum Milesiis bello, deinde, quum septem et quinquaginta annos regnasset, vita excessit. Dedicavit autem hic, secundus ex hac familia, postquam e morbo convaluerat, Delphis craterem argenteum ingentem, et basin crateris ferream ferruminatam, spectatu dignam inter omnia quae sunt Delphis donaria; Glauci Chii opus, qui unus hominum omnium ferruminationem ferri invenit.

XXVI. Mortuo Alyattae successit in regnum Croesus, Alyattae filius, annos natus quinque et triginta: qui Graecorum primos Ephesios armis invasit. (2) Ibi tunc Ephesii, quum ab eo obsiderentur, urbem suam Dianae dedicarunt, fune ex illius templo ad murum adligato: est autem inter veterem urbem, quae tunc obsidebatur, et Dianae templum septem stadiorum intervallum. (3) Hos igitur primos adgressus est Croesus; deinde vero, per vices, singulos quoque Ioniae et aeoliae populos, aliis alias caussas inferens, graviora caussatus adversus hos in quibus graviores reperire caussas poterat, nonnullis etiam eorum levia admodum exprobrans.

XXVII. Deinde, postquam Asiam incolentes Graeci ad pendendum tributum erant subacti, constituit aedificatis navibus insulanos adgredi. (2) Ad quas compingendas quum omnia ei essent parata, aiunt alii Biantem Prienensem, quum Sardes venisset, alii Pittacum Mytilenaeum, interrogatum a Croeso ecquid maxime novi gereretur apud Graecos, ea respondisse quae illum ne classem conficeret inhibuerunt. Dixisse enim: «Insulani, o rex, decem milia equitum conducunt, expeditionem adversus Sardes atque te molientes.» (3) Croesum autem, ratum vera eum dicere, respondisse: «Utinam dii hanc mentem dent insulanis, ut Lydorum filios cum equitatu invadere velint!» (4) Tum illum excipientem dixisse: «Videris mihi, rex, cupide vota

facere ut insulanos equis vectos deprehendas in continente, haud absurda spe; (5) insulanos vero quid putas, ex quo primum aedificare te contra se classem audiverunt, exoptare aliud, nisi ut, in altum evectos deprehendant Lydos in mari, teque pro Graecis continentem incolentibus, quos tu in servitute contines, ulciscantur?»[TR3] (6) Cujus conclusione orationis admodum delectatum Croesum, paruisse illi, ut qui perapte ad rem locutus videretur, et a fabricanda classe destitisse. Atque ita cum Ionibus insulas incolentibus hospitium contraxit.

XXVIII. Insequente tempore, subactis fere omnibus populis intra Halyn fluvium incolentibus: (nam, exceptis Cilicibus ac Lyciis, caeteros omnes suae potestati subjectos Croesus tenebat; sunt autem populi hi, Phryges, Mysi, Mariandyni, Chalybes, Paphlagones, Thraces quum Thyni, tum Bithyni, Cares, Iones, Dorienses, aeolenses, Pamphyli:)

XXIX. hos igitur postquam sub potestatem suam Croesus redegerat, eaque accessione regnum Lydorum auxerat, adveniebant Sardes, urbem divitiis florentem, quum alii omnes e Graecia viri per illud tempus sapientiae laude clari, ut cuique commodum erat eo proficisci, tum vero etiam Solon, Atheniensis: qui postquam Atheniensibus jussu ipsorum scripserat leges, navi profectus, caussam interserens velle se alias spectare regiones, decem annos peregrinatus est; ne scilicet quampiam ex legibus, quas tulerat, mutare cogeretur. (2) Nam ipsis Atheniensibus per se id facere nefas erat, quippe qui gravissimo jurejurando sese obstrinxerant, per decem annos eis legibus, quascumque ipsis Solon tulisset, esse usuros.

XXX. Hanc ipsam igitur ob caussam, tum vero etiam spectandi gratia, peregre profectus Solon in aegyptum se contulit ad Amasin, atque etiam Sardes ad Croesum. (2) Quo ut advenit, in regia hospitio acceptus est a Croeso. Tum tertio aut quarto post die, jussu Croesi, ministri regis circumduxerunt Solonem, thesauros omnes et quidquid ibi magni et opulenti inerat, ostentantes. (3) Quae quum ille spectasset, et cuncta, ut ei commodum fuerat, esset contemplatus, tali modo eum percunctatus est Croesus: «Hospes Atheniensis, inquit, multa ad nos de te fama manavit, quum sapientiae tuae caussa, tum peregrinationis, ut qui sapientiae studio incumbens multas terras spectandi caussa obieris. Nunc igitur incessit me cupido ex te sciscitandi, ecquem tu adhuc videris omnium hominum beatissimum.» (4) Nempe, quod se ipsum hominum beatissimum esse putaret, idcirco hanc illi quaestionem proposuit. At Solon, nulla usus adsentatione, sed ut res erat respondens, «Ego vero, inquit, beatissimum vidi Tellum Atheniensem.» (5) Quod dictum miratus Croesus, concitate quaerit: «Qua tandem ratione Tellum beatissimum judicas?» Cui ille: «Tellus, inquit, florente civitate, filios habuerat bonos viros honestosque, et illis cunctis prognatos viderat liberos, eosque omnes superstites: idemque, quum re familiari satis lauta, ut apud nos, usus esset, vitae finem habuit splendidissimum; (6) nam in praelio, quod Athenienses adversus finitimos ad Eleusinem commiserunt, postquam fortiter pugnavit, hostemque in fugam vertit, honestissima morte defunctus est; et eodem loco, quo cecidit, publice ab Atheniensibus sepultus est et magnifice honoratus.»

XXXI. Hisce quum Solon, quae de Tello ejusque felicitate copiose exposuit, admonuisset Croesum, interrogare hic instituit, quemnam secundum ab illo vidisset beatissimum; existimans utique secundas certe partes sese laturum. (2) At ille, «Cleobin, inquit, et Bitonem. His enim, genere

Argivis, et victus suppetebat probabilis, et robur corporis erat tale, ut et uterque pariter certaminum praemia abstulerit, et de eisdem haec etiam narretur historia. (3) Quum festus dies ageretur Junonis Argivae, oporteretque omnino matrem horum bigis in templum vehi, nec vero in tempore ex agro adessent boves; tunc juvenes, urgente hora, jugum sibi subeuntes, plaustrum traxerunt quo mater vehebatur, eoque per quadraginta quinque stadia tracto ad templum pervenerunt. (4) Quo facto quum oculos universi coetus in se convertissent, optimus eisdem obtigit vitae exitus; ostenditque in his numen, melius esse hominibus mori, quam vivere. (5) Nam quum circumstantes Argivi laudarent juvenum robur, Argivae vero felicem praedicarent matrem quod tales haberet filios; mater, et facto vehementer gavisa et omine, stans ante simulacrum precata est deam, ut Cleobi et Bitoni filiis suis, qui ipsam magnifice honorassent, id daret quod optimum esset contingere homini. (6) Post hanc precationem, peracto sacrificio, laute epulati juvenes, quum in ipso templo somno se dedissent, non amplius resurrexerunt, sed hoc vitae exitu sunt perfuncti. Eorundem dein imagines, ut qui homines fuissent praestantissimi, fieri curarunt Argivi, Delphisque dedicarunt.»[TR4]

XXXII. Istis igitur secundum felicitatis locum Solon tribuebat. Tum vero subiratus Croesus: «Hospes Atheniensis, ait, nostra vero felicitas adeo abs te in nihilum projicitur, ut ne privatis quidem hominibus aequiparandos nos existimes?» (2) Cui ille: «Croese, inquit, gnarum me numen omne esse invidum et summa imis mutare, interrogas de rebus humanis. In diuturno tempore multa videre est quae quis nolit, atque etiam tolerare multa. Propono enim homini terminum vitae ad septuaginta annos. (3) Hi septuaginta anni constant ex viginti quinque millibus ac ducentis diebus, mense intercalari non posito: sin velis alternos ex illis annis interjecto mense fieri longiores, quo tempestatum vicissitudines justo tempore redeant, menses intercalares per annos septuaginta conficientur triginta quinque, dies autem ex his mensibus mille et quinquaginta. (4) Horum autem dierum omnium, qui in septuaginta annis sunt numero ducenti et quinquaginta supra viginti sex millia, nullus est qui rem prorsus similem, qualis ab alio adducta est, adducat. (5) Itaque, Croese, homo quantus est, fortunae casibus est obnoxius. Jam te quidem ego et opulentum video, et multorum hominum regem; istud vero, quod ex me quaerebas, de te nondum praedicabo priusquam te vita bene defunctum audiero. (6) Neque enim beatior est magnis opibus praeditus, quam is cui in diem victus suppetit, nisi eidem omnibus bonis praedito fortuna concesserit vita bene defungi. Etenim multi homines perquam opulenti, non idcirco beati sunt: multi vero, quibus mediocris res familiaris est, felices. (7) Jam qui admodum dives est, nec tamen beatus, is duabus tantum rebus antecellit felicem; hic vero divitem, multis rebus. Ille ad explendas cupiditates et ad tolerandum magnum aliquod incidens damnum, validior est: hic vero illum superat hisce rebus; damnum quidem et cupiditatem non similiter, atque ille, potest ferre, sed haec incommoda ab illo abigit felicitas; est vero membris integris, prospera fruens valitudine, malorum exsors, laetus liberis, formosus. (8) Quodsi praeterea diem quoque extremum feliciter obierit, hic ille est quem tu quaeris, dignus qui beatus praedicetur. Priusquam vero diem obierit, differendum est, necdum beatus hic nominandus, sed felix. (9) Jam ista simul cuncta ut consequatur homo, id quidem fieri non potest; quemadmodum nulla est terra quae cuncta sibi suppeditet, sed aliud habet, alio indiget; quae vero plurima habet, ea optima est. (10) Nempe eodem modo etiam hominum nemo est omnium, cui uni omnia cumulate adsint, sed alia habet, aliorum autem indiget: qui vero eorum plurima ad vitae usque exitum habuit, ac deinde placide finiit vitam, hic, o rex, me judice, nomine isto praedicari dignus est. Denique in omni re respiciendus finis est, in quem sit res exitura: multos enim deus, postquam felicitatem illis ostendit, funditus dein evertit.»

XXXIII. Haec dicens minime gratum se praebebat Croeso, sed is nullam ejus rationem habens a se dimisit, inscitum admodum esse hominem ratus, qui praesentia bona omittens, finem cujusque rei juberet respicere.

XXXIV. Post Solonis discessum gravis divinitus vindicta Croesum excepit; hac causa, ut conjicere licet, quod se ipsum hominum beatissimum judicaret. Ac statim quidem per quietem oblatum ei somnium est, veritatem indicans malorum quae filio ejus essent eventura. (2) Erant enim Croeso filii duo; alter corporis vitio laborabat, erat enim mutus; alter inter aequales rebus omnibus longe primus: nomen ei erat Atys. Hunc Atyn, Croeso significat somnium, fore ut amittat ferrea cuspide ictum. (3) Expergefactus ille, re secum versata, pertimescens somnium, capit filio uxorem; eumque, quum solitus esset exercitum ducere Lydorum, nusquam porro ad tale munus emittit: jacula vero et hastas, et cujusque generis tela quibus ad bellum utuntur homines, ex virorum habitatione in interiora conclavia congeri jubet, ne quid suspensum in filium suum incidat.

XXXV. Interim dum filius ejus nuptias ageret, advenit Sardes vir calamitate obstrictus, cui manus non erant purae, natione Phryx, regio de genere. (2) Qui quum ad aedes Croesi venisset, orassetque ut ritu patrio expiari sibi contingeret, expiavit eum Croesus: est autem modum expiandi apud Lydos similis ei quo Graeci utuntur. (3) Peractis legitimis, percontatur Croesus hominem, unde veniret, quisve esset, his usus verbis: «Quis tu es, homi, et quonam e Phrygiae loco veniens, ad meos lares supplex te recepisti? et quem virum, quamve foeminam occidisti?» (4) Cui ille respondit: «O rex, Gordiae sum filius, Midae nepos; est autem nomen mihi Adrasto. Fratrem meum occidi invitus, unde ejectus a patre adsum, et rebus omnibus destitutus.» (5) Tum Croesus: «Ex viris amicis, inquit, oriundus es, et ad amicos venisti, ubi nullius rei indigebis quoad apus nos manseris. Istam autem calamitatem quam poteris levissime ferendo, plurimum lucri feceris.» Ita ille in Croesi aedibus vitam agebat.

XXXVI. Per idem tempus in Olympo Mysio aper exstitit mira magnitudine, qui ex illo monte irruens Mysorum arva vastabat; contra quem quum saepe egressi essent Mysi, nihil ei mali inflixerant, sed male ab illo fuerant accepti. (2) Ad extremum venere ad Croesum Mysorum legati, haec dicentes: «Adparuit, o rex, in regione nostra immani magnitudine aper, qui agrestia corrumpit opera; cujus ut potiamur studiosi operam dantes, nihil proficimus. Itaque te nunc oramus, filium tuum et selectos juvenes canesque nobiscum emittas, quo belluam e terra nostra tollamus.» (3) Haec illis precantibus Croesus, recordatus eorum quae per somnum ipsi praedicta erant, ita respondit: «Filii quidem mei nolite amplius facere mentionem: nec enim illum emittere vobiscum possum, est enim novus nuptus, et haec rei ei nunc curae est. (4) Lydorum autem selectam manum et venaticum omne ministerium una mittam; hortaborque exeuntes, ut quam promtissime vobiscum belluam a terra submoveant.»[TR5]

XXXVII. Haec Croesus respondit; quibus quum contenti essent Mysi, intervenit filius, auditis quae Mysi precarentur. (2) Pernegante vero Croeso se filium cum illis missurum, haec inquit ad eum adolescens: «At antehac, o pater, hoc mihi honestissimum et nobilissimum fuit, in bella et in

venationes exeundo gloriam parare: nunc vero utroque horum exclusum me tenes, nulla in me cognita ignavia aut animi dejectione. (3) Nunc ergo quibus oculis me conspici oportet euntem in forum, aut ex foro redeuntem? quis tandem esse videbor civibus? qualis videbor novae nuptae? cui illa viro putabit se connubio esse junctam? Proinde me tu aut sinas venatum exire, aut ratione mihi persuadeas, melius mihi hoc esse quod tu ita facis.»

XXXVIII. Cui respondens Croesus, «Non quod ignaviam, inquit, o fili, aut aliud quidquam parum mihi gratum in te cognoverim, hoc facio; sed quod mihi somnii species per quietem oblata dixit brevis aevi te futurum, quippe ferrea periturum cuspide. Cujus visi caussa et has tuas nuptias maturavi, nec ad ea quae nunc suscipiuntur te emitto, vigilans si quo pacto, dum vivo, periculo te queam subducere. Es enim unicus mihi filius; nam alterum [auribus captum] pro nullo existimo.»

XXXIX. Ibi rursus adolescens: «Ignosco quidem tibi, inquit, pater, quod, quum tale tibi oblatum sit visum, custodiam mei agas: sed, quod tu parum animadvertis, quodve oblitus es in hoc insomnio, id me te monere fas est. (2) Somnium ais tibi dixisse, ferrea cuspide me periturum: at apro quaenam sunt manus, quaeve ferrea cuspis, quam tu timeas? Quodsi enim a dente me periturum dixisset, aut ab alia re simili, tum hoc, quod agis, agere te oporteret; nunc vero a cuspide dixit. Quare, quum non sit nobis cum viris proposita pugna, abire me patere.»

XL. Tum Croesus: «Fili,[TR6] ait, aliquatenus me vincis, sententiam insomnii declarans. Itaque, tamquam a te victus, sententiam muto, et veniam tibi do venatum exeundi.»

XLI. Quibus dictis, Adrastum Phrygem jubet vocari; eumque, ubi adfuit, sic est adlocutus: «Adraste, ego te funesta calamitate obstrictum, quam tibi non exprobro, expiavi, et domum meam recepi, in qua etiam nunc omnium rerum sumtum tibi suppedito. (2) Nunc ergo (debes enim de me, prius de te bene merito, in vicem bene mereri) rogo te ut custos sis filii mei venatum exeuntis, ne qui in itinere cooriantur vobis malefici grassatores in perniciem. Ad haec, tua etiam ipsius interest ut eas ubi splendorem ex rebus gestis possis parare; nam et patrium hoc est tibi, et praeterea robur inest.»

XLII. Cui Adrastus: «Alioquin, inquit, rex, in istud certamen non eram proditurus; neque enim tali adfectum calamitate fas est aequalibus se immiscere fortunatis, neque id ego cupio; atque etiam alias saepe me continui. (2) Nunc vero, quoniam tibi hoc cordi est, cui gratum facere debeo (nam rependenda mihi sunt beneficia tua), paratus sum exsequi mandatum: tuque filium tuum, quem custodire me jubes, rediturum esse incolumem, quod quidem penes custodem fuerit, exspecta.»

XLIII. Haec postquam Croeso ille responderat, proficiscuntur deinde selectis juvenibus stipati canibusque. Ubi ad Olympum montem pervenerunt, indagant belluam, et inventam circumfusi jaculis incessunt. (2) Ibi tum hospes, idem ille qui a caede fuerat purgatus, cui Adrasto nomen, vibrato in aprum jaculo, ab illo quidem aberrat, sed Croesi filium ferit. (3) Atque ita ille, cuspide

ictus, somnii effatum explevit. Quod factum nunciaturus aliquis Croeso cucurrit, veniensque Sardes et pugnam ei et fatum filii indicavit.

XLIV. Croesus, morte filii consternatus, tanto gravius eam tulit, quos is eum occidisset, quem ipse expiaverat a caede. Et calamitatem eam gravissime lamentans, Jovem Expiatorem invocavit, testificans quae ab hospite esset passus; et Larem quoque et Sodalitium invocavit, eumdem deum adpellans. Nempe Larem (sive Focorum praesidem) vocavit, quod, quem hospitem domi suae receperat, eundem imprudens interfectorem filii sui aluisset: Sodalitium vero, quod, quem custodem adjunxisset filio suo, eumdem inimicissimum deprehendisset.

XLV. Post haec Lydi venerunt cadaver ferentes. quos pone sequebatur interfector. Et hic quidem, ubi adfuit, stans ante cadaver tradidit sese Croeso, manus protendens, oransque ut se super cadavere mactaret; non esse sibi vivendum, dicens, qui, post superiorem calamitatem, expiatorem etiam suum perdidisset. (2) Quibus auditis Croesus, tanto licet domestico in luctu, commiseratus tamen Adrastum, dixit illi: «Habeo abs te, hospes, omnem vindictam, quoniam te ipse morte condemnas; nec tu mihi hujus mali auctor es, nisi quatenus invitus illud fecisti, sed deorum nescio quis; qui mihi jam pridem hoc futurum ante significavit.» (3) Croesus igitur filium, prout justum erat, sepeliendum curavit. Adrastus vero, Gordiae filius, Midae nepos, hic idem qui et fratris sui fuerat interfector, et sui expiatoris, ubi silentium fuit hominum circa sepulcrum, agnoscens se esse hominum quos ipse novisset calamitosissimum, super busto se ipse jugulavit.

XLVI. Croesus vero, filio orbatus, duos annos ingenti in luctu desedit. Sed posthac imperium Astyagis, Cyaxarae filii, a Cyro Cambysis filio eversum, resque Persarum crescentes, luctui Croesi finem fecerunt, curamque injecerunt ei et cogitationem, si qua ratione posset crescentem Persarum potentiam, priusquam nimium invalesceret, coercere. (2) Ab hac igitur cogitatione statim tentare oracula coepit, tum quae apud Graecos erant, tum id quod in Libya; aliosque alio dimisit, quorum alii Delphos irent, alii Abas, Phocensium oppidum, alii Dodonam. Alii item ad Amphiaraum mittebantur, et ad Trophonium; alii ad Branchidas ditionis Milesiae. (3) Haec Graeca sunt oracula, ad quae Croesus misit consulenda: in Libyam vero ad Ammonem alios misit, qui ab illo responsa peterent. (4) Misit autem tentaturus oracula quid saperent; ut, si illa reperisset verum nosse, tum iterum mitteret qui ex illis quaererent, an expeditionem adversus Persas deberet suscipere.

XLVII. Ad tentanda igitur oracula hisce cum mandatis Lydos emisit, ut ab eo die, quo Sardibus essent profecti, centum consequentes numerarent dies, et centesimo die oracula adirent, ex eisque quaererent, quid esset quod illo die ageret rex Lydorum Croesus, Alyattae filius; et quidquid a quoque oraculo responsum fuisset, id scripto mandarent, ad seque deferrent. (2) Jam, quid fuerit quod caetera responderint oracula, a nemine memoriae proditum est: Delphis autem, simul atque Lydi deum consulturi penetrale templi intrarant, et quod ipsis mandatum erat interrogaverant, Pythia hexametro tenore haec respondit:

aequoris est spatium et numerus mihi notus arenae,

mutum percipio, fantis nihil audio vocem.

Venit ad hos sensus nidor testudini' durae,

quae simul agnina coquitur cum carne lebete

aere infra strato, et stratum cui desuper aes est.

XLVIII. Hoc Pythiae responsum quum scripto mandassent Lydi, Sardes sunt reversi. Postquam vero caeteri quoque,[TR7] quos circummiserat Croesus, rediere vaticinia ferentes, singula scripta evolvens Croesus inspexit. (2) Ac horum quidem nullum advertebat ejus animum, praeter id quod Delphis erat adlatum: quod simul atque cognovit, adoravit probavitque, unum existimans esse oraculum illud Delphicum, quippe cui compertum fuisset, quid ipse fecisset. (3) Postquam enim emiserat homines qui oracula consulerent, statutum diem observans, tale quidpiam machinatus erat, ea commentus quae nemo cognoscere aut hariolari posset: testudinem et agnum in frusta concidit, et una coxit ipse aeneo in lebete, aeneo imposito operculo.

XLIX. Hoc igitur Delphis responsum accepit Croesus: quid sit vero quod ab Amphiarai oraculo Lydis fuerit responsum, postquam in illius templo legitimis caerimoniis essent perfuncti, non habeo dicere: nec enim de hoc aliud quidquam memoratur, nisi quod hunc etiam Croesus oraculum verax habere existimaverit.

L. Post haec autem ingentibus sacrificiis Delphicum deum propitium sibi reddere instituit. Lectas enim victimas ter millenas de quoque genere immolavit; praeterea lectulos auro argentove obductos, et phialas aureas, et purpureas vestes tunicasque, ingenti pyra exstructa, concremavit.[TR8] hisce sperans deum magis sibi se conciliaturum; Lydisque cunctis edixit, ut de suo, quidquid quisque haberet, eidem deo sacrificaret. (2) Tum peractis sacrificiis, conflata immensa vi auri, dimidiatos lateres ex eo procudi jussit, palmarum sex in longitudinem, trium palmarum in latitudinem, crassitie palmari, numero centum et septemdecim. Horum quattuor ex purissimo auro erant, singuli pondo duorum talentorum cum dimidio; reliqui semilateres ex albido auro, pondo binorum talentorum. (3) Fecit etiam leonis effigiem ex auro purissimo, cujus pondus decem talentorum erat. Hic leo, quo tempore deflagravit Delphicum templum, de semilateribus decidit (super illis enim erat collocatus), et nunc in Corinthiorum thesauro est repositus, pondusque ejus sex talentorum est cum dimidio; periere enim liquefacta talenta tria cum dimidio.

LI. Haec Croesus postquam confecta habuit, Delphos misit, cum eisque simul haecce: crateres duos ingenti magnitudine, alterum aureum, argenteum alterum; quorum aureus ad dextram

positus erat intrantibus templum, argenteus ad sinistram. (2) Sed et hi, quo tempore conflagravit templum, loco moti sunt: et aureus quidem, cujus pondus octo talenta cum dimidio colligit duodecimque insuper libras, in Clazomeniorum thesauro positus est; argenteus vero in atrii angulo, capiens amphoras sexcentas; miscetur enim in eo vinum a Delphensibus festo Theophaniorum die. (3) Aiunt autem Delphenses, esse opus Theodori Samii; quod etiam ego existimo, esse enim fabricam haud vulgarem adparet. Praeterea quattuor dolia misit argentea, quae in Corinthiorum thesauro reposita sunt. Duas item urnas lustrales dedicavit, auream alteram, alteram argenteam: quarum illa, quae ex auro est, titulum praefert LACEDaeMONIORUM, dicuntque Lacedaemonii suum esse donarium, falso; (4) nam et hoc Croesi est, titulum autem inscripsit Delphensium non nemo, Lacedaemoniis gratificaturus; cujus nomen, bene mihi cognitum, edere nolo. Sed puer quidem cujus per manum effluit aqua, Lacedaemoniorum donarium est, at urnarum neutra. (5) Alia denique multa donaria minus insignia simul cum istis misit Croesus: in his guttos argenteos orbiculata forma; est praesertim mulieris simulacrum aureum tricubitale, quam Delphenses aiunt effigiem esse pistricis Croesi. Ad haec uxoris etiam suae monilia dedicavit, ejusdemque cingula.

LII. Ista igitur dona Delphos Croesus misit. Amphiarao vero, cujus et virtutem et calamitatem fando audierat, clypeum dedicavit totum ex auro; item hastam ex solido auro totam, cujus hastile pariter aureum atque spiculum: quae donaria ad meam usque aetatem Thebis reposita sunt, et Thebarum quidem in templo Ismenii Apollinis.

LIII. Haec dona ad deorum templa delaturis Lydis injunxit Croesus, ut interrogarent oracula, an[TR9] adversus Persas expeditionem susciperet Croesus, et an posset sociorum aliquas copias sibi adjungere? (2) Qui ut eo quo missi erant pervenere, dedicatis donariis, oracula consuluerunt his verbis: «Croesus, Lydorum rex aliorumque populorum, existimans haec sola vera esse oracula hominibus, dona vobis misit digna vestris inventis, et nunc e vobis quaerit, an adversus Persas suscipiat expeditionem, tum ecquem exercitum socium armorum possit sibi adjungere?» (3) Quae quum illi interrogassent, utriusque oraculi responsa ad eandem sententiam collinearunt; quippe praedicebant Croeso, si bellum inferret Persis, eversurum eum esse magnum imperium; simulque ei consulebant, ut Graecorum exquireret potentissimos, eosque sibi socios adjungeret.

LIV. Ea oracula postquam ad se relata Croesus cognovit, responsis istis vehementer est gavisus: prorsusque existimans se Cyri regnum esse eversurum, missis rursus Delphos legatis, Delphensium singulos, numerum illorum percontatus, viritim duobus stateribus auri donavit. (2) Vicissimque Delphenses Croeso Lydisque in omne futurum tempus primas detulerunt in consulendo oraculo partes, immunitatemque, et primum in consessibus locum, denique jus civitatis, cuique qui numero Delphensium vellet adscribi.

LV. Caeterum donis istis Delphenses prosecutus Croesus, tertio oraculum consulit; quippe veracitatem ejus expertus, largiter sibi in eo consulendo indulgebat. Interrogavit autem oraculum haec proponens, an diuturnum sibi futurum esset imperium? (2) Cui Pythia haec respondit:

Regis apud Medos mulo jam sede potito,

Lyde, fugam mollis scruposum corripe ad Hermon,

neve mane, ignavus posito sis, Lyde, pudore!

LVI. Quibus verbis ad Croesum perlatis, longe omnium maxime gavisus est, ratus nunquam in Medos mulum pro viro esse regnaturum, adeoque nec ipsum, nec suos posteros, umquam privatum iri imperio. (2) Deinde curam suam eo convertit, ut inquireret quinam essent Graecorum potentissimi, quos socios sibi adjungeret. Sciscitatus igitur repperit, Lacedaemonios et Athenienses praeter caeteros eminere, illos quidem Dorico in genere, hos vero in Ionico. (3) Hi enim duo populi praecipui habebantur, alter Pelasgicus, quum antiquitus sint, alter Hellenicus: et alter quidem numquam solo suo excesserat, alter vero valde multumque erat vagatus. (4) Nam sub Deucalione rege Phthiotin terram habitaverat; sub Doro vero, Hellenis filio, regionem Ossae et Olympo subjectam occupavit, quae Histiaeotis vocatur; (5) tum ex Histaeotide ejectus a Cadmeis, Pindum incoluit, et Macednus populus est nominatus; inde rursus in Dryopidem transiit; ex Dryopide denique sic in Peloponnesum venit, et Doricus est adpellatus.

LVII. Jam Pelasgi quanam lingua usi sint, pro certo adfirmare non possum. Sed si fas est conjecturam capere ex his qui etiam nunc supersunt Pelasgi, qui supra Tyrrhenos Crestonem oppidum incolunt, qui eam regionem olim, quae nunc Thessaliotis vocatur, habitaverant, finitimique per id tempus fuerant eorum qui Dorienses hodie nominantur; idem ex illis Pelasgis qui Placiam et Scylacen in Hellesponto condiderunt, qui cum Atheniensibus una habitaverunt; sive quae sunt alia oppida Pelasgica, quae nomen mutarunt: ex his si conjecturam capere fas est, barbara lingua usi sunt Pelasgi. (2) Quodsi igitur eadem ratio fuit universi Pelasgici generis, statuendum fuerit Atticum populum, quum sit Pelasgici generis, ex quo in Hellenum nomen transiit, simul linguam suam dedidicisse et cum Hellenum lingua permutasse. (3) Etenim neque Crestoniatarum lingua cum ullis eorum, qui nunc circum habitant, consentit, neque Placianorum; inter ipsos autem convenit: et satis adparet, servasse utrosque eandem sermonis formam, quam secum attulerant quum in has, quas nunc incolunt regiones immigrarunt.

LVIII. Hellenicum vero genus, ex quo ortum cepit, lingua quidem semper utitur eadem, ut mihi quidem prorsus videtur: sed discretum a Pelasgico genere, quum esset infirmum et ab exiguis profectum initiis, in hanc tamen populorum multitudinem maximam adcrevit, compluribus etiam aliis populis barbaris sese illi adjungentibus. Quo nimirum, ut mihi etiam videtur, factum est ut Pelasgicum genus, barbarum quum esset, numquam magnos fecerit profectus.

LIX. Horum igitur populorum Atticum quidem rescivit Croesus teneri et in partes divulsum esse a Pisistrato, Hippocratis filio, qui ea tempestate tyrannus erat Atheniensium. (2) Hippocrati enim, quum esset privatus spectaretque Olympia, ingens oblatum prodigium fuerat. Sacra quum fecisset, in propinquo stantes lebetes, carnibus et aqua repleti, absque igne fervere coeperant

et exundare. (3) Itaque Chilon Lacedaemonius, qui forte aderat prodigiumque erat conspicatus, suasit Hippocrati, primum quidem, ne domum duceret uxorem ex qua liberos procrearet: sin jam haberet, secundo loco, ut repudiaret uxorem; filiumque, si forte ei jam natus esset, abdicaret. (4) Cujus consilio parere nolenti Hippocrati natus posthac est hic Pisistratus; qui in seditione litoralium Atheniensium, quibus praeerat Megacles, Alcmaeonis filius, et campestrium, quibus Lycurgus praeerat, Aristolaidae filius, tertiam concitavit factionem, tyrannidem in mente habens. Contractis enim seditiosis qui secum facerent, per caussam tutandi montanos, hujuscemodi rem machinatus est. (5) Se ipsum ac mulos quum vulnerasset, agitavit jumenta in fortum, quasi elapsus esset ex inimicorum manibus, qui ipsum rus proficiscentem interimere nimirum voluissent; precatusque est populum, ut aliquid custodiae ab illo obtineret: jam enim prius in existimatione apud populum fuerat, quod in bello adversus Megarenses, ipsius ductu gesto, cepisset Nisaeam, et alia praeclare facta edidisset. (6) Sic deceptus populus Atheniensium adjunxit ei delectos ex urbe viros, qui ut satellites non quidem hastis eum stipabant, sed clavis: ligneas enim clavas gestantes, a tergo eum sequebantur. Iidem vero simul cum Pisistrato insurgentes, arcem occuparunt. (7) Inde igitur imperio Atheniensium potitus Pisistratus, nullis qui tunc erant magistratibus perturbatis, neque legibus mutatis, sed priore statu integro, administrabat civitatem, ac bene recteque moderabatur.

LX. Sed haud multo post Megaclis factio et factio Lycurgi, facta consensione, eum ejecerunt. Ita Pisistratus, postquam primum Athenas obtinuerat, mox tyrannidem nondum satis firmatam rursus amisit. (2) Sed, qui eum ejecerant, mox denuo inter se dissidium fecerunt. Fatigatus autem seditione Megacles, misso ad Pisistratum caduceatore, sciscitatus est velletne filiam suam ducere uxorem, tyrannidis praemio. (3) Quem sermonem ubi admisit Pisistratus, eaque conditione pactionem cum Megacle iniit, machinantur hi ad illum reducendum rem, ut mihi quidem plane videtur, longe stultissimam. Quandoquidem enim jam a priscis inde temporibus a barbarico genere distinctum Graecum fuit, utpote dexterius et a stolida fatuitate magis abhorrens, stultum utique debet videri, usos illos esse tali invento apud Athenienses, qui inter Graecos feruntur sapientia principes. (4) Erat in pago Paeaniensi mulier, nomine Phya, quattuor cubitorum statura minus tribus digitis, et alioqui formosa. (5) Hanc mulierem quum universa instruxissent armatura, in currumque sustulissent edoctam prius eum adsumere vultus corporisque habitum quo maxime decora esset adparitura, in urbem agunt, praemissis qui praecurrerent praeconibus, qui ubi in urbem venissent, haec mandata edicerent: «Athenienses, bono animo excipite Pisistratum, quem Minerva ipsa praecipuo inter homines honore prosecuta, in suam reducit arcem!» (6) Hi igitur passim circumeuntes haec praedicaverunt: statimque rumor per pagos manavit, Pisistratum a Minerva reduci; et qui in urbe erant, persuasi hanc mulierem esse ipsam Minervam, adorarunt eam, Pisistratumque receperunt.

LXI. Hunc igitur in modum, quem diximus, recuperata tyrannide, Pisistratus ex pacto cum Megacle inito filiam Megaclis duxit uxorem. Verum quum et filii essent ei adolescentes, et Alcmaeonidae dicerentur obnoxii esse piaculo, nolens ex novo conjugio liberos suscipere, non uti fas est coibat cum uxore. (2) Atque id quidem primum celavit mulier: deinde vero, sive interrogata a matre, sive non, matri suae adperuit, atque illa cum marito rem communicavit. Megacles vero inique ferens se a Pisistrato ludibrio haberi, per iram e vestigio cum adversae factionis hominibus, positis inimicitiis, in gratiam rediit. (3) Tum Pisistratus, ubi quid contra se ageretur rescivit, prorsus e terra Attica discessit: et Eretriam profectus est, ubi cum filiis de rebus suis deliberavit. Ubi perferente Hippia suam sententiam, tyrannidem postliminio occupandam

esse, munera colligebant ex eis civitatibus, quae illos superiori tempore observantia quadam erant prosecuti. (4) Quarum quum multae magnas conferrent pecunias, Thebani prae caeteris liberalitate eminuere. Post haec, ut brevi sermone absolvam, interjecto tempore, omnia ad reditum eis parata fuere: nam Argivi mercenarii advenerant ex Peloponneso, et Naxius vir, cui Lygdamis nomen, ultro eos converat, et quum collatis pecuniis, tum adductis militibus, propensam inprimis animi voluntatem probaverat.

LXII. Itaque Eretria profecti, undecimo anno in patriam redierunt, et primum in Attica terra Marathonem occuparunt. (2) Quo loco quum castra posuissent, mox partim ex urbe qui cum illis sentiebant ad eos conveniebant, partim e pagis alii confluebant, quibus regnum libertate erat optabilius. (3) Atque ita hi quidem congregabantur. Athenienses vero in urbe, quam diu Pisistratus pecuniam cogebat, ac deinde rursus quum Marathonem teneret, nullam ejus rationem habuerant: sed ubi resciverunt, Marathone eum urbem versus movere, tum vero ei occurrendum statuerunt. (4) Hi igitur cum omnibus copiis adversus redeuntes egressi sunt: simulque Pisistratus et qui cum eo erant, ut Marathone profecti contra urbem ivere, illis occurrentes ad templum pervenerunt Pallenidos Minervae, ibique castra ex adverso posuerunt. (5) Ibi tum divinitus missus adstitit Pisistrato Amphilytus Acarnan [Acharnensis?], vir vaticinia edere doctus, qui illum adiens, hexametro tenore vaticinium edidit his verbis:

Jactum est verriculum nunc, est tibi rete repansum:

nocte aderunt thynni claro sub sidere lunae.

LXIII. Sic ille divino adflatu concitatus cecinit: Pisistratus vero, percepto oraculo, accipere se omen dicens, exercitum in hostes duxit. Athenienses autem urbani per id tempus ad prandium se converterant, et a prandio alii ad tesserarum ludum, alii ad somnum. (2) Hos igitur Pisistratus cum suis, facto impetu, in fugam vertit. Qui dum profugiunt, ibi tum prudentissimo consilio usus est Pisistratus, quominus ordines redintegrarent Athenienses, sed dispersi manerent. Filios suos equis impositos praemisit; qui consecuti fugientes, Pisistrati verbis bono animo esse juberent, et ad sua quemque abire.

LXIV. Ita, dicto parentibus Atheniensibus, Pisistratus tertio potitus Athenis, tyrannidem firmavit quum auxiliaribus multis, tum pecuniarum reditibus, quae partim ex ipsa regione, partim a Strymone fluvio cogebantur. Filios quoque eorum Atheniensium, qui restiterant neque e vestigio fugam capessiverant, obsidum loco captos Naxum transtulit: nam etiam Naxum Pisistratus bello subegerat, et Lygdamidi tradiderat administrandam. Ad haec Delum insulam ex oraculi responso expiaverat. Expiavit autem hoc modo: (2) quo usque prospectus templi pertinebat, ex tota ea regione effodienda cadavera curavit, et in alium insulae locum transferenda. Ita Pisistratus Athenis regnabat: Atheniensium autem alii in praelio ceciderant, alii cum Alcmaeonidis e patria terra profugerunt.

LXV. Talem igitur rerum statum per id tempus apud Athenienses obtinere audiverat Croesus. Lacedaemonios vero rescivit, magnis malis defunctos, bello jam superiores esse Tegeatis. (2) Quippe, regnantibus Spartae Leone et Hegesicle, quum caeteris in bellis feliciter rem gessissent Lacedaemonii, a Tegeatis solis cladem acceperant. Ac superioribus quidem temporibus et inter se invicem legibus usi erant pessimis fere omnium Graecorum, et cum aliis populis nullum habuerant commercium. Sed leges eorum in melius mutatae sunt hoc modo. (3) Lycurgo, viro inter Spartanos probato, Delphos ad oraculum profecto, simulatque penetrale ingressus est, protinus Pythia haecce profatur.

Ad mea venisti praepinguia templa, Lycurge,

grate Jovi et cunctis qui tecta tuentur Olympi.

Ambigo, te-ne deum jam nunc, hominemve, salutem:

sed multo magis esse deum te credo, Lycurge.

(4) Nonnulli praeter haec aiunt Pythiam eidem leges etiam et instituta ea tradidisse, quae nunc apud Spartanos obtinent. At Lacedaemonii ipsi narrant, Lycurgum, quum fuisset tutor filii fratris sui Leobotae, Spartanorum regis, e Creta haec attulisse. (5) Simulatque enim tutor factus est, omnia jura immutavit, operamque dedit ne quis ea quae ab ipso constituta essent transgrederetur. Deinde quae ad bellum pertinent ordinavit, enomotias, triacadas [quasi dicas cohortes morae et phratrias triginta] et syssitia; ad haec ephoros et senatores instituit Lycurgus.

LXVI. Ita igitur legibus institutisque in melius mutatis usi sunt Lacedaemonii: vita autem functo Lycurgo templum statuerunt, et magnopere eundem colunt. Tum vero bonitate soli et cultorum frequentia factum est ut brevi incrementum caperent, opibusque augerentur. (2) Jamque quietem agere non contenti, quum Arcadibus praestantiores esse arbitrarentur, de universa Arcadum regione oraculum Delphis consulere. Quibus Pythia haec respondit:

Me petis Arcadiam? Magnum petis: haud tibi tradam.

Multi apud Arcadiam vescentes glande viri sunt,

qui te rejicient. Nec vero invidero prorsus:

saltandam Tegeam planta plaudente daturus,

utque queas campum metiri fune feracem.

(3) Quod responsum ubi accepere Lacedaemonii, a caeteris quidem abstinuerunt Arcadibus, Tegeatis vero bellum intulerunt, compedes secum ferentes; videlicet captioso oraculo freti, tamquam redacturi Tegeatas in servitutem. (4) Verum praelio victi, quicumque eorum vivi sunt capti, hi eisdem compedibus vincti, quas ipsi secum attulerant, campumque Tegeatarum fune metientes, opus facere sunt coacti. Compedes autem illae, quibus hi vincti erant, ad meam usque aetatem Tegeae servatae sunt, circa Minervae Aleae templum suspensae.

LXVII. Ita quidem priore bello infeliciter semper pugnaverant cum Tegeatis: sed Croesi aetate, regnum Lacedaemone tenentibus Anaxandrida et Aristone, superiores jam bello fuerant Spartani, idque tali ratione erant consecuti. (2) Quum in bello numquam non superarentur a Tegeatis, missis Delphos consultoribus sciscitati sunt oraculum, quemnam deorum placarent, ut bello superiores Tegeatis essent futuri. His Pythia respondit, tum futuros, quum ossa Orestis, filii Agamemnonis, ad se attulissent. (3) At loculum Orestis postquam reperire nullo pacto potuerunt, rursus ad deum mittunt sciscitaturos, quonam loco situs Orestes esset. Id interrogantibus consultoribus haec respondit Pythia:

Est quaedam Arcadiae Tegea in regione patenti:

hic duo flant venti, vi pervehemente citati;

reppulsus pulsus, noxae superindita noxa.

Hic Agamemnonides terra omniparente tenetur;

quo tu sublato, Tegeae sperabere victor.

(4) Ubi haec quoque audierunt Lacedaemonii, nihilo magis reperire potuerunt, omnia licet disquirentes: donec tandem Lichas, unus ex iis Spartanis qui (benemeriti) Agathoergi vocantur, invenit. (5) Sunt autem Benemeriti illi, cives e militia equestri egressi, aetate semper maximi, quinque quotannis: qui eo anno, quo ex equitibus exeunt, non debent otium agere, sed reipublicae caussa Spartanorum alius alio dimittuntur.

LXVIII. Ex horum igitur numero Lichas id quod quaerebatur invenit Tegeae, quum fortuna usus, tum solertia. Nam quum eo tempore jus commercii esset Lacedaemoniis cum Tegeatis, intrans

ille Tegeae in ferrariam officinam, spectabat ibi procudendi ferri rationem, mirabaturque id quod fieri videbat. (2) Cujus admirationem animadvertens faber, cessans ab opere ait: «Profecto magis quodammodo, hospes Lacon, miratus fuisses, si id quod ego vidi, tu vidisses, qui nunc fabricationem ferri ita admiraris. (3) Hac ipsa enim in aula puteum quum facere voluissem, fodiendo incidi in loculum septem cubitorum. Ego vero, quum persuadere omnino mihi non potuissem, fuisse umquam majores quam nunc sunt homines, aperui loculum, et vidi cadaver eadem cum loculo longitudine: cujus postquam mensuram cepi, rursus terra obrui.» (4) Haec illo quae viderat referente, Lichas narrata animo volvens, conjectabat esse hunc Orestem, quem oraculum dixisset. Conjectabat autem hac ratione: duos videns fabri ferrarii folles, hos esse ventos illos reperiebat, incudem vero et malleum, pulsum illum et repulsum; procusum porro ferrum, noxam superinditam noxae; quod quidem ex ea conjectabat ratione, quod in noxam hominis inventum esset ferrum. (5) Quae quum ita ille conjectasset, Spartam abiit, totamque rem Lacedaemoniis exposuit. Tum illi ex composito fictum crimen homini inferentes, exilio eundem mulctant. (6) Qui Tegeam profectus, calamitatem suam rettulit fabro, cum eoque egit ut aulam sibi elocaret. Cui diu quidem reluctanti quum ad extremum persuasisset, ibi habitavit; moxque effosso sepulcro ossa collegit, Spartamque remigrans transportavit. (7) Quo ex tempore, quoties vires suas invicem tentarunt, semper superiores bello excessere Lacedaemonii: eisdemque jam major etiam pars Peloponnesi erat subjecta.

LXIX. Haec igitur cuncta quum Croesus comperisset, legatos Spartam misit dona ferentes, societatem petitum, quibus quae dicere oporteret mandavit. Qui ubi advenere, his usi sunt verbis:[TR10] «Misit nos Croesus, Lydorum rex aliorumque populorum, haec dicens: O Lacedaemonii, quoniam deus me per oraculum monuit, ut Graecum mihi adsciscerem socium, vos autem audio principatum tenere Graeciae, vos idcirco ex oraculi mandato invito, amicus esse cupiens et socius absque dolo et fraude.» (2) Haec Croesus per legatos nunciavit. Quorum adventu gavisi Lacedaemonii, qui et ipsi oraculum Croeso editum cognoverant: hospitium et societatem pacto foedere cum eo contraxerunt; nam et antea jam beneficiis nonnullis a Croeso fuerant adfecti. (3) Sardes enim quum misissent Lacedaemonii ad emendum aurum, quo usuri erant in statuam hanc quae Apollini posita nunc est in Thornace Laconiae, Croesus illud emturis dono dederat.

LXX. Quum hanc igitur ob caussam, tum quod ipsos reliquis omnibus praeferens Graecis selegisset amicos, societatem belli admiserunt Lacedaemonii. (2) Ad quam non modo parati erant denuncianti, verum etiam craterem aeneum fabricandum curarunt, multis imagunculis circa exterius labium ornatum, ea magnitudine ut trecentas caperet amphoras, quem ad Croesum miserunt, dono hoc illum remuneraturi. Hic vero crater Sardes non pervenit, cujus rei caussa dupliciter narratur. (3) Lacedaemonii quidem aiunt, quum Sardes veheretur crater ille et prope Samum esset, Samios, re cognita, navibus longis advectos, eum intercepisse. Ipsi vero Samii aiunt, Lacedaemonios craterem advehentes, quum sero venissent et Sardes expugnatas regemque captum esse comperissent, craterem in Samo insula vendidisse, privatosque homines suo aere emptum in Junonis templo consecrasse: fortasse autem hos, qui eum vendiderant, Spartam reversos, dixisse fuisse ipsis illum a Samiis vi ablatum.

LXXI. Ac de cratere quidem ita res se habuit. Croesus vero, quum ab oraculi sententia aberrasset, Cappadociam bello invasit, Cyrum et Persarum potentiam eversurum se sperans. (2) Dum vero

bellum adversus Persas Croesus parabat, Lydorum aliquis, qui et jam ante habebatur sapiens, et ab hac, quam tunc dixit, sententia vel maxime etiam nomen est inter Lydos adeptus (Sandanis vocabatur) his verbis Croesum admonuit: (3) «O rex, inquit, tales adversus homines tu bellum paras, qui coriaceas braccas et ex corio reliquam vestem gestant: qui comedunt non quantum volunt, sed quantum habent, aspero solo utentes: ad haec non vino utuntur, sed aquam bibunt: non ficos habent quas comedant, nec aliud bonum ullum. (4) Hos igitur sive viceris, quid eis auferes, nihil habentibus? sin victus fueris, vide quot quantaque bona sis amissurus. Nostra enim bona postquam degustaverint, nolent ea e manibus dimittere, neque se abigi patientur. Equidem igitur diis habeo gratias, quod Persis non in animum inducunt bello invadere Lydos:» (5) Haec ille dicens, Croeso non persuasit. Etenim Persis, priusquam Lydos subegissent, nihil delicati, nihil boni fuerat.

LXXII. Cappadoces illi a Graecis Syrii nominantur. Fuerant autem hi Syrii, priusquam Persae obtinuissent imperium Medorum potestati subjecti: tunc vero Cyro parebant. Limes enim Medici imperii et Lydici Halys fluvius erat; qui ex Armenio monte ortus per Ciliciam fluit, deinde a dextra Matienos habet, a sinistra Phrygas; quos praeterlapsus versus boream sursum fluens, ab altera parte Syrios Cappadocas, a laeva vero Paphlagonas disjungit. (2) Ita Halys fluvius omnem fere inferiorem disterminat Asiam, a mari quod Cypro oppositum est ad Pontum usque Euxinum; estque haec cervix totius hujus regionis: longitudinem quod attinet itineris, expedito viro quinque dies insumuntur.

LXXIII. Bellum autem Croesus Cappadociae intulit his de caussis: partim quidem potiundae regionis illius desiderio, quam suae adjicere ditioni cupiebat; maxime vero, quod oraculo confisus ultionem capere de Cyro vellet Astyagis caussa. (2) Astyagem enim, Cyaxaris filium, Croesi adfinem, Mediae regem, Cyrus Cambysis filius bello victum captumque tenebat. Adfinis autem Croesi factus erat Astyages hac ratione. (3) Scytharum nomadum turma per seditionem in terram Medicam secesserat, quo tempore Medis imperabat Cyaxares, Phraortae filius, Dejocis nepos, qui Scythas istos, ut supplices advenientes, benigne exceperat. Idem, quum eos magni faceret, pueros eisdem tradidit, qui et linguam eorum et sagittandi artem addiscerent. (4) Interjecto tempore, quum venatum semper exirent Scythae, et nunquam non aliquid adferrent, accidit aliquando ut nihil caperent: quos vacuis manibus reversos Cyaxares, vir (ut tum ostendit) ad iram praeceps, aspere admodum et contumeliose accepit. (5) Tum illi, indigne secum actum aegerrime ferentes, consilio habito decreverunt unum ex eis pueris, qui in ipsorum disciplinam dati essent, in frusta concidere, et eodem modo paratum quo ferinam parare consuevissent, Cyaxari tamquam feram a se captam adferre, protinusque inde ad Alyatten, Sadyattae filium, Sardes sese recipere. (6) Atque ita etiam, ut illi decreverant, facta res est. Nam et Cyaxares, et qui cum eo erant convivae, carnes istas gustarunt; et Scythae, perpetrato facinore, ad Alyatten supplices venerunt.

LXXIV. Post haec, quum Alyattes repetendi Cyaxari Scythas tradere nollet, bellum Lydos inter Medos gestum est per quinque continuos annos: quo in bello Medi saepe de Lydis, saepe vero etiam de Medis Lydi victoriam retulerunt; semel etiam nocturno quodam praelio dimicarunt. (2) Scilicet pari utrimque fortuna bellum continuantibus accidit sexto anno, ut, postquam signa contulissent, jamque ferveret pugna, subito dies in noctem converteretur: (3) quam diei mutationem Thales Milesius Ionibus praedixerat, hunc ipsum annum praefiniens, quo facta est

illa immutatio. (4) Lydi vero et Medi, quum loco diei subito noctem ingruere viderent, pugnandi finem fecerunt, et aliquanto etiam magis utrique componendae paci coeperunt studere. Auctores vero conventionis hi erant, Syennesis Cilix, et Labynetus Babylonius; (5) quibus rem urgentibus factum est ut et foedus inter partes pangeretur, et mutua jungerentur connubia: decreverunt quippe, ut Alyattes filiam suam Aryenin Astyagi, Cyaxaris filio, daret uxorem. Nam absque firmo necessitudinis vinculo non solent conventiones firmae manere. (6) Foedus autem sanciunt hi populi eodem ritu atque Graeci, nisi quod praeterea brachia incidunt summa in cute, et sanguinem mutuo lingunt.

LXXV. Hunc igitur Astyagem, avum suum maternum, Cyrus regno dejectum in sua potestate tenebat, eam ob caussam quam in sequentibus exponam. Quo nomine Croesus ei infensus, ad oracula miserat qui consulerent an bellum Persis inferret; et ambiguum responsum nactus, ratus sibi favere responsum, expeditionem in Persarum ditionem suscepit. (2) Ubi vero ad Halyn fluvium pervenit Croesus, deinde, ut ego quidem aio, pontibus eis, qui ibi erant, copias[TR11] traduxit; ut vero vulgo Graeci narrant, Thales eas Croeso traduxit Milesius. (3) Dubitante enim rege quo pacto flumen transmitterent copiae suae (necdum enim eo tempore pontes hos exstitisse), Thaletem aiunt, quum in castris adesset, effecisse ut flumen, quod a laeva exercitus fluebat, a dextra etiam flueret. Effecisse autem aiunt hunc in modum: (4) exorsum ab ea fluvii parte, quae supra castra erat, altam effodisse fossam, et lunata specie ita duxisse, ut, postquam castra ad fluvium locata circuisset a tergo, flumen illac ex pristino alveo per fossam aversum, et castra rursus praeterlapsum, in pristinum alveum influeret. Ita, simulatque divisum fuisset flumen, ab utraque parte permeabile factum esse. (5) Nonnulli vero etiam aiunt, pristinum alveum prorsus exaruisse. At mihi quidem hoc non persuadent; quo enim modo, quum reversi sunt, flumen transierunt?

LXXVI. Croesus igitur, sueprato cum copiis fluvio, in eam Cappadociae partem pervenit, quae Pteria nominatur, estque totius hujus regionis pars validissima, ex adverso fere Sinopes urbis ad Pontum Euxinum sita. Ibi castris positis, praedia devastavit Syriorum, (2) et oppidum Pteriorum cepit in servitutemque redegit: cunctaque etiam finitima cepit oppida, Syriosque nihil commeritos funditus evertit. (3) Tum Cyrus, coactu exercitu, adsumtisque omnibus qui in medio incolebant, obviam Croeso ivit. Priusquam autem educere aggrederetur copias, caduceatores ad Iones misit solicitandos ut a Croeso deficerent. (4) Et Iones quidem non paruerunt: Cyrus vero ut advenit, castra Croeso opposuit; et ibidem in terra Pteria valido impetu vires invicem tentarunt. Acri praelio commisso, multis utrimque occisis, ad extremum, quum nox ingrueret, neutram in partem inclinante victoria discesserunt. Et hunc quidem in modum uterque exercitus pugnaverat.

LXXVII. Croesus vero, quem copiarum suarum paucitatis paenitebat: nam militum ejus, qui conflixerant, multo minor, quam Cyri, numerus fuerat: ea de caussa, quum postridie ejus diei Cyrus adgredi illum non conaretur, Sardes reversus est, habens in animo et aegyptios evocare ex foedere (quorum cum rege Amasi, prius quam cum Lacedaemoniis, foedus inierat), et Babylonios arcessere (nam et cum his societatem armorum pepigerat; rex autem per id tempus Babyloniorum Labynetus erat), et Lacedaemoniis denunciare, ut ad definitum tempus adsint: denique hisce conjunctis, suisque ipsius copiis contractis, constituerat, simulatque praeteriisset hiems, primo vere expeditionem in Persas suscipere. (2) Haec ille animo agens, ut Sardes venit,

nuncios misit ad socios, qui illis edicerent, ut ad quintum mensem Sardes convenirent. Praesentem vero exercitum, qui cum Persis pugnaverat, qui ibi aderat mercede conductus, omnem dimisit dispersitque; nequaquam ratus fore ut Cyrus, qui pari adeo Marte pugnasset, adversus Sardes copias suas duceret.

LXXVIII. Haec dum secum reputat Croesus, suburbana omnia serpentibus impleta sunt: quos equi, ut adparuerunt, omissis pascuis consuetis, accedentes deglutiebant. Id Croeso cernenti visum est, ut erat, esse portentum: itaque e vestigio misit qui haruspices consulerent Telmessenses. (2) Sed consultoribus Telmessum profectis, ibique quid significaret prodigium edoctis, non contigit, ut Croeso renunciare responsum possent; nam priusquam Sardes renavigassent, captus Croesus erat. (3) Atqui Telmessenses ita censuerant, exercitum peregrinum ingressurum esse terram Croesi, et incolas oppressurum: serpentes enim, aiebant, esse terrae filios; equos autem, hostes et advenas. (4) Et haec quidem responderunt Telmessenses Croeso jam capto, sed nescii adhuc ipsi quid Sardibus ageretur aut quid Croeso accidisset.

LXXIX. At Cyrus certior factus Croesum, quum continuo post pugnam in Pteria pugnatam copias suas domum reduceret, decrevisse post reditum dimittere copias, consilio inito intellexit e re sua esse, quam celerrime posset adversus Sardes ducere, priusquam Lydorum copiae rursus collectae essent. (2) Atque, ut ei visum erat, ita protinus fecit. Nam exercitum in Lydiam ducens, ipse nuncius Croeso advenit. (3) Ibi tum Croesus in magnam consilii inopiam adductus, quum longe secus atque exspectaverat res cecidisset, tamen Lydos in praelium eduxit. (4) Erat autem ea aetate nullus Asiae populus fortior, nec magis strenuus, quam Lydius. Pugnandi genus erat ex equis; hastasque gestabant praelongas, et equitandi inprimis erant periti.

LXXX. Quum in campo esset concursum, ante urbem Sardianam sito, magno et nudo, quem perfluentes cum alii amnes, tum Hyllus, perrumpunt omnes in eum qui maximus est, cui nomen Hermus; qui e monte Matri Dindymenae sacro ortus, in mare se exonerat juxta Phocaeam urbem: hic ubi Lydos ad pugnandum instructos vidit Cyrus, reformidans equitatum, monitu Harpagi Medi tale iniit consilium. (2) Coactis omnibus quae exercitum ipsius sequebantur camelis, vel frumentum vel vasa portantibus, sarcinas detraxit, et viros imposuit equestri cultu ornatos: quibus ita instructis praecepit, ut caeteras copias praeirent adversus Croesi equitatum; peditatum vero jussit camelorum aciem subsequi; denique post pedestrem aciem equitatum omnem locavit. (3) His omnibus ita ordinatis, edixit ne cui parcerent Lydorum caeterorum, sed occiderent cunctos qui resisterent, Croesum vero ipsum non occiderent, ne si captus quidem repugnaret. (4) Hoc imperium dedit. Camelos autem adversus equitatum instruxit hac de caussa: camelum equus reformidat, adeo quidem ut nec speciem ejus intueri, nec odorem percipere sustineat. Ob id ipsum igitur rationem istam inierat, ut Croeso inutiles essent equestres copiae, quibus vel maxime se praevaliturum Lydus cogitaverat. (5) Atque etiam, postquam ad pugnam concursum est, ibi tum equi, simulatque olfecerunt camelos conspexeruntque, protinus retro se averterunt, et elusa Croeso spes erat. (6) Nec vero idcirco Lydi continuo abjecere animos: sed, re cognita, ab equis desilientes, pedibus conflixere cum Persis. Postremo vero, multis utrimque caesis, in fugam versi sunt Lydi: itaque intra murum compulsi, obsidebantur a Persis.

LXXXI. Dum vero obsidionem parant Persae, Croesus in longius processuram obsidionem ratus, alios ex arce nuncios mittit ad socios. Nam qui prius dimissi erant, hi ad coeundum Sardes quintum mensem edixerant: nunc hos emisit oratum, ut quam celerrime auxilia sibi mitterentur, quippe ab hostibus obsesso.

LXXXII. Igitur cum ad alios socios misit, tum ad Lacedaemonios. Per idem vero illud tempus ipsis etiam Spartanis acciderat ut contentionem haberent cum Argivis, de loco cui nomen Thyrea. Hasce quippe Thyreas, quum essent Argolicae ditionis, Lacedaemonii Argivis ademtas tenebant. (2) Etenim Argivorum etiam erat ad Maleas usque regio ad occasum sita, cum in continente, tum insula Cytheria, reliquaeque insulae. (3) Igitur quum ad opem ferendam ademto suo territorio adcurrissent Argivi, in colloquium ibi convenerunt cum Lacedaemoniis, pactique sunt ut trecenti utrimque pugnarent, et, utri superiores excessissent, eorum regio foret; reliquus autem exercitus utrorumque domum discederet, neque praesto esset dum illi pugnarent; ea scilicet caussa, ne, si adessent exercitus, parti quam succumbentem alterutri viderent, auxilium sui ferrent. (4) His conventis disgressi sunt, selecti vero ex utrisque relicti, certamen inierunt: qui quum aequo Marte pugnassent, ex sexcentis tres omnino reliqui fuere; ex Argivis Alcenor et Chromius, ex Lacedaemoniis Othryades. Hi autem interveniente nocte supererant. (5) Duo igitur Argivi, ut qui vicissent, cursu Argos repetierunt; Lacedaemonius vero Othryades, spoliatis Argivorum cadaveribus, armisque in ipsius castra delatis, in statione mansit. Postridie utrique, re audita, advenere: (6) ac statim quidem utrique, vicisse se, contendebant; Argivi, dicentes suorum plures superfuisse; Lacedaemonii vero, illos profugisse demonstrantes, suum vero perstitisse, et cadavera spoliasse Argivorum. Ad extremum, ex contentione ad arma concurrentes, pugnam capessunt; et, multis utrimque caesis, Lacedaemonii victores discedunt. (7) Quo ex tempore Argivi, tonsis capitibus, quum antea necessario comati essent, legem condiderunt, sese devoventes, ne prius comam aleret quisquam Argivorum, neve mulieres aurum gestarent, quam Thyreas recepissent. E contrario Lacedaemonii, quum antehac non comarentur, legem tulerunt, ut ab hoc tempore alerent comam. (8) Unum autem illum ex trecentis superstitem, Othryadem, aiunt pudore retentum ne occisis commilitonibus Spartam rediret, illic apud Thyreas mortem sibi conscivisse.

LXXXIII. Haec cum apud Spartanos aguntur, advenit Sardianus legatus, orans ut obsesso Croeso suppetias ferrent. Et illi nihilo minus, audito legato, ad succurrendum se accinxerunt. Sed quum jam parati essent, et in promtu starent naves, alius adfertur nuncius, arcem Lydorum expugnatum esse, Croesumque vivum ab hostibus captum. Ita quidem Lacedaemonii, casum regis vehementer dolentes, auxilia mittere supersederunt.

LXXXIV. Expugnatae autem sunt Sardes hoc maxime modo. Quartodecimo quam obsideri coeptae erant die, Cyrus, dimissis per castra equitibus, edixerat copiis suis, dona se daturum ei qui murum primus conscendisset. (2) Mox periculo a militibus facto, postquam conatui non respondit successus, ibi tum, quiescentibus caeteris, vir Mardus genere, cui nomen Hyroeades, adscendere conatus est ex parte arcis, qua nulli locati custodes erant; quia non verendum visum erat, ne ab illa parte umquam arx caperetur. (3) Est enim ibi abrupta arx et inexpugnabilis: qua una etiam parte Meles, rex antiquus Sardium, non circumtulerat leonem, quem ipsi pellex pepererat; quum responsum edidissent Telmessenses, si leo ille circa murum circumferretur, inexpugnabiles fore Sardes. (4) Meles igitur circa reliquum murum circumferens, qua

expugnabile munimentum arcis erat, hanc partem spreverat, ut inexpugnabilem et abruptam: est autem ea Tmolo opposita pars urbis. (5) Hyroeades igitur hic Mardus, quum pridie vidisset Lydorum aliquem ab illa parte arcis descendentem, recepturum galeam quae superne devoluta erat, eandemque reportantem; advertens animum, deliberaverat secum. Tunc igitur et ipse adscendit, et ejus vestigia legentes plures Persarum adscendebant. Quum igitur frequenti numero adscendissent, ita Sardes captae sunt, atque urbs omnis direpta.

LXXXV. Ad ipsum autem Croesum quod spectat, gesta sunt haecce. Erat ei filius, cujus etiam supra mentionem feci, caetera quidem non ineptus, sed mutus. Superiore igitur felici rerum statu omnia pro viribus fecerat Croesus hujus pueri caussa, cum aliis initis rationibus, tum Delphos missis legatis qui super eo oraculum consulerent. (2) Responderat autem ei Pythia haec:

Lyde genus, rex multorum, valde inscie Croese,

ne cura gnati exoptatam audisse loquentis

intra aedes vocem, sine qua melius tibi longe:

ille die quoniam primum infelice loquetur.

Nunc capta arce quum Persarum aliquis, cui ignotus Croesus erat, illum peteret occisurus; Croesus quidem, invadentem se conspiciens, ob praesentem casum insuper habuit, quum nihil ipsius interesset percussum oppetere mortem: (3) at puer hic mutus, ubi Persam vidit irruentem, prae metu doloreque rupit vocem, dixitque: «Homo, ne occide Croesum!» Sic igitur hic tum primum vocem edidit: et post haec jam per omne vitae tempus loquela usus est.

LXXXVI. Persae vero et Sardibus potiti erant, et Croesum vivum ceperant, postquam regnaverat quattuordecim annos, totidemque dies erat obsessus; qui adeo ex oraculi responso finem imposuit magno suo imperio. Captum vero Persae ad Cyrum duxerunt: (2) qui ingenti rogo, ad id ipsum exstructo, compedibus vinctum Croesum jussit imponi, et circa eum bis septem Lydorum filios; sive primitias has deo alicui offerre habens in animo, sive votum aliquod persolvere; sive etiam religiosum esse Croesum compererat, et rogo imposuit cupidus sciendi, an deus aliquis eum esset liberaturus, ne vivus combureretur. (3) Hoc quidem fecisse Cyrum aiunt; Croeso vero super pyram stanti in mentem venisse, quamquam cum tanta calamitate colluctanti, illud Solonis, quod sibi divino nutu fuisset dictum, Neminem viventem esse beatum. (4) Hoc ergo dictum ubi animum eius subierit, post longum silentium fertur ex imo pectore vocem edidisse, et ingemiscens ter nominasse Solonem. Tum Cyrum, aiunt, hoc audito, jussisse interpretes e Croeso quaerere, quis ille esset quem invocaret; illosque accedentes quaesivisse. (5) Sed Croesum initio nihil iis respondisse; ad extremum vero, quum urgeretur, dixisse: «Is est qui ut omnibus regibus in colloquium veniret, ego ingenti pecuniarum copiae praetulissem.»

Cujus responsi vim quum parum illi intelligerent, denuo quaerebant quid esset quod diceret. (6) Instantibus et operose urgentibus dixit demum quod res erat, quo pacto olim Solon ad se venisset Atheniensis, qui postquam omnes suas opes esset contemplatus, pro nihilo eas duxisset, talia scilicet loquutus, et ut sibi omnia evenirent prout ille dixisset; nec vero ea illum in se magis dixisse, quam in universum genus hominum, et in eos maxime qui sibi ipsis viderentur esse beati. Haec dum Croesus referebat, jam incenso rogo arsisse aiunt extrema circumcirca: (7) Cyrum vero, ubi ex interpretibus cognovit quae Croesus dixisset, poenitentia ductum, cogitantemque quid esset quod, quum ipse homo esset, alium hominem, qui sese non inferior fuisset felicitate, vivum igni traderet, ad haec veritum deorum vindictam, reputantemque quam nihil esset in rebus humanis stabile, ocyus restingui jussisse accensum ignem, Croesumque et qui cum eo aderant deduci; verum eos, quibus id mandatum esset, vim flammae non amplius potuisse superare.

LXXXVII. Ibi tum Croesum, aiunt Lydi, cognita Cyri mutatione sententiae, quum cerneret omnes homines restinguendo igni dare operam, nec coercere illum posse, exclamantem invocasse Apollinem, si quod a se donum ei gratum fuisset oblatum, nunc sibi adesset et ex praesenti malo se liberaret. (2) Ita inter lacrimas deum invocante Croeso, repente nubes, quum serenum et tranquillum adhuc fuisset coelum, esse contractas; coortaque tempestate, et vehementissimo effuso imbre, ignem esse exstinctum. (3) Tum Cyrum, qui ita intellexisset et deo acceptum et bonum virum esse Croesum, a rogo ad se jussisse eum deduci, atque in hunc modum interrogasse: «quis tibi hominum, Croese, persuasit, ut irruptione meam in ditionem facta hostis mihi quam amicus esse malueris?» (5) Cui ille respondit: «haec ego, o rex, feci tuo prospero, meo infausto fato. Caussa autem incepti fuit Graecorum deus, qui me ad bellum impulit suscipiendum. Nemo enim ita amens est, ut bellum praeferat paci, quum in hac filii sepeliant patres, in illo autem a patribus filii sepeliantur. Sed, haec ut it fierent, diis puto placuerat.»

LXXXVIII. Haec postquam Croesus locutus est, Cyrus vinculis solutum prope se jussit adsidere, et plurima eum observantia prosequebatur, intuensque mirabatur eum, cum ipse, tum omnes qui cum eo erant. (2) At ille, cogitabundus, silentium tenuit. Deinde vero conversus, ubi Persas vidit Lydorum urbem vastantes, «Utrum eloqui tibi, inquit, o rex, quod nunc sentio, an tacere hoc in tempore debeo?» Quem ubi Cyrus fidenter quae vellet dicere jussit, interrogans ille eum, ait: «Ingens haec hominum turba quid tandem tanto studio facere properat?» (3) Tum rex, «Urbem, inquit, tuam diripit, et opes tuas dissipat.» At Croesus respondit: «Neque meam urbem, nec meas opes diripit; nihil enim horum amplius ad me pertinet: sed tua agunt feruntque.»

LXXXIX. Advertit hoc Croesi dictum animum Cyri: itaque remotis caeteris interrogavit Croesum, quid animadverteret utile ipsi in his, quae fierent? Tum ille: «Quoniam dii, inquit, me tibi servum tradiderunt, aequum censeo ut, si quid melius in rebus video, id tibi indicem. (2) Persae natura protervi sunt, iidemque inopes. Quodsi igitur hos passus fueris raptam ingentem pecuniae vim sibi retinere, hoc tibi ab his credibile est eventurum: ut quisque istorum plurimis opibus fuerit potitus, ita maxime exspectare debebis hunc adversus te insurrecturum. (3) Nunc igitur ita fac, si tibi placuerit quod ego dico. Adpone ad omnes portas custodes ex satellitibus, qui exportantibus res auferant, dicentes, necesse esse ut earum decimae Jovi offerantur. Sic nec tu in odium illorum incurres, per vim eis res auferendo; et illi, justa te facere intelligentes, facient non inviti.»

XC. Haec audiens Cyrus supra modum gavisus est, ita illi bene monita videbantur. Igitur valde laudato Croeso, jussisque satellitibus exsequi quae ille monuerat, his verbis eum est adlocutus: «Croese, quoniam hoc tibi institutum est, ut viri regis bene facta dictaque exsequaris, pete quidquid muneris a me volueris in praesentia tibi dari.» (2) Et ille: «Domine, inquit, maxime gratum mihi feceris, si siveris me deum Graecorum, quem maxime omnium veneratus eram, missis hisce compedibus interrogare, Numquid illi fas sit bene de ipso meritos decipere?» (3) Quaerenti dein Cyro, quid rei esset, de qua illum accusans hanc a se gratiam peteret; altius repetens Croesus, consilia sua omnia exposuit, et oraculorum responsa, maximeque donaria deo a se dicata, et quo pacto concitatus oraculi responso bellum adversus Persas suscepisset. Haec commemorans eo devenit ut preces suas reperet, nimirum ut sibi liceret ista exprobrare deo. (4) Cui adridens Cyrus, «Et hoc, inquit, a me impetrabis, et quidquid alius idemtidem a me rogaveris.» His auditis Croesus Lydorum nonnullos Delphos misit, jussos positis ad templi limen compedibus sciscitari, annon puderet deum, quod oraculi responsis excitasset Croesum ad bellum Persis inferendum, injecta spe eversurum eum esse Cyri potentiam, unde tales ipsi primitiae evenissent? nempe compedes ei ostenderent. Hoc igitur sciscitari jussi sunt, et, num fas sit diis Graecorum, esse ingratis.

XCI. Lydis illuc profectis ac mandata exsecutis, Pythia fertur ita respondisse: «Sortem fato destinatam effugere etiam deus non potest. Croesus autem quinti genitoris peccatum luit; qui quum satelles fuisset Heraclidarum, mulieris dolo obsecutus, interemit dominum, illiusque dignitate potitus est, nihil ad ipsum pertinente. (2) Quamvis autem studuerit Apollo, ut ista Sardium calamitas incideret filiorum Croesi aetate, non vivente ipso Croeso, mutare tamen fata non potuit: sed, quantum illa permiserunt, tantum effecit, eique gratificatus est. Nam tribus annis distulit Sardium expugnationem: et hoc sciat Croesus, tribus post annis, quam fata destinarant, captum se esse. (3) Secundo loco quum in eo esset ut igne cremaretur, opem ei tulit. Jam quod ad oraculum spectat, immerito Croesus deum accusat. Praedixerat enim ei Apollo, si bellum Persis inferret, fore ut ingens everteret imperium. Croesus autem ad haec, si recte sibi consulere voluisset, debuerat denuo mittere sciscitatum, suumne, an Cyri imperium dixerit deus? Igitur quum non intellexerit responsum, nec denuo quaesierit, sibi ipsi tribuat culpam. (4)[TR12] Eidem vere etiam postremum consulenti respondit Apollo ea quae de mulo respondit: at ille ne hoc quidem intellexit. Nam mulus hic, Cyrus erat: quippe ex duabus diversis gentibus ortus, matre melioris conditionis, patre vero inferioris. Illa enim Meda erat, et quidem Astyagis filia, regis Medorum: hic vero Persa fuit, illorum subjectus imperio, et, quum inferior esset rebus omnibus, dominam suam in matrimonium duxit.» (5) Haec Lydis Pythia respondit; quae illi Sardes retulerunt, Croesoque nunciarunt. Quibus auditis, ille suam ipsius agnovit esse culpam, non dei. Quod igitur ad Croesi imperium spectat, et ad primam Ioniae sub alienum imperium redactionem, eo modo quo exposuimus res gestae sunt.

XCII. Donaria autem Croesi non ea solum, quae commemoravimus, sed et alia multa exstant in Graecia. Etenim Thebis Boeotiis tripus est aureus, quem Apollini dicavit Ismenio: Ephesi vero, boves aureae, et columnarum pleraeque: tum in Pronaea aede Delphis, clypeus aureus ingens. (2) Et haec quidem ad meam usque aetatem superfuerunt; alia vero interciderunt donaria. Ea autem, quae apud Branchidas Milesiorum consecraverat, aequalia erant pondere, ut audio, et similia eis quae sunt Delphis. (3) Et quae quidem Delphis et Amphiarai oraculo donavit, propria

ipsius fuerant et paternarum opum primitiae: reliqua vero donaria e facultatibus viri fuerunt inimici, qui Croeso, priusquam regnaret, fuerat in republica adversarius, Pantaleonti conciliare studens Lydorum regnum. (4) Erat autem Pantaleon Alyattae quidem filius, Croesi frater, at non ex eadem matre: nam Croesus ex Carica uxore natus erat Alyattae, Pantaleon vero ex Ionica. (5) Postquam autem tradito a patre imperio potitus erat Croesus, hominem illum, qui sibi erat adversatus, tribulis cruciatum necavit; et bona ejus, jam ante a se diis dicata, tunc eo quod diximus modo locis istis consecravit. Et haec quidem de donariis hactenus dicta sunto.

XCIII. Res admirandas, quae scripto consignentur, terra Lydia nullas admodum habet, prout aliae regiones; praeter auri ramenta, quae e Tmolo deferentur. Unum vero opus hominum exhibet multo maximum, post aegyptiorum utique et Babyloniorum opera. (2) Est ibi Alyattae sepulcrum, patris Croesi; cujus basis ex grandibus lapidibus confecta, reliquum monumentum terrae tumulus est, manibus hominum aggestus. Confecerunt illud homines forenses, opifices, et puellae corpore quaestum facientes. (3) Fuerunt autem ad meam usque aetatem in summo tumulo quinque termini, in quibus incisa scriptura indicabat quid a singulis confectum fuisset: adparebatque ex mensura, puellarum partem operis fuisse maximam. (4) Nam filiae populi Lydorum meretricantur omnes, dotem sibi colligentes hoc quaestu, quem faciunt donec nupturae sunt: se autem ipsae in matrimonium elocant. (5) Circuitus monumenti sex stadiorum est et duorum plethrorum: latitudo, plethrorum tredecim. Monumento contiguus est lacus ingens, quem Lydi referunt esse perennem; vocatur autem Gygaeus. Atque haec quidem ita se habent.

XCIV. Legibus autem utuntur Lydi similibus atque Graeci, praeterquam quod filias suas vitae tradant meretriciae. Primi vero hominum, quos novimus, aureos et argenteos procuderunt nummos[TR13] eisque usi sunt: primique etiam fuerunt mercium institores. (2) Narrant porro ipsi Lydi, lusus etiam hos, qui nunc et apud ipsos et apud Graecos in usu sunt, ipsorum fuisse inventum: per idem autem tempus, quo lusus isti apud se sint inventi, Tyrrheniam colonis a Lydis esse frequentatam. Eas res hunc in modum accidisse referunt. Regnante Atye, Manis filio, gravem annonae caritatem per totam fuisse Lydiam: et Lydos quidem aliquamdiu patienter tolerasse malum; deinde vero, quum non cessaret, quaesisse remedium, et alium aliud excogitasse. (3) Eo igitur tempore inventos esse et tesserarum et talorum ludum, et pilae caeterorumque lusuum omnium genera, exceptis calculis: horum enim inventionem sibi non vindicant Lydi. (4) Inventis autem istis adversus famem hunc in modum usos se esse narrant: duorum quorumque dierum alterum ludendo traduxisse totum, ne scilicet cibum requirerent: altero vero, intermissis lusibus, cibum cepisse. Hoc modo per duodeviginti annos traduxisse vitam. (5) Quum vero non remitteret malum, sed magis atque magis ingravesceret; tum quidem regem Lydos, bifariam divisos, in sortem misisse; quorum altera pars maneret, altera e patria terra exiret: et se ipsum quidem ei parti adtribuisse regem, cui sors eventura esset manendi, filium autem suum, cui nomen Tyrrheno, ei parti quae domo esset egressura. (6) Sortitione facta, hos quibus sors obvenerat patrio solo excedendi, Smyrnam descendisse, et constructis navibus, impositisque supellectilibus quaecumque ad usum commoda habuissent, profectos esse, victum et novas sedes quaerentes; donec multos praetervecti populos, in Umbriam pervenissent: ibi oppida condidisse, atque ad hunc usque diem habitare. (7) Mutato vero Lydorum nomine, adscita denominatione a regis filio, qui coloniam deduxerat, Tyrrhenos ab ea se ipsos vocasse. Lydi igitur, ut diximus, a Persis in servitutem sunt redacti.

XCV. Hinc jam anquirit narratio nostra, Cyrus ille quisnam fuerit, qui Croesi evertit imperium, et Persae qua ratione imperio Asiae sint potiti. (2) Igitur, quemadmodum quidam memorant Persarum, qui non extollere res Cyri, sed prout illae se habent referre student, ita ego scribam; quum possim triplices etiam alias de Cyro narrandi vias indicare. (3) Postquam Assyrii per annos quingentos et viginti superioris Asiae tenuerant imperium, primi deficere ab illis Medi coeperunt; qui pro libertate pugnantes cum Assyriis, strenue se gesserunt, excussoque servitutis jugo libertatem obtinuerunt. Post quos et reliquae gentes idem fecere quod Medi.

XCVI. Caeterum quum jam omnes per continentem populi propriis viverent legibus, tali modo rursus tyrannidi subjecti sunt. Fuit inter Medos vir sapiens, cui nomen erat Dejoces, filius Phraortae; qui quum ad tyrannidem adspiraret, ita se gessit. (2) Quum per vicos habitarent Medi, Dejoces jam ante apud suos probatus, tum magis etiam studiosiusque aequitatem data opera exercebat; idque, quum multa iniquitas per universam Mediam obtineret, tamen faciebat, quamvis sciret injustos inimicos esse justis. (3) Cujus mores ubi perspexerunt cives eumdem vicum incolentes, judicem illum sibi constituerunt. Et ille, ut qui principatum ambiret, rectum se aequumque praebuit,[TR14] eaque re laudem apud populares obtinuit haud exiguam; ita quidem ut reliquorum vicorum incolae, intelligentes Dejocem unum esse virum qui ex aequo jus diceret, quum antea iniquis sententiis saepe succubuissent, tunc, postquam hoc cognoverunt, libenter et ipsi Dejocem adirent qui lites suas dirimeret, et postremo nulli alii caussarum suarum judicium permitterent.

XCVII. Crescente vero in dies numero adcurrentium, utpote qui intelligerent lites ex vero terminari, animadvertens Dejoces omnia in se esse sita, jam non amplius pro tribunali sedere, ubi antea jus dicere consueverat, voluit, negavitque se porro lites judicaturum; nec enim e re sua esse, neglectis suis rebus totum diem dirimendis aliorum litibus impendere. (2) Inde quum rapinae iniquitatesque per vicos multo etiam magis, quam ante, grassarentur; concilio convocato Medi colloqui inter se de praesente rerum statu deliberareque instituerunt. (3) Ut autem ego existimo, amici maxime Dejocis verba fecerunt hujusmodi: «Profecto, hoc more utentes, non possumus amplius hanc terram incolere. Agite igitur, regem nobis constituamus: sic terra nostra bonis legibus administrabitur, et nos ad negotia nostra redibimus, nec ob hominum iniquitatem solum vertere cogemur.» Talia fere dicentes persuaserunt Medis, ut a rege gubernari vellent.

XCVIII. Tum continuo in deliberationem adducitur, quemnam sibi regem constituant; et frequens ab unoquoque proponitur laudaturque Dejoces, ad extremum communi consensu Rex creatur. Tum ille jussit eos aedes sibi aedificare dignas regno, et satellitibus ipsum munire: (2) quod et fecerunt Medi, aedesque ei aedificarunt amplas munitasque in ea regionis parte quam ipse definivit, et satellites ex universis Medis sibi eligere permiserunt. (3) Ille vero, postquam obtinuit imperium, coegit Medos unam urbem condere; quo hanc tuentes, reliqua oppida minus curarent. Obsequentibus etiam hac in re Medis, arcem exstruxit amplam validamque, hanc quae nunc Ecbatana vocatur, ita ut alius moenium orbis alio esset circumdatus: (4) et sic instituta erat haec arx, ut alius moenium orbis alio nonnisi propugnaculis esset excelsior. Quod ut fieret, adjuvabat partim quidem ipsius loci commoditas, quum esset collis: sed magis etiam data opera institutum

est opus, quum orbes universi sint septem, quorum in postremo regia est et thesauri. (5) Qui autem murus maximum conficit orbem, is Athenarum fere ambitum moenium amplitudine aequat. Jam primi orbis propugnacula alba sunt; secundi nigra; tertii orbis purpurea; quarti caerulea, quinti sandaracina: (6) ita cunctorum orbium propugnacula pigmentis sunt obducta; duorum vero postremorum orbium alter argentata propugnacula habet, alter inaurata.

XCIX. Haec igitur munimenta Dejoces sibi exstruxit et circa aedes suas: tum vero reliquum populum jussit circumcirca arcem habitare. (2) Constructis autem istis omnibus, ordinem primus Dejoces instituit hunc, ut nemini ad regem liceret ingredi, sed per internuncios omnia transigerentur, nec conspiceretur rex a quoquam: ad haec, ut ridere aut exspuere coram illo, utique omnibus factu turpe haberetur. (3) Adfectabat autem gravitatem istam hoc consilio, ne cernentes eum aequales et una cum eo educati, domoque orti non viliori, nec virtute inferiores, dolerent eique insidiarentur; sed ut diversae naturae homo illis videretur, ipsum non intuentibus.

C. His ita ordinatis, quum firmasset sibi imperium, in exercenda justitia valde severum se praebuit. Litigantes caussas suas scripto consignatas ad eum per internuncios intro mittebant; quas ille judicatas remittebat. (2) Hunc morem in judicandis caussis sequebatur: et reliqua etiam omnia recte ab eo ordinata erant. Si quem intellexisset protervius agentem, hunc ad se arcessitum inflicta pro delicti modo poena multabat: eaque caussa exploratores auscultatoresque per universam, cui imperabat, regionem habebat.

CI. Dejoces igitur solam Medicam nationem in unam contraxit, eique imperavit. Cujus nationis tot numero gentes [id est, tribus] sunt: Busae, Paretaceni, Struchates, Arizanti, Budei, Magi. Hae sunt tot Medorum gentes.

CII. Fuit autem Dejocis filius Phraortes, qui, mortuo Dejoce postquam tres et quinquaginta annos regnasset, suscepit imperium. Hic non contentus solis imperare Medis, expeditionem in Persas suscepit, hosque primos adgressus est, primosque imperio Medorum subjecit. (2) Deinde vero, quum esset horum duorum populorum dominus, validi utriusque, Asiam subegit, ab alio populo ad alium transiens. Postremo adversus Assyrios arma convertens, nempe Assyriorum illos qui Ninum tenebant, quique, quum antea omnibus imperassent, tunc sociis, quippe qui ab illis defecerant, erant nudati, caeterum felici rerum suarum statu utebantur; adversus hos postquam arma convertit Phraortes, periit et ipse, secundo et vicesimo anno quam regno erat potitus, et plurima pars copiarum ipsius.

CIII. Mortuo Phraorti successit Cyaxares, Phraortis filius, Dejocis nepos. Hic dicitur multo majoribus suis fortior fuisse: et primus in Asia centuriavit milites et per cohortes distribuit, primusque ordinavit ut seorsum in acie staret unumquodque militum genus, hastati, sagittarii, equites: quum prius omnia promiscue pariter fuissent confusa. (2) Idem hic est qui cum Lydis bellum gessit, quo tempore in ipsa pugna dies in noctem est conversus; quique totam supra Halyn fluvium Asiam sibi subjectam tenuit. Tum undique contractis copiis, quascumque sub potestate sua habebat, adversus Ninum arma convertit, patrem ulturus, et urbem hanc

exscindere cupiens. (3) At, superatis praelio Assyriis, dum Ninum circumsedit, ingruit adversus eum ingens Scytharum exercitus, duce rege Scytharum Madye, Protothyae filio: qui in Asiam irruperant, quum Cimmerios ex Europa ejecissent; quos dum fugientes persequebantur, ita in Medicam terram pervenerunt.

CIV. Est autem a Maeotide palude ad Phasin flumen atque Colchos expedito viatori iter triginta dierum; e Colchis vero non ita longo itinere perveniri potest in Mediam, sed unus duntaxat interjectus est populus, Saspires; quos ubi transieris, continuo Media occurrit. (2) Scythae tamen hac non irruperunt, sed per deflexum alia via superiore et multo longiore, Caucasaum montem a dextra habentes. Ibi tum Medi cum Scythis congressi, praelioque superati, Asiae imperium amiserunt; Scythae vero universa Asia sunt potiti.

CV. Inde aegyptum versus intendebant viam: sed Syriam Palaestinam ingressis occurrens aegypti rex Psammitichus, muneribus precibusque effecit, ut ulterius non progrederentur. Ubi regredientes Ascalonem venerunt, Syriae oppidum; maxima Scytharum parte sine maleficio praetergressa, pauci ex illis, pone sequentes, Veneris Coelestis templum despoliarunt. (2) Est autem illud, quantum sciscitans intelligo, ex omnibus hujus deae templis vetustissimum. Nam quod in Cypro est templum, hinc prodiit, ut ipsi etiam Cyprii narrant: et, quod Cytheris est, id Phoenices condiderunt, ex hac Syria oriundi. (3) His autem Scythis, qui templum Ascalonis exspoliarunt, eorumque semper posteris, inflixit dea muliebrem morbum; ita quidem ut etiam Scythae dicant, ob hanc caussam morbo hoc laborare illos, et apud se ab adeuntibus Scythicam terram conspici quo pacto adfecti sint, quos Enareas (sive androgynos) Scythae adpellant.

CVI. Igitur per octo et viginti annos Asiae imperium obtinuerunt Scythae; per eorumque proterviam et contemtum omnia susque deque versa sunt. Nam, praeter caedes, tributum exigebant quod a singulis imposuerant, et praeter tributum obequitantes rapiebant quod quique haberent. (2) Sed horum quidem majorem numerum Cyaxares et Medi, hospitio exceptos et mero inebriatos, obtruncarunt: atque ita regnum receperunt Medi, et rerum, quarum antea domini fuerant, denuo sunt potiti. (3) Tum vero et Ninum ceperunt (quam quo pacto ceperint, in aliis historiarum libris exponam), et Assyrios, excepta Babylonica ditione, sub potestatem suam redegerunt. Post haec Cyaxares, postquam quadraginta annos (simul numeratis his, quibus penes Scythas fuerat imperium) regnaverat, fato functus est.

CVII. Cyaxari in regnum successit filius Astyages. Huic nata erat filia, cui Mandanae imposuerat nomen: quae ei per somnum visa est tantum urinae fundere, ut et urbs ejus impleretur et tota inundaretur Asia. Quod somnium quum communicasset cum illis ex Magorum numero, qui somniorum interpretationi dabant operam, conterritus est, singula quaeque ab iis edoctus. (2) Tum deinde Mandanen, viro jam maturam, Medorum nulli, qui ipsius familia dignus fuisset, in matrimonium dedit, visum istud reformidans; verum Persae cuidam junxit, cui nomen Cambyses, quem repererat quidem bona familia ortum, et tranquillo hominem ingenio, caeterum quem inferioris esse conditionis, quam mediocrem Medum, judicaverat.

CVIII. Postquam domum duxit Cambyses Mandanen, primo anno aliud vidit visum Astyages. Videbatur ei ex naturalibus hujus filiae enasci vitis, eaque vitis universam obtinere Asiam. (2) Quo de viso sibi oblato quum retulisset ad somniorum interpretes, arcessivit ex Persis filiam partui vicinam; eamque, postquam advenit, in custodia habuit, interimere cogitans prolem ex ea nascituram: nam ex viso illo significaverant ei magi somniorum interpretes, prolem filiae hujus, loco ipsius, regno esse potiturum. (3) Haec igitur cavens Astyages, simul atque natus erat Cyrus, vocatum ad se Harpagum, virum sibi cognatum, et Medorum fidissimum, cui res suas crederet omnes, his compellavit verbis: «Harpage, quod tibi committo negotium, id cave ne ullo pacto neglectim tractes, neve me decipias, aliisque hominibus studens, tuis ipse artibus dehinc capiaris. Cape quem Mandane peperit puerum, et domum tuam deportatum occide; dein, quoquo modo volueris, sepelito.» (4) Respondit ille:[TR15] «Nec alias, o rex, vidist in hoc homine aliquid quod ingratum tibi fuisset; cavebimus vero etiam, ne in posterum quidquam in te delinquamus. Quare si tibi gratum est hoc ita fieri, oportet nempe, quod in me est, idoneam operam praestare.»

CIX. Hoc dato responso Harpagus, quum ei traditus esset puerulus ornatus ut in mortem, abiit flens domum suam: quo ubi venit, sermonem, quem secum Astyages habuerat, uxori suae retulit. (2) Cui illa, «Nunc ergo, inquit, quidnam facere cogitas?» Et ille: «Non quemadmodum mandavit Astyages; nec, si vel pejus, quam nunc, insanierit furiosusque fuerit, voluntati ejus obsequar, nec hujus caedis minister ero. (3) Multis autem de caussis hunc non occidam; quoniam et mihi cognatus est puer, et aetate provectus est Astyages, proleque caret mascula. Quodsi igitur post illius obitum in hanc filiam regnum transiturum est, cujus nunc puerum per me vult occidere, nonne mihi supererit ut hoc facto in summum discrimen adducar? Verumtamen meae ipsius salutis caussa necesse est ut moriatur hic puer: oportet autem ut interfecto ejus sit non aliquis meorum, sed ex ipsius Astyagis ministris.»

CX. His dictis, protinus nuncium misit ad unum ex Astyagis pastoribus, quem noverat pascua habere maxime idonea et montes feris frequentissimos. Nomen huic erat Mitradates; (2) uxorem autem habebat conservam suam, cui nomen, graeca lingua, erat Cyno; Medorum vero idiomate Spaco: canem enim spaca dicunt Medi. (3) Saltus autem montium, ubi boum pascua habebat hic bubulcus, ad septemtriones erant Ecbatanorum, Pontum Euxinum versus. Hoc enim in tractu, quem versus Saspires incolunt, montosa admodum est Medica terra, et alta, silvisque opaca, reliqua[TR16] vero Media plana est omnis. (4) Vocatus igitur bubulcus postquam nulla interposita mora advenit, haec ei dixit Harpagus: «Jubet te Astyages hunc puerulum sumere, et loco maxime deserto montium deponere, ut quam citissime pereat. Et hoc praeterea me jussit tibi dicere, nisi illum occideris, sed quocumque modo superstitem esse curaveris, pessimo exitio te ab ipso periturum. Mihi autem injunctum est, ut expositum inspiciam.»

CXI. His auditis bubulcus, accepto puerulo, rediit eadem via, et ad stabula pervenit. Forte autem fortuna accidit ut pastoris etiam hujus uxor, quum per totum diem parturiisset, tunc pepererit, quum pastor in urbem esset profectus. (2) Erant autem anxii uterque alterius caussa, ille timens partui uxoris; uxor autem, quod alioquin non solitus esset Harpagus ad se vocare ipsius maritum. Ut vero ex itinere redux adstitit pastor, tamquam ex insperato eum conspiciens mulier, prior ex illo quaesivit, quid esset quod tam propere eum ad se vocasset Harpagus. (3) Tum ille, «O mulier, inquit, urbem ingressus vidi audivique quae numquam videre me fas erat, nec umquam cadere

debebant nostros in dominos. Tota Harpagi domus fletu erat oppleta; et ego consternatus ivi intro. Ut primum intravi, vidi puerulum in medio positum, palpitantem clamitantemque, auro et variegata veste ornatum. (4) Harpagus ut me conspexit, jussit acceptum ocyus puerum asportare, in locoque feris maxime obnoxio montium deponere; Astyagem esse dicens, qui hoc mihi injungeret, multas adjiciens minas ni mandata exsequerer. Et ego sumens puerum asportavi, ratus esse alicujus e domesticis; nunquam enim exputare potuissem unde esset. (5) Stupebam autem videns auro pretiosaque veste ornatum puerum, ad haec vero planctum manifestum in Harpagi aedibus. Sed protinus in itinere totam rem cognovi ex famulo, qui me urbe egredientem comitatus est, infantemque mihi tradidit; esse scilicet puerum Mandana natum, Astyagis filia, et Cambyse, Cyri filio; Astyagem occidi eum jubere. Et ecce hic ille est!»

CXII. Haec dicens bubulcus, puerum detectum ostendit. Et illa, ut vidit puerum, magnum et formosum, lacrimans genuaque complectens mariti, oravit ut neutiquam illum exponeret. At ille negavit se aliter facere posse; adventuros enim ab Harpago speculatores, rem inspecturos; seque misere periturum, nisi imperata fecisset. (2) Mulier, ut viro non persuasit, iterum haec ei verba fecit: «Quoniam ergo persuadere tibi, ne exponas puerum, non possum; at tu, si utique necesse est ut conspiciatur expositus, ita fac. Nempe et ego peperi, et quidem mortuum enixa sum. (3) Hunc tu asporta et expone; puerum vero filiae Astyagis alamus ut a nobis progenitum: ita nec tu convinceris deliquisse adversus heros nostros, nec nobis male fuerit consultum. Defunctus enim regiam consequetur sepulturam; et, qui superstes est, vitam non amittet.»

CXIII.[TR17] Optime ad rem praesentem dicere mulier visa est pastori, et statim rem est exsecutus. Quem puerum morti traditurus attulerat, eum tradidit uxori: suum vero, qui mortuus erat, in vas illud, in quo alterum attulerat, imposuit; et omni cultu alterius pueri ornatum, in desertissimam regionem montium deportatum exposuit. (2) Postquam in tertium diem expositus infans fuit, in urbem proficiscitur pastor, subbubulcorum aliquo custode illius relicto; et ad Harpagum ingressus, paratum se esse, ait, cadaver pueruli ostendere. (3) Harpagus, missis satellitum suorum fidissimis, per hos inspexit, sepelivitque pastoris puerum. Quo sepulto, illum qui postmodum Cyrus adpellatus est sumsit enutrivitque pastoris uxor, aliud ei nomen, non Cyri, imponens.

CXIV. Is quum decem annorum esset puer, res quaedam accidit hujusmodi, quae eum cognitum fecit. Ludebat in eo vico, in quo erant boum greges quos diximus, ludebat autem in via publica: (2) et pueri cum eo colludentes regem suum elegerant hunc quem pastoris filium vulgo nominabant. Ille igitur horum aliis partes distribuebat aedificandi domos, aliis ut essent satellites, uni etiam eorum ut esset regis oculus, alii munus dedit intro ferendi nuncios; atque ita singulis proprias adsignaverat partes. (3) Quum autem unus horum puerorum colludens cum reliquis, qui erat Artembarei filius, nobilis inter Medos viri, mandatis Cyri non paruisset; jussit Cyrus ceteros pueros medium illum comprehendere. Qui quum ei morem gessissent, aspere admodum Cyrus tractavit puerum. (4) Ille vero, simul atque dimissus est, gravissime offensus, ut qui indigna sese passus esset, in urbem abiit; et apud patrem de his, quae ei a Cyro accidissent, acriter est conquestus; non a Cyro dicens (nec[TR18] enim jam tum erat ei hoc nomen), sed a filio bubulci Astyagis. (5) Et Artembares ira excandescens regem e vestigio adiit, filium secum ducens, et indigna se passum esse aiebat, dicens: «O rex, a tuo servo, qui bubulci est filius, in hunc modum (hic humeros filii ostendebat) contumelia sumus adfecti.»

CXV. Haec audiens conspiciensque Astyages, quum vellet honoris Artembaris gratia ulcisci filium, arcessivit bubulcum et puerum. Qui ubi adfuerunt ambo, Cyrum intuitus Astyages ait: «Tu vero, quum sis hujus talis hominis gnatus, ausus es filium hujus viri, qui apud me principe loco est, ita contumeliose tractare!» (2) Cui Cyrus ita respondit: «At equidem, o domine, cum eo sic egi jure meritoque. Nam colludentes ex vico nostro pueri, quorum in numero hic fuit, regem me constituerant;: visus enim illis eram ad hoc maxime idoneus. (3) Igitur reliqui pueri imperata faciebant; at hic dicto non erat audiens, et mandata nihili faciebat, donec tandem poena ei est inflicta. Quodsi ergo hujus rei caussa malum aliquod commerui, en tibi praesto sum!»

CXVI. Haec dum puer loquebatur, subiit Astyagem ut illum agnosceret; quum et faciei species convenire cum sua videretur, et responsum esse liberalius, et tempus expositionis cum aetate pueri videretur congruere. (2) Quibus rebus perculsus, aliquantum temporis continuit vocem. aegre tandem se recipiens, volensque Artembarem dimittere, quo pastorem solum secum relictum posset percunctari: «Artembares, inquit, haec equidem ita confecturus sum, ut nec tu nec filius tuus habeatis de quo conqueramini.» (3) Dimisso Artembare, Cyrum in interiora aedium introducunt famuli jussu Astyagis. Jamque solum relictum pastorem interrogavit Astyages, puerum hunc unde acceperit, et quis esset qui eum illi tradidisset: (4) et ille ex se progenitum, ait, matremque pueri adhuc domi suae vivere. Astyages vero, non bene illum sibi consulere, inquit, qui velit tormentis ad confitendum adigi: dumque haec loquitur, signum dat satellitibus ut corripiant hominem. (5) Tum ille, tormentis expromtis, ita demum rem, ut erat, declaravit: nempe a principio orsus, omnia persecutus est, nihil a veritate deflectens; denique ad preces descendit, et, ut veniam sibi rex daret, oravit.

CXVII. Astyages, postquam verum pastor erat confessus, jam minorem rationem culpae ejus habuit; sed Harpago vehementer indignatus, jussit satellites eum vocare. Qui ubi adfuit, quaesivit ex eo Astyages: Harpage, quonam genere mortis interfecisti puerum, quem tibi tradidi ex filia mea natum? (2) Harpagus, quum pastorem videret intus esse, non ad mendacia se convertit, ne veritate convictus caperetur; sed in hunc modum locutus est: «O rex, postquam puerum accepi, deliberavi mecum, anquirens quo pacto et tibi ex voluntate tua facerem, et, dum apud te culpa vacarem, nec filiae tuae, nec ipsi tibi, essem mea manu carnifex. (3) Igitur ita statui agendum. Pastori huic, ad me vocato, tradidi puerum, dicens te esse[TR19] qui illum occidi juberes: atque hoc dicens, non sum mentitus; tu enim ita jusseras. (4) Tradidi autem ei hoc modo, ut mandaverim, exponeret illum in deserto monte, et maneret observaretque donec vitam finiisset; multa huic comminatus nisi haec effecta dedisset. (5) Postquam hic imperata fecit, obiitque puer, tum eunuchorum fidelissimos misi, per eosque inspexi mortuum, et sepelivi. Tali modo, rex, gesta est haec res, talique fato functus est puer.» Sic igitur Harpagus ex vero rem exposuit.

CXVIII. Astyages autem, tegens iram quam adversus eum ob id factum animo conceptam habebat, primum ei rursus narravit rem prouti ex bubulco ipse audiverat; tum, postquam ei hoc repetierat, ad extremum dixit, superesse puerum, et, quae facta sint, bene habere. «Etenim (sic perrexit dicere) admissum in hunc puerum facinus et graviter ipse dolebam, et, quod in filiae meae offensionem incurrissem, haud leviter ferebam. (2) Nunc ergo feliciter[TR20] conversa

fortuna, tu tuum filium mitte ad hunc puerum recens advenam, et ipse quoque mihi ad coenam adesto; nam pro servato puero sacra diis, ad quos hic honos pertinet, sum facturus.»

CXIX. His auditis Harpagus adoravit regem, et admodum gratulatus sibi, quod et delictum commode ipsi cessisset, et quod felicibus auspiciis ad coenam esset vocatus, domum rediit. Quam ubi ingressus est, protinus filium, quem habuit unicum, tredecim fere annos natum, emittit, adire jubens Astyagis aedes, et facere quidquid ille jussisset. Ipse vero supra modum gavisus, narravit uxori quae evenissent. (2) At Astyages, ut ad eum venit Harpagi filius, jugulavit eum, et membratim concidens corpus, partim assavit carnes, partim elixavit; easque postquam recte paratae fuerunt, in promtu habuit. (3) Tum, ubi coenae adfuit hora, quum convenissent et reliqui convivae et Harpagus, aliis convivis et ipsi Astyagi adponebantur mensae carnibus agninis refertae; Harpago vero partes omnes corporis filii ipsius, excepto capite et extremis manibus pedibusque: haec enim seorsum in canistro reposita erant contecta. (4) Postquam satis pastus illo cibo sibi visus erat Harpagus, quaesivit ex eo Astyages, numquid delectatus esset epulo: qui ubi respondit, valde quidem se eo esse delectatum, attulerunt, quibus id mandatum erat, caput pueri obtectum et manus pedesque; et adstantes jusserunt Harpagum detegere, sumereque ex eis quidquid libuisset. (5) Harpagus obtemperans, ubi detexit, conspicit filii sui reliquias: quo quidem spectaculo non consternatus est, sed sui compos mansit. (6) Quaesivit autem ex eo Astyages, cognosceretne cujus ferae carnes comedisset? Cui ille, et noscere se, respondit, et placere sibi quidquid rex faceret. Hoc dato responso, sumtis secum reliquis carnibus, domum abiit. Inde collectas, ut puto, reliquias cunctas erat humaturus.

CXX. Hac ultione de Harpago capta, de Cyro deliberans Astyages eosdem vocavit magos, qui ei insomnium in istam partem interpretati erant. Qui ubi convenerunt, quaesivit ex iis, quam in partem interpretati essent insomnium. Illi vero eodem modo responderunt; dicentes, in fatis fuisse ut regnaret puer, si in vita mansisset, nec ante tempus decessisset. (2) Excepit Astyages: «Atqui vivit puer, et superest: et ruri agentem pueri ejusdem pagi regem elegerunt: atque ille, quaecumque faciunt vere nominati reges, cumulate fecit; nam et satellites, et janitores, et internuncios, et qui reliquis praeessent muneribus, habuit constitutos. Et nunc, quorsum vobis haec valere videntur?» (3) Responderunt magi: «Si superest puer, et regnavit non praemeditato, confide hactenus, et bono esto animo; non enim iterum regnabit. Nam in exiguum quidam etiam oraculorum nonnulla nobis exierunt; et quae de genere sunt insomniorum, ea quidem in admodum exile quidpiam subinde desinunt.» (4) Ad haec Astyages, «Et ipse ego, inquit, o magi, in hac maxime sum sententia, quod rex nominatus fuit puer, in eo exitum habere insomnium, nec eum porro esse mihi ullo modo timendum. Verum tamen, probe omnia circumspicientes, consulite mihi, quid futurum sit tutissimum et domui meae et vobis.» (5) Tum magi, «Nostra etiam, inquiunt, plurimi interest, ut firmum stet tuum regnum. Nam isto modo alienatur illud, si in hunc puerum transit, qui est Persa; et hos, Medi quum simus, servituri sumus, et nulla in existimatione erimus apud Persas, utpote extranei: te vero manente rege, qui popularis es noster, et regnamus ex nostra parte, et magnos a te honores obtinemus. (6) Ita igitur omnino et tibi et regno tuo debemus prospicere. Et nunc, si quid quod timendum esset cerneremus, cuncta tibi praedicturi eramus: at, quum jam in rem exilem exierit insomnium, et nos confidimus, et te ut idem facias hortamur. Hunc vero puerum e conspectu dimitte in Persas et ad suos parentes.»

CXXI. His auditis gavisus Astyages, Cyrum ad se vocatum his verbis compellat: «O puer, ego propter insomnii visum vanum injuria te adfeci; tu vero tuo fato superes. Nunc igitur securus abi in Persas; quo qui te comitentur, tecum mittam. Eo quum veneris, patrem ibi et matrem invenies, non ejus sortis cujus sunt Mithradates bubulcus illiusque uxor.»

CXXII. Haec quum dixisset Astyages, dimisit Cyrum. Quem, ad Cambysis aedes delatum, recepere parentes; receptumque, ubi quis esset cognovere, vehementi cum gaudio sunt amplexati, ut quem protinus a partu vitam finiisse sibi persuasissent: percunctatique sunt, quonam pacto superfuerit. (2) Et ille ipsis rem exposuit; dicens, se ipsum antea nescivisse, sed plurimum a vero aberrasse; in itinere autem omnia, quae sibi acciderint, rescivisse. Putasse enim esse filium bubulci Astyagis; sed ex Media huc iter facientem totam rem ex comitibus suis cognovisse. (3) Commemorabat autem educatum se fuisse a bubulci uxore; et hanc laudabat continenter, eratque ei sermonum argumentum omne Cyno. Quod nomen adripientes parentes ejus, quo magis divinitus superesse Persis videretur puer, sparserunt famam, fuisse Cyrum, quum expositus esset, a cane enutritum. Inde haec fama in vulgus manavit.

CXXIII. Jam virilem aetatem ingressum Cyrum, quum et fortissimus esset suorum aequalium et omnibus carissimus, solicitavit Harpagus donis missis, de Astyage cupiens capere ultionem. Nam a se, privato homine, intelligebat vindictam adversus Astyagem non posse existere: sed Cyrum videns subcrescentem, hunc sibi conciliare socium studuit, quae Cyrus passus erat cum sua conferens calamitate. (2) Sed jam antea hoc ab illo praeparatum erat: quum acerbus in Medos esset Astyages, Harpagus cum unoquoque principum Medorum colloquia miscens, persuaserat illis, necesse esse Cyrum rebus praeficere, et finem facere regno Astyagis. (3) His ita praeparatis, sic demum Cyro in Persis versanti aperire consilium suum cupiens Harpagus, quum aliter id efficere, custoditis itineribus, non posset, tali usus est commento. (4) Leporem callide instruxit; cujus ventri, ita rescisso ut nihil pilorum avelleret, prout erat, indidit libellum, in quo quae voluerat scripta erant: tum, consuto rursus ventre, leporem atque retia, veluti venatori, tradidit servorum fidissimo, eumque in Persas misit, ore tenus hoc adjiciens mandatum, ut Cyro leporem tradens simul diceret, necesse esse ut ille sua manu eum exenteret, neque quisquam hoc facienti adsit.

CXXIV. His rebus ita perfectis, Cyrus acceptum leporem aperit, et libellum in eo repertum perlegit, (2) in quo erant perscripta haec: «O fili Cambysis! quod te dii respiciunt; hoc enim absque esset, numquam tam mira usus esses fortuna: tu nunc de Astyage, tuo interfectore, cape poenas. Etenim ex hujus consilio tu perieras; deorum autem beneficio et meo superes. (3) Quae te omnia pridem puto cognovisse, quum quae tecum acta sunt, tum quae ego ab Astyage passus sum eo, quod te non occidi, sed pastori tradidi. Tu nunc, si mea volueris consilia sequi, quibus terris imperat Astyages, earum omnium rex eris. (4) Persuade Persis ut ab illo desciscant, exercitumque duc in Mediam: et, sive ego ab Astyage dux adversus te fuero nominatus, sive alius quisquam nobilium Medorum, habebis quae voles. Nam primi hi ipsi ab illo deficient, et tecum facientes, tollere Astyagem studebunt. Quare persuasus parata tibi hic quidem esse omnia, fac quae dixi, et fac celeriter!»

CXXV. His intellectis Cyrus secum deliberavit quo callidissimo modo Persas ad defectionem permoveret. Re deliberata, commodissimum hoc ei visum est consilium, quo nimirum etiam usus est. Conscriptis in libello quae voluit, concionem convocavit Persarum: tum aperiens libellum legensque, ait, Astyagem sese ducem constituere Persarum. «Nunc igitur,» perrexit, dicere, «edico vobis, Persae, praesto sitis singuli cum falcibus.» (2) Haec Cyrus pro concione dixit. Sunt autem Persarum plura genera; quorum nonnulla in concionem vocavit Cyrus, et ad deficiendum a Medis solicitavit. (3) Sunt autem ea haec, e quibus alii omnes Persae pendent: Pasargadae, Maraphii, Maspii. Ex his nobilissimi sunt Pasargadae, in quibus est Achaemenidarum familia, ex qua reges Persidae sunt prognati. (4) Alii vero Persae hi sunt: Panthialaei, Derusiaei, Germanii, qui omnes agrorum culturam exercent; reliqui sunt nomades, Dai, Mardi, Dropici, Sagartii.

CXXVI. Ut convenerunt omnes cum praedicto instrumento, ibi tum Cyrus, quum esset tractus Persicae regionis spinis obsitus, patens quaquaversum octodecim aut viginti stadia, hunc tractum jussit illos eadem die eruncare. (2) Proposito labore postquam perfuncti sunt Persae, iterum eisdem praedixit, ut in posterum diem adessent loti. Interim vero Cyrus caprarum oviumque et boum greges patris sui omnes in unum congregatos mactavit paravitque, quippe Persarum exercitum hisce excepturus, et vino farinaceisque cibis commodissimis; (3) utque postridie convenerunt Persae, recumbere in prato jussos lauto excepit epulo. Dein, postquam a coena surrexerunt, quaesivit ex his Cyrus, utra optabiliora ipsis viderentur: quae pridie habuerint, an praesentia? (4) Et illi, multum interesse, dixerunt: pridie enim omnia se mala habuisse, praesente vero die bona omnia. (5) Id verbum adripiens Cyrus, rem omnem, quam eis propositurus erat, aperuit dicens: «Viri Persae! ita vobis se res habet. Quod si me sequi volueritis, erunt vobis haec et infinita alia bona, eritisque omnibus servilibus laboribus expertes: me vero sequi nolentibus erunt labores hesternis similes innumeri. (6) Nunc ergo, mihi dicto audientes, estote liberi! Nam et ego divina sorte ad hoc natus mihi videor, ut haec bona in manus nostras congeram; et vos judico viros esse Medis non inferiores, quum aliis rebus, tum militari laude. Quae quum ita sint, desciscite quam primum ab Astyage!»

CXXVII. Igitur Persae, quum jam pridem aegre tulissent Medorum imperium, ducem nunc patronumque nacti, libenter in libertatem se vindicabant. Astyages vero, ut intellexit moliri haec Cyrum, misso nuncio, eum ad se vocavit. (2) Cui renunciare nuncium jussit Cyrus, prius se adventurum, quam gratum futurum esset Astyagi. Quo audito Astyages Medos armavit cunctos, ducemque eis, velut divinitus mente perculsus, praefecit Harpagum, oblitus quae adversus illum patraverat. (3) Medi, in bellum profecti, ubi Persis ad manus venerunt, pars eorum, quicumque consilii non erant participes, pugnam inibant; alii vero ad Persarum transierunt partes; sed plerique ultro cessantes a pugna, fugam capessebant.

CXXVIII. Ita turpiter dissoluto Medorum exercitu, ut rem cognovit Astyages, minitans Cyro, ait: «At ne sic quidem gaudebit Cyrus.» (2) His dictis, primum magos somniorum interpretes, qui ei ut Cyrum dimitteret persuaserant, e palis suspendit: deinde Medos, qui in urbe relicti erant, armavit, juvenes provectioresque aetate viros. (3) Quibus eductis, praelio cum Persis inito, victus est: et ipse Astyages, amissis quos eduxerat Medis, vivus in hostium venit potestatem.

CXXIX. Tum captivo Astyagi adstans Harpagus, laetitia ob illius casum gestiens, insultavit; et quum alia in eum acerba dicteria conjecit, tum respiciens ad coenam eam, qua filii carnes comedendas illi Astyages proposuerat, ex eo quaesivit, ecquid placeret ei servitus, qui modo rex fuisset? (2) Quem adspiciens Astyages, vicissim interrogavit, an suum faceret Cyri factum? Et Harpagus, suum merito censerit, ait, factum; se enim ipsum de eo suscipiendo ad Cyrum scripsisse. (3) Tum Astyages, longiorem exorsus sermonem, declaravit ineptissimum illum esse hominum omnium, simulque iniquissimum: ineptissimum quidem, qui, quum ipse potuisset rex evadere, si quoniam hae res per ipsum gestae sint, ad alium detulerit imperium: iniquissimum vero, quod propter coenam istam Medos in servitutem conjecisset. Quodsi enim oportuisset in alium quempiam transferre imperium, seseque destituere; aequius fuisse Medorum alicui tribuere hoc bonum, quam cuipiam ex Persis. Nunc vero Medos, culpa vacantes, servos factos esse pro dominis; Persas autem, quum Medorum pridem fuissent servi, dominos eorum evasisse.

CXXX. Igitur Astyages, postquam quinque et triginta annos regnaverat, ita regno exutus est: Medi vero, propter hujus acerbitatem, Persis succubuerunt; postquam imperium superioris trans Halyn fluvium Asiae per annos trecentos et duodetriginta tenuerant, demtis eis annis quibus penes Scythas fuerat imperium. (2) Postero quidem tempore poenituit eos hujus facti, desciveruntque a Dario: sed post defectionem denuo subacti sunt, praelio superati. Tunc Persae cum Cyro, postquam regnante Astyage adversus Medos rebellarant, Asiae regnum ab eo tempore obtinuere. Astyagem vero Cyrus, nullo alio malo adficiens, apud se tenuit donec vitam finivit. (3) Hoc igitur modo et natus et educatus Cyrus regnum obtinuit, et post haec Croesum, qui ipsum adgredi coeperat, devicit, quemadmodum a me supra expositum est: quo superato, universae Asiae imperavit.

CXXXI. Persas vero hisce uti institutis compertum habeo. Simulacra et templa et altaria statuere nefas existimant; stultitiamque his, qui hoc faciunt, imputant: scilicet, ut mihi videtur, quod non humanae similem naturam aut formam habere deos arbitrantur, sicuti Graeci. (2) Illis igitur mos est, Jovi in summis montium jugis facere sacra, universum coeli orbem Jovem nominantibus. Faciunt autem et Soli sacra, et Lunae, et Terrae, et Igni, et Aquae, et Ventis. (3) Et his quidem solis numinibus a priscis inde temporibus sacra faciunt. Addidicerunt vero etiam Uraniae sacrificare, ab Assyriis et Arabibus accepto ritu. Venerem autem Assyrii Mylitta nominant, Arabes vero Alitta; Persae Mitran.

CXXXII. Sacrificiorum autem, quae hisce diis peraguntur a Persis, talis est ratio. Nec altaria erigunt, nec ignem accendunt sacra facturi: libatione non utuntur, non tibia, non libis, non mola. (2) Ut cuique deo sacra quispiam vult facere, in locum mundum adducit victimam, deumque invocat, tiaram myrto maxime cinctam gestans. Non est autem licitum, ut sibi soli bona precetur sacrificans: sed cunctis Persis atque regi ut bene sit, precatur; quippe in cunctorum Persarum numero et ipse continetur. Postquam in frusta dissecuit victimam, carnesque elixavit, substernit herbas quam tenerrimas, maxime trifolium, hisque carnes omnes imponit. (3) Quibus ita dispositis, vir magus adstans accinit theogoniam quampiam, qualem illi esse incantationem dicunt: nam absque mago non fas est illis sacra facere. Interjecto brevi tempore, qui sacra fecit, carnes aufert, eisque utitur prout ei ratio suadet.

CXXXIII. Dierum omnium eum maxime celebrare moris est Persis, quo quisque natus est. Eo die aequum censent copiosius epulum quam alias adponere: et fortunatiores quidem eo die bovem, equum, camelum aut asinum adponunt integrum, in camino assatum; pauperiores vero minores adponunt pecudes. (2) Farinaceis cibariis paucis utuntur, obsoniis vero et secundis mensis multis, eisque non simul sed paulatim, inlatis. Quapropter Persae dicunt, Graecos, quum cibum capiunt, desinere esurire; quoniam post coenam nihil amplius, quod alicujus momenti sit, eis adponitur: si quid enim porro adponeretur, a comedendo non esse cessaturos. (3) Vino largiter admodum indulgent: nec vero vomere illis licet, nec urinam mittere, alio praesente; atque hoc illi ita observant. Dum autem vino largius indulgent, interim de rebus maxime seriis deliberare consuerunt: (4) quod vero deliberantibus placuit, id aedium herus, apud quem habita est deliberatio, postridie ejus diei jejunis proponit. Quodsi jejunis idem placet, hoc utuntur; sin minus, omittunt. Contra, quae jejuni sobriique ante deliberaverunt, ea vino madidi recognoscunt.

CXXXIV. Si qui in via sibi mutuo obviam veniunt, hac re cognoscere aliquis potest utrum eadem conditione sint qui sibi occurrunt: nempe hi, salutationis loco, ora invicem osculantur. Quodsi alteruter paulo est inferior, osculantur genas; si multo inferior, prostratus adorat alterum. (2) In honore autem habent, post sese mutuo, illos qui a se proxime habitant; post hos, qui his finitimi; et sic deinde in honore habendo pro ratione progrediuntur: minimeque omnium in honore habent hos, qui ab ipsis longissime remoti vivunt. Scilicet se ipsos hominum omnium arbitrantur esse longe praestantissimos; alios vero pro praedicta ratione virtutem colere; denique, qui ab ipsis longissime habitent, esse ignavissimos. (3) Quoad vero penes Medos fuerat imperium, etiam populi alter alteri imperabant: cunctis quidem Medi, et praesertim his qui proxime eis habitabant; hi vero, suis finitimis; et illi rursus his qui eos proxime attingebant. Et pari quoque ratione Persae in honore habent alios populos: nam similiter progrediendo alius populus alii praeest, et in illum imperii partem aliquam sibi commissam exercet.

CXXXV. Peregrina autem instituta admittunt Persae omnium hominum maxime. Etenim Medicam vestem, sua esse honestiorem existimantes, gestant; et ad bella aegyptiacos adoptarunt thoraces. Atque etiam voluptatum varia genera, ex aliis cognita, sectantur; et quidem pueris etiam ad venerem utuntur, a Graecis edocti. (2) Ducunt autem eorum quisque legitimas uxores multas, multo vero etiam plures habent pellices.

CXXXVI. Strenuitas et boni viri officium apud eos, post bellicam virtutem, aestimatur, si quis multos progenuit filios: et, qui plurimos edidit, huic quotannis dona mittuntur a rege. In multitudine enim existimant robur inesse. (2) Puerorum institutio, a quinto anno incipiens usque in vicesimum, ad sola haec tria refertur, equitare, arcu uti, et verum loqui. Priusquam quinquennis est puer, non venit in patris conspectum, sed apud mulieres vitam agit: (3) id ea fit caussa, ne, si dum ita educatur obit, dolorem adferat patri.

CXXXVII. Laudo equidem istud institutum: sed et hoc laudo, quod propter unam simplicem culpam nec rex ipse quemquam morte plectit, nec reliquorum Persarum quisquam unius culpae caussa in aliquem suorum atrocius quiddam et irreparabile committit: sed, subductis rationibus, postquam plura et majora esse delicta reperit quam praestita officia, sic demum irae indulget.

(2) Ut autem patrem aliquis aut matrem occiderit, id vero numquam aiunt accidisse: sed quaecumque talia adhuc facta sint, utique necesse esse aiunt, ut caussa curatius cognita reperiantur commissa ea esse aut a supposititiis aut adulterino sanguine natis; nec enim veri simile esse, ut, qui vere pater fuerit, a proprio filio occidatur.

CXXXVIII. Quaecumque vero illis facere non licet, ea nec dicere licitum est. Turpissimum autem apud eos habetur, mendacium dicere; alterum post hos, aes alienum habere; et hoc quidem quum aliis de caussis, tum quod necesse esse aiunt, ut, qui aes alienum habet, etiam subinde mendacium dicat. (2) Si quis e civibus lepra aut vitiligine est correptus, in urbem hic non intrat, nec cum aliis Persis consuetudinem habet. Dicunt autem, eo huic id accidisse, quod in Solem quidpiam deliquerit. (3) Peregrinum vero quemlibet, qui tali morbo laborat, frequentes terra ejiciunt: etiam columbas albas exturbant, eodem malo eas laborare existimantes. In fluvium neque immingunt, neque exspuunt, nec manus in eo abluunt, nec alium haec facere patiuntur: sed fluvios praecipue colunt.

CXXXIX. Porro hoc aliud habent Persae, quod ipsos quidem latet, at nos non praeterit. Scilicet nomina eorum, quae corporibus vel magnificentiae cujusque ipsorum respondent, desinunt omnia in eandem literam, quam Dores San, Iones Sigma vocant. In hanc literam, si volueris inquirere, reperies desinere Persarum nomina, non unum et alterum, sed pariter omnia.

CXL. Haec habui quae de Persis citra dubitationem bene gnarus dicerem. Istudo vero ut occultum refertur, nec satis aperte, quod ad vita functos spectat; scilicet, non prius sepeliri hominis Persae cadaver quam ab ave aut a cane sit discerptum. Et Magis quidem esse hoc institutum, certo scio: faciunt enim aperte. (2) Caeterum cera obductum cadaver terra condunt Persae. Magi vero multum, quum ab aliis hominibus differunt, tum a sacerdotibus aegyptiorum. (3) Hi enim nefas existimant, quidquam vivum necare, praeter ea quae diis immolant: Magi vero omnia manu sua occidunt, excepto cane atque homine; et in hoc studium etiam magnum ponunt, necantes perinde et formicas et angues, et alia reptilia atque volucria. Sed utcumque se habeat instituti genuina ratio, haec hactenus: redeo ad superiorem narrationem.

CXLI. Simul atque Lydi subacti a Persis fuere, Iones aeolesque legatos Sardes miserunt ad Cyrum, volentes eisdem conditionibus imperio ejus esse subjecti, quibus Croeso paruerant. (2) At ille, auditis eorum postulatis, fabulam eis narravit hujusmodi: Fuit olim tibicen, inquit, qui, piscibus conspectis in mari, tibia cecinit, ratus illos in terram esse egressuros. Is ubi spe frustratum se vidit, capit rete, et ingentem piscium numerum reti inclusum extraxit. Quos ubi vidit palpitantes, dixit eis: «Desinite nunc saltare, quum, me tibia canente, egredi saltareque nolueritis.» (3) Hanc fabulam Ionibus aeolibusque hac caussa Cyrus proposuit, quoniam ante id tempus Iones, per legatos invitati a Cyro ut a Croeso desciscerent, non paruerant; et tunc demum, confectis rebus, ad parendum Cyro erant parati. (4) Ille igitur, ira commotus, ista eis respondit. Quo responso ad Ionum civitates relato, muris singuli oppida sua cingebant, et ad Panionium congregabantur reliqui omnes praeter Milesios; cum his enim solis Cyrus foedus fecerat eisdem conditionibus quibus olim Lydus. Reliquis vero Ionibus placuit communi consilio Spartam legatos mittere, qui rogarent Spartanos ut Ionibus auxilio venirent.

CXLII. Iones hi autem, quorum est etiam Panionium illud, prae omnibus quos novimus hominibus oppida condita tenebant in terrae tractu temperie coeli aerisque longe praestantissimo. Etenim neque locorum superius sitorum eadem ratio est atque Ioniae, neque inferius sitorum; nec eorum quae orientem spectant, nec quae occidentem: quorum alia frigore aut humiditate premuntur, alia aestu et siccitate. (2) Lingua autem non utuntur eadem, sed quatuor modis deflexionum [dialectis]. Prima civitatum Miletus versus meridiem sita est; dein Myus et Priene: et hae quidem in Caria sitae sunt, et dialecto utuntur eadem. Istae vero in Lydia: Ephesus, Colophon, Lebedus, Teos, Clazomenae, Phocaea. (3) Atque hae civitates, ad sermonis characterem quod attinet, cum illis, quas ante nominavi, nihil commune habent, sed inter se conveniunt. Supersunt tres Ionicae civitates, quarum duae insulas incolunt, Samum atque Chium: tertia in continente sita est, Erythrae. (4) Ex his Chii et Erythraei eadem utuntur dialecto; Samii vero sua, ab aliis diversa. Hi sunt quattuor sermonis characteres.

CXLIII. Horum igitur Ionum Milesii tuti a metu erant, utpote foedus cum Cyro pacti. Qui autem ex eisdem insulas[TR21] incolebant, ne illi quidem quidquam metuebant: necdum enim eo tempore Phoenices Persarum imperio erant subjecti, nec Persae ipsi mare exercebant. (2) Separaverant se autem hi Iones (Milesii) a ceteris Ionibus, non aliam ob caussam, nisi quod, quum universa tunc stirps Hellenica infirma esset, populorum omnium infirmissimus et minimi momenti fuerit Ionicus: nam, praeter Athenas, nulla alia erat eorum civitas notabilis. (3) Quare et alii Iones et ipsi Athenienses nomen etiam fugiebant, nec Iones volebant adpellari: immo etiam nunc plerosque eorum pudet hujus nominis. Sed duodecim illae civitates gaudebant hoc nomine, et separatim ab aliis templum sibi statuerunt, cui Panionio imposuere nomen; decreveruntque nullos alios Ionas participes illius facere: nec vero etiam alii, ut in consortium reciperentur, petivere, praeter Smyrnaeos.

CXLIV. Simili ratione Dorienses, Pentapolin quae nunc vocatur incolentes, quae olim eadem Hexapolis nominata erat, cavent ne alios ullos ex finitimis Doriensibus in Triopici templi communionem recipiant; verum etiam suo de numero eos, qui adversus id templum scelus admiserant, communione excluserunt. (2) Nam quum in ludis Triopii Apollinis ex prisco instituto aurei tripodes donarentur victoribus; quos tripodas qui acceperant, his non licebat eos extra templum exportare, sed ibidem deo dedicare oportebat; civis quidam Halicarnassensis, cui nomen erat Agasicles, victoriam quum reportasset, spreta lege domum suam detulit tripodem et clavis ibi adfixit. (3) Hanc ob culpam quinque civitates, Lindus, Ialysus, Camirus, Cos et Cnidus, sextam civitatem Halicarnassum communione excluserunt. Talem illi his poenam inflixere.

CXLV. Quod autem duodecim civitates confecerunt Iones, nec plures voluerunt recipere, id ea caussa fecisse mihi videntur, quod etiam, quo tempore in Peloponneso habitaverant, totidem eorum fuerant regiones; quemadmodum nunc Achaeorum, qui Ionas expulerunt, duodecim regiones sunt: (2) prima Pellene, haud procul Sicyone; dein aegira, et aegae, in qua est Crathis amnis perennis, a quo et ille in Italia nomen accepit; tum Bura, et Helice, in quam confugerant Iones ab Achaeis praelio superati; et aegium, et Rhypes, et Patrenses, et Pharenses, et Olenus, in qua Pirus est amnis ingens; et Dyme et Tritaeenses, qui soli ex istis omnibus mediterranea habitant.

CXLVI. Hae sunt nunc duodecim Achaeorum regiones, quae olim ibi Ionum fuerant: qua nimirum de caussa etiam in Asia duodecim civitates confecerunt: nam, esse hos magis Ionas quam reliqui Iones, aut nobiliori quadam stirpe oriundos, id vero dicere magna foret stultitia. Sunt enim horum quidem haud minima pars Abantes ex Euboea, quibus nihil cum Ionia aut cum nomine isto commune est: admixti porro eis sunt Minyae Orchomenii, et Cadmei, et Dryopes, et Phocenses, qui a popularibus suis se sejunxerunt, et Molossi, et Arcades Pelasgi, et Dorienses Epidaurii; denique multae aliae gentes illis immixtae sunt. (2) qui vero eorum ex Athenarum prytaneo sunt profecti, nobilissimique censentur esse Ionum, hi vero uxores secum in coloniam non adduxerant, sed Caricas habebant uxores, quarum parentes occiderant. (3) Quam ob caedem mulieres hae legem sibi, juramento firmatam, imposuerunt, filiabusque suis tradiderunt, ne umquam cum maritis caperent cibum, nec maritum suum ulla nomine compellaret; hanc ob caussam, quod ipsarum parentes maritosque et liberos illi occidissent, et dein patrato hoc facinore ipsas duxissent uxores. Haec autem Mileti facta erant.

CXLVII. Reges vero sibi constituerant, alii Lycios, a Glauco Hippolochi filio oriundos; alii Cauconas Pylios, a Codro Melanthi filio; alii ex utroque genere. Enimvero nomen hi tuentur aliquanto acrius quam reliqui Iones. Sint vero etiam ipsi maxime genuini Iones: sunt tamen Iones omnes, quicumque ex Attica oriundi sunt, et Apaturia celebrant: (2) celebrant autem hoc festum omnes, exceptis Ephesiis et Colophoniis; hi enim soli ex Ionibus Apaturia non celebrant, idque ob caedis quandam quam afferunt caussam.

CXLVIII. Est autem Panionium sacer locus Mycalae, septentrionem spectans, communi Ionum consilio Neptuno Heliconio dedicatus. (2) Mycale autem promontorium est continentis, ab occidente Samum versus porrectum. Huc convenientes e civitatibus omnibus Iones festum celebrabant, quod Panionia nominabant. (3) Habent hoc autem non solum Ionum festa, sed etiam Graecorum omnium: ut eorum nomina in eandem desinant literam, quemadmodum etiam Persarum nomina.

CXLIX. Hae igitur, quas dixi, Ionum sunt civitates. aeolides vero civitates hae sunt: Cyme, Phriconis cognominata,[TR22] Larissae, Neotichos, Temnus, Cilla, Notium, aegiroessa, Pitane, aegaeae, Myrina, Grynea. (3) Hae sunt undecim aeolensium civitates antiquae: una enim eis ademta est ab Ionibus, Smyrna. Fuerant enim et hae civitates duodecim, in continente omnes sitae. Colebant autem hi aeolenses regionem, cui solum praestantius quam Ionum, caeterum coeli temperie Ionum regioni erat inferior.

CL. Smyrnam vero tali modo amiserant aeolenses. Cives Colophonios, qui in popularium seditione inferiores discesserant, patriaque fuerant pulsi, intra urbem suam receperunt. Post haec iidem exsules Colophonii, observato die quo Smyrnaei Baccho extra muros sacra faciebant, occlusis portis urbem tenuere. (2) Dein succurrentibus aeolensibus cunctis, fit pactum hac conditione, ut Iones omnia quae moveri possent aeolensibus redderent, aeolenses Smyrnam relinquerent. Quo facto, reliquae undecim civitates Smyrnaeos inter se dispertitae, in civium numerum receperunt.

CLI. Hae sunt igitur aeolensium civitates in continente sitae, praeter eas quae Idam incolunt; hae enim ab illis sejunctae sunt. Qui vero insulas obtinent, eorum quinque civitates Lesbum incolunt: nam sextam, quam in Lesbo condiderant, Arisbam, Methymnaei in servitutem redegerunt, quum essent consanguinei. In Tenedo vero una habitatur civitas; et in Centum-insulis quae vocantur, itidem una. (2) Lesbii igitur et Tenedii, quemadmodum Iones insulas incolentes, nihil metuebant: reliquis vero civitatibus communi consilio placuit Ionas sequi, quocumque hi ducerent.

CLII. Spartam ut venerunt Ionum aeolensiumque legati, (celeriter enim haec conficiebantur), oratorem qui nomine omnium verba faceret delegerunt civem Phocaeensem, cui nomen erat Pythermus. Et ille purpureo amictus pallio, quo major Spartanorum numerus, adventu eorum cognito, conveniret, in medium progressus, multa fecit verba, orans ut ipsis succurrerent. (2) At Lacedaemonii neutiquam audiebant, nec placebat eis opem ferre Ionibus. Itaque illi discesserunt: Lacedaemonii vero, rejectis Ionum legatis, tamen quinquaginta remorum navi viros emiserunt, res Cyri Ioniaeque ut mihi quidem videtur, exploraturos. (3) Qui quum Phocaeam adpulissent, Sardes miserunt e suis virum probatissimum, Lacrinen nomine, qui Lacedaemoniorum verbis ediceret Cyro, ne ulli civitati terrae Graeciae damnum inferret; se enim eam rem non neglecturos.

CLIII. Haec quum dixisset legatus, fertur Cyrus ex praesentibus Graecis quaesisse, quinam homines essent Lacedaemonii, quantaque illorum multitudo, qui haec ei edicerent. (2) Quae postquam ex his cognovit, legato Spartiatae respondit: «Numquam timui tales viros, qui in medio oppido locum habent designatum, in quo congregati, interposito juramento, sese invicem decipiunt: quibus, si ego valebo, accidet ut non de his quae Ionibus, sed quae sibi impendent, sint confabulaturi.» (3) Haec Cyrus in universos conjecit Graecos, eo quod fora publica habent, in quibus emtioni et venditioni dant operam: Persae autem foris non utuntur, nec est omnino apud illos forum rerum venalium. (4) Post haec vero, Sardium custodia Tabalo tradita, homini Persae, et auri transferendi cura, quod Croesi aliorumque Lydorum fuerat, Pactyae commissa, Lydo homini, ipse Ecbatana proficiscitur, Croesum secum ducens, Ionum autem, in praesentia certe, rationem nullam habens. (5) Obstabat enim Babylon, et Bactriana gens, et Sacae atque aegyptii, in quos ipse expeditionem cogitabat suscipere, adversus Ionas vero alium mittere ducem.

CLIV. Ut vero Sardibus discesserat Cyrus, Lydos Pactyas ad desciscendum a Tabalo et Cyro permovit: et ad mare profectus, quum aurum omne ex Sardibus in potestate haberet, auxilia mercede conduxit, maritimisque hominibus ut secum militarent persuasit. Tum exercitu adversus Sardes ducto, Tabalum oppugnavit, in arce conclusum.

CLV. Ea re in itinere cognita, Cyrus his verbus Croesum compellavit: «Croese, quis mihi erit harum rerum finis? Non desinent Lydi, uti videtur, et molestiam creare mihi, et ipsi sibi exhibere. Subit animum cogitatio, optimum fore, ut prorsus in servitutem eos redigam. (2) Similiter enim nunc mihi videor fecisse, atque si quis, quorum patrem occidisset, filiis pepercerit. Sic nempe et ego, quum te in potestate habens mecum ducam, qui amplius etiam aliquid quam pater illis fuisti,

ipsis Lydis urbem tradidi: ac dein miror, a me eos descivisse!» (3) Sic ille quae sentiebat dixit. Cui Croesus, veritus ne funditus everteret Sardes, his verbis respondit. «aequa sunt, inquit, o rex, quae dixisti. At tu tamen ne prorsus indulgeas irae, nec penitus evertas antiquam urbem, quae et ante actorum insons est, et eorum quae nunc aguntur. (4) Nam, quae ante acta sunt, ea ego feci, et meo capite culpam luo: quae vero nunc aguntur, eorum reus Pactyas est, cujus tu fidei Sardes commisisti; hic igitur tibi det poenas. Lydis vero dans veniam, haec illis impone, ne posthac a te deficiant, aut ullo modo metuendi sint. (5) Missis nunciis interdicito illis, ne arma possideant bellica; et tunicas jube eos sub palliis gestare, cothurnosque pro calceis induere: denique edic ut pueros suos instituant citharam pulsare, et canere, et mercaturam exercere: et mox videbis eos, o rex, feminas ex viris factos, ut porro non sit quod verearis ne a te deficiant.»

CLVI. Haec Cyro Croesus suasit, optabiliora Lydis ratus, quam in servitutem redigi et pro mancipiis vendi: pulcre quippe intelligebat, nisi probabilem adferret rationem, non persuasurum se esse Cyro, ut mutaret consilium; simul vero timebat, ne in posterum aliquando Lydi, si praesens periculum evasissent, desciscerent a Persis seseque perditum irent. (2) Cyrus admonitione Croesi gavisus, et de ira remittens, se ei pariturum ait: et vocato ad se Mazari, homini Medo, dat mandatum, ut, quae ipsi Croesus suaserat, illis imperaret; caeterum ceteros omnes, qui cum Lydis contra Sardes militassent, sub hasta venderet, ipsum autem Pactyam utique vivum ad se adduceret.

CLVII. His ille mandatis ex itinere datis, Persarum in sedes properavit. Pactyas autem, ubi rescivit in propinquo esse exercitum adversus se proficiscentem, timens sibi fugam capessivit, et Cymen pervenit. (2) Mazares, Medus, cum aliqua parte copiarum Cyri adversus Sardes ducens, ubi Pactyam non amplius Sardibus invenit, primum Lydos coegit Cyri mandata exsequi: cujus mandati consequens erat, ut omnem vitae rationem Lydi mutarent. (3) Dein nuncios Cymen misit Mazares, tradi Pactyam jubens. Cymaei vero statuerunt de consilio in hac re capiendo ad deum referre qui in Branchidis oracula edit. Erat enim ibi oraculum ab antiquis temporibus constitutum, quo et Iones omnes et aeolenses uti consueverant. Est autem locus ille in Milesiorum ditione, supra Panormum portum.

CLVIII. Missis igitur ad Branchidas legatis Cymaei quaesiverunt de Pactya, quidnam facientes gratum maxime diis essent facturi. Et interrogantibus respondit oraculum, dederent Pactyam Persis. Quod responsum ubi ad se relatum audivere Cymaei, tradere illum pararunt. (2) Quam in partem quum ferretur multitudo, Aristodicus Heraclidae filius, probatus vir inter cives, inhibuit eos ne id facerent, fidem non adhibens effato oraculi, existimansque vera non retulisse consultores. Denique alii denuo mittuntur legati, qui de Pactya iterum consultarent, quorum in numero Aristodicus erat.

CLIX. Hi ubi ad Branchidas venerunt, unus ex omnibus Aristodicus oraculum consuluit, interrogavitque his verbis: «O rex, venit ad nos supplex Pactyas Lydus mortem effugiens violentam, a Persis sibi imminentem. Hunc illi repetunt, Cymaeos illum sibi tradere jubentes. Nos vero, Persarum metuentes potentiam, tradere illum adhuc non sustinuimus, priusquam a te liquido nobis, utrum facere debeamus, declaretur.» (2) Hic postquam ita interrogavit, rursus

idem responsum deus dedit, tradere jubens Pactyam Persis. Tum Aristodicus hoc, a se praemeditatum, instituit facere: circa templum circummeans, passeres disturbavit aliaque avium genera, quae in templo nidificaverant. (3) Dum ille hoc facit, aiunt ex adyto prodiisse vocem, ad Aristodicum conversam, haec dicentem: «Scelestissime mortalium, quid est quod hic facere audes? Supplices meos ex meo templo evertis!» (4) Et Aristodicus, nil dubitans, respondisse ad haec fertur: «O rex, tu tuos supplices ipse ita tueris: Cymaeos vero jubes tradere supplicem!» Cui rursus deus regessit: «Aio et jubeo, quo vos impii ocyus pereatis; ne dehinc de prodendis supplicibus adeatis oraculum.»

CLX. Haec relata ubi audierunt Cymaei, quum nec prodendo hominem vellent ipsi perire, nec apud se servando oppugnari, Mytilenen eum emiserunt. (2) Mytilenaei vero, quum missis nunciis Mazares Pactyam repetiisset, parati erant eum tradere, pacti mercedem nescio quam; nec enim hoc perspicue traditum est; nec res effectum habuit: nam Cymaei, ut intellexerunt id agere Mytilenaeos, navi Lesbum missa, in Chium Pactyam transportarunt. (3) Inde vero, ex Minervae templo urbis Praesidis vi extractus a Chiis, Persis traditus est: tradiderunt eum autem Chii, mercedem pacti Atarneum; est autem Atarnensis hic ager in Mysia, ex adverso Lesbi. (4) Pactyam igitur sibi deditum Persae in custodia habuerunt, Cyri in conspectum volentes eum producere. Exinde vero multum effluxit temporis, quo nemo Chiorum mola ex hordeo Atarnensis illius agri deorum ulli litavit, aut ex frumento illinc allato libum coxit; quidquid ille progenuit ager, id ab omnibus sacrificiis procul habitum est.

CLXI. Postquam Pactyam Chii tradiderant, bello adgressus est Mazares eos qui cum illo Tabalum oppugnaverant. Et Prienenses quidem devictos sub corona vendidit; Maeandri vero campum universum incursans, itemque Magnesiam, exercitum praeda ditavit. His autem rebus gestis, paulo post morbo vitam finiit.

CLXII. Mortuo Mazare, advenit imperii in inferiore Asia successor Harpagus, natione itidem Medus; is qui a rege Medorum Astyage nefario epulo erat acceptus, quique Cyro in comparando regno sociam praestiterat operam. (2) Hic vir tunc a Cyro dux copiarum nominatus, ut in Ioniam pervenit, oppida aggeribus jactis capere instituit: scilicet oppidanos intra muros statim compulit, deinde adgestis ad muros aggeribus oppugnavit. Et primum quidem Ioniae oppidum, quod adgressus est, Phocaea fuit.

CLXIII. Phocaeenses hi longinquis navigationibus primi Graecorum usi erant: et Adriaticum mare et Tyrrheniam et Iberiam et Tartessum Graecis ostenderunt. Vehebantur autem non rotundis navibus, sed penteconteris [quae quinquaginta remis uno ordine instructae]. (2) Ac Tartessum quidem postquam venerunt, cari fuerunt regi Tartessiorum, cui erat nomen Arganthonius, qui octoginta annos Tartessiorum regno praefuit, vixit autem in universum annos centum et viginti. (3) Huic viro ita cari fuerunt Phocaeenses, ut primum quidem eos hortaretur, Ioniam relinquerent, et qua parte suae ditionis vellent, habitatum concederent; dein, ut hoc eis non persuasit, ex eisdem vero cognovit de ingruente Medorum potentia, pecuniam illis dedit ex qua murum urbi circumdarent; et largiter quidem dedit: nam circuitus muri haud pauca sunt stadia, et totus hic murus ex magnis lapidibus, eisque bene coaptatis, est exstructus.

CLXIV. Tali igitur modo perfectus erat Phocaeensium murus. Harpagus vero admoto exercitu urbem obsidens, conditionem proposuit, satis sibi fore, dicens, si unum modo propugnaculum muri dejicere Phocaeenses vellent, et unam habitationem dedicare (regi, in obedientiae ipsi argumentum). (2) Phocaeenses vero, aegerrime ferentes servitutem, unum diem se deliberaturos aiebant, ac deinde responsuros: interim vero dum deliberarent, postulabant ut exercitum a muro abduceret. (3) Quibus Harpagus, probe quidem se nosse, ait, quid essent facturi. Igitur dum a muro exercitum abducit Harpagus, Phocaeenses interim deductis quas habebant penteconteris navibus, liberos, et uxores, et quae moveri poterant omnia, eis imponunt; ad haec signis deorum templis, aliisque donariis, praeterquam quidquid aes aut lapis aut pictura esset, reliquis omnibus in naves impositis, ipsi eas conscendunt, et Chium versus navigant. Phocaeam autem hominibus vacuam Persae tenuerunt.

CLXV. Constituerant Phocaeenses a Chiis dato pretio oenussas quae vocantur insulas emere. Sed quum vendere eas nollent Chii, metuentes ne emporium fierent hae insulae, eaque re ipsorum insulae mercatu excluderentur, super haec in Corsicam (Cyrnum Graeci vocant) Phocaeenses sunt profecti. In Corsica enim vicesimo ante anno, oraculi monitu, oppidum condiderant, cui nomen Alalia. (2) Arganthonius vero illo tempore e vita jam discesserat. In Corsicam vero profecturi, prius ad Phocaeam adpulsis navibus, Persarum praesidium, cui ab Harpago custodia urbis mandata erat, interficiunt; (3) dein, hoc patrato, atroces diras imprecantur si quis ipsorum classem desereret. Ad haec ingentem ferri massam mari demergunt, jurantes non prius Phocaeam se redituros, quam massa illa e mari emersisset. (4) Sed dum in Corsicam abire parant, ultra dimidium civium desiderium cepit et misericordia urbis et consuetarum in patria terra sedium. Igitur hi, violato juramento, retro navigant Phocaeam. Caeteri vero, jusjurandum servantes, sublatis ancoris ex oenussis insulis sunt profecti.

CLXVI. Hi postquam in Corsicam pervenere, quinque annos una cum eis qui antea eo migraverant habitarunt, et templa ibi constituerunt. Caeterum quum vicinos omnes incursionibus praedationibusque molestarent, bellum eis communi consilio intulerunt Tyrrheni et Carthaginienses, utrique navibus sexaginta. (2) Quibus Phocaeenses, impletis suis navigiis, quae erant numero sexaginta, obviam ivere in Sardonium quod vocature mare. (3) Tum commisso praelio navali, Cadmea quaedam victoria obtigit Phocaeensibus: nam quadraginta ex eorum navibus perierunt; viginti autem reliquae, detortis rostris, inutiles sunt factae. (4) Inde Alaliam revecti, adsumtis liberis et uxoribus, et quidquid ex eorum facultatibus ferre naves possent, relicta Corsica, Rhegium navigarunt.

CLXVII. Homines vero, qui navibus depressis vecti erant, Carthaginienses et Tyrrheni, *** sortitique sunt eorum partem longe maximam: quos, in terram eductos, lapidibus obruêre. (2) Deinde Agyllaeis (sive Caeritibus), quidquid praeter eum locum, in quo lapidati Phocaeenses jacebant, praeteribat, id omne distortum, mutilum, aut membris captum reddebatur, perinde pecudes, jumenta, homines. (3) Itaque Delphos Agyllaei mittebant quaesituros quo pacto delictum possent expiare. Quos Pythia id facere jussit, quod etiam nunc Agyllaei faciunt: nempe magnifice illis parentant, et in eorum honorem ludos agunt gymnicos et equestres. (4) Igitur hi quidem ex Phocaeensium numero fato tali functi sunt. Qui vero eorum Rhegium se receperunt,

ii illinc profecti oppidum in terra oenotria condiderunt hoc quod nunc Hyela (sive Velia) nominatur. (5) Condiderunt illud autem, ab homine Posidoniata edocti jussos se esse Pythiae oraculo Cyrnum heroem colere, non insulam. Et haec quidem hactenus de rebus Phocaeensium, Ionicae civitatis.

CLXVIII. Similiter vero, atque hi, Teii etiam fecerunt. Nam postquam murum illorum, aggere jacto, cepit Harpagus, cuncti navibus conscensis abierunt, in Thraciamque navigarunt, et ibi Abderam condiderunt coloniam: quam quum ante eos Clazomenius Timesius condidisset, operae fructum non perceperat, sed a Thracibus erat ejectus: cui nunc honorem, ut heroi, habent Teii Abderam habitantes.

CLXIX. Isti igitur soli ex Ionibus fuere, qui servitutem non sustinentes, patrias sedes reliquerunt. Caeteri Iones, exceptis Milesiis, armis cum Harpago dimicarunt, quemadmodum hi qui terra excessere, fortesque viri fuerunt quique pro sua patria pugnantes; sed victi expugnatique, in sua quique patria manentes imperata fecerunt. (2) Milesii vero, qui, ut praedictum est, cum ipso Cyro foedus pepigerant, quietem habuerunt. Atque ita quidem Ionia iterum in servitutem redacta est. Postquam vero Ionas continentem incolentes subegit Harpagus, insulani Iones, horum exemplo perterriti, ultro se Cyro tradiderunt.

CLXX. His malis adflicti Iones quum nihilo minus ad Panionium convenirent, Biantem civem Prienensem audio saluberrimam illis aperuisse sententiam: quam si essent secuti, potuerant Graecorum omnium esse opulentissimi. (2) Hortabatur ille, ut sociata classe Iones vela darent ventis, et in Sardiniam navigarent, ibique unam Ionum omnium conderent civitatem: ita servitute liberatos, opulentos fore, insulam omnium maximam obtinentes, aliisque imperantes: qui si in Ionia manerent, non videre se, ait, quo pacto libertatem umquam sint recuperaturi. (3) Haec fuit Biantis sententia, quum jam perditae essent res Ionum. Sed etiam, priusquam pessum iret Ionia, salutaris fuerat Thaletis sententia, civis Milesii, qui generis originem e Phoenicia repetebat. Is Ionas erat hortatus, ut unam communem curiam haberent, quae esset Tei: Teum enim meditullium esse Ioniae: reliquae autem civitates, ab Ionibus habitatae nihilo minus suis uterentur institutis, perinde ac si singuli essent populi. Tales illis sententias duo hi viri in medium proposuerunt.

CLXXI. Ionica subacta Harpagus bellum intulit Caribus, Cauniis, atque Lyciis, simul et Ionas et aeolenses secum ducens. (2) Cares, quos dixi, ex insulis in continentem advenerant. Olim enim Minois imperio subjecti, Lelegesque nominati, insulas incoluerant: et tributum quidem, quoad ego auditu, ultima tempora repetens, potui cognoscere, nullum pependerant; sed, quoties Minos eorum opera indigebat, naves ejus compleverant. (3) Quandoquidem igitur multos terrae tractus Minos sibi subjecerat, et felicitate utebatur in bello, Carica gens omnium gentium per id tempus longe fuerat clarissima. (4) Ac tria illis inventa debentur, quibus Graeci usi sunt: nam et galeis cristas imponere primi Cares docuere, et signa clypeis insculpere; denique, qui clypeis ansas adjungerent, hi primi fuere, quum antea clypeos abseque ansis gestassent quicumque clypeis consueverant uti, coriaceis loris illos regentes, quae cervicibus et dexteris humeris circumligata habebant. (5) Deinde, multo tempore interjecto, Cares a Doriensibus et Ionibus ex

insulis sunt ejecti, atque ita in continentem pervenerunt. (6) Haec quidem de Caribus Cretenses memorant; at Cares ipsi his non adsentiuntur, sed a prima gentis origine continentem se autumant incoluisse, eodemque nomine semper fuisse adpellatos, quo nunc[TR23] utuntur. (7) Ostenduntque in oppido, cui Mylasa nomen, priscum Jovis Carii templum, quod quidem cum Mysis atque Lydis commune habent, ut qui consanguinei sint Carum; Lydum enim et Mysum fratres Caris aiunt fuisse.[TR24] Cum his igitur templum illud commune habent; sed quicumque ex alia gente sunt, quamvis eadem cum Caribus lingua utentes, ad hos communio illa nihil pertinet.

CLXXII. Caunii vero ex eadem, quam incolunt, terra oriundi mihi videntur; quamquam ipsi se Cretenses esse affirmant. Linguam vero aut ipsi ad Caricum populum adcommodarunt, aut Cares ad Caunium; nec enim hoc dijudicare liquido possum. Institutis autem utuntur longe et ab aliis populis et a Caribus discrepantibus; (2) habetur enim apud illos honestissimum, ut secundum aetatem atque amicitiam catervatim ad compotationes conveniant viri et mulieres et pueri. Iidem, quum prius templa constituta habuissent peregrinorum deorum, deinde mutata sententia, postquam eis placuit nonnisi patriis uti diis, arma capessiverunt cuncti puberes, et hastis aerem ferientes usque ad Calyndicos fines progressi sunt, dicentes se peregrinos ejicere deos. Talibus institutis Caunii utuntur.

CLXXIII. Lycii vero antiquitus ex Creta erant oriundi. Cretam enim omnem olim barbari tenebant. Quum vero de regno in Creta dissiderent Europae filii, Sarpedon et Minos, superior ex contentione discedens Minos, Sarpedonem ejusque asseclas ejecit. Tum hi, insula expulsi, in Asiam pervenerunt, in terram Milyadem: nam, quam regionem nunc Lycii incolunt, haec olim Milyas erat: Milyae vero Solymi tum nominabantur. (2) Aliquantum igitur temporis regnum in eos obtinuit Sarpedon: ipsi vero nominabantur, quod et olim nomen obtinuerant, et quo etiam nunc Lycii a finitimis adpellantur, Termilae. Ut vero Athenis Lycus, Pandionis filius, et ipse a fratres expulsus aegeo, in Termilas ad Sarpedonem pervenit, inde demum, a Lyci nomine, successu temporis, Lycii sunt adpellati. (3) Institutis autem utuntur partim Creticis, partim Caricis. Unum autem hocce proprium habent, nec cum ullis aliis hominum commune: sese ipsi a matribus nominant, non a patribus. Si quis ex altero, quis sit, quaerit; respondebit illi hic, esse se hujus vel illius matris filium, et matris suae matres a superioribus temporibus repetet. (4) Porro, si mulier, quae civis sit, servo nupserit, honesto loco nati censentur liberi: sin vir civis, atque etiam princeps civium, peregrinam aut uxorem aut pellicem habet, ignobiles erunt liberi.

CLXXIV. Jam Cares quidem, nullo claro edito facinore, subjugati sunt ab Harpago; nec vel Cares ipsi memorabile quidquam tunc gesserunt, nec quicumque natione Graeci illam regionem incolunt. (2) Incolunt autem quum alii, tum Lacedaemoniorum coloni Cnidii, quorum ager mari est obversus, Triopiumque vocatur. Initium capit Cnidiorum ditio a Bybassia peninsula, et est tota, exiguo excepto spatio, mari circumflua: nam quae pars ejus ad septemtrionem[TR25] spectat, eam Ceramius sinus includit; quae vero ad meridiem, mare quod ad Symen et Rhodum est. Istud igitur exiguum spatium, quod quinque fere stadiorum est, perfodere instituerunt Cnidii per id tempus quo Ioniam Harpagus subegit, cupientes ex agro suo insulam facere. (3) Erat autem universa eorum ditio intra isthmum; nam ubi illa versus continentem desinit, ibi is isthmus est, quem perfodiebant. Multorum igitur hominum manibus in opere occupatis, quum magis quam consentaneum erat laborarent et alia corporis membra et maxime oculi eorum qui opus

faciebant et petram perfringebant, ita ut adpareret non sine deorum numine id fieri; miserunt Delphos qui consulerent oraculum quidnam esset quod ipsis adversaretur. (4) Quibus Pythia, ut ipsi fatentur Cnidii, trimetro tenore haecce respondit:

Nec aggerate vos nec isthmum fodite:

nam, si placuisset, insulam dederat deus.

Quo accepto responso, Cnidii a fodiendo destitere; et Harpago cum exercitu advenienti ultro sese, nulla inita pugna, dediderunt.

CLXXV. Fuere autem Pedasenses, mediterranea super Halicarnassum habitantes: quibus quoties publice imminet aliquod incommodum, tam ipsis quam accolis, sacerdos femina Minervae ingentem emittit barbam; quae res illis ter accidit. (2) Hi soli ex omnibus Cariam habitantibus Harpago aliquamdiu resistere, et plurimam illi molestiam crearunt; quum montem, cui Lida nomen, muro muniissent.

CLXXVI. Et Pedasenses quidem haud multo post sunt expugnati. Lycii vero, ut in Xanthium campum Harpagus promovit exercitum, eductis copiis pugnam inierunt, pauci adversus multos, et egregia virtutis specimina edidere. Sed praelio superati, et in oppidum compulsi, congregatis in arcem uxoribus liberisque et rebus pretiosis et servis, ignem subjecerunt arci, ut tota concremaretur. (2) His factis, diris juramentis invicem adstricti, egressi sunt, et fortiter pugnantes Xanthii omnes obierunt. Eorum autem Lyciorum, qui nostra aetate Xanthios se esse praedicant, advenae sunt plerique, exceptis octoginta familiis; quae familiae octoginta tunc temporis forte domo aberant, atque ita superfuerunt. (3) Xantho igitur tali modo potitus Harpagus est. Simili vero ratione etiam Cauno est potitus; nam et Caunii majori ex parte Lycios sunt imitati.

CLXXVII. Inferiorem igitur Asiam subegit Harpagus, superiora autem Asiae Cyrus ipse, singulos populos in potestatem suam redigens, nullumque praetermittens. Quorum pleraque silentio nos praeteribimus: quae vero plurimo cum labore gessit et quae prae caeteris maxime sunt memorabilia, eorum faciam mentionem.

CLXXVIII. Universo continente inferioris Asiae potestati suae subjecto, Assyrios Cyros adgressus est. Sunt autem Assyriae quum aliae urbes insignes multae, tum clarissima omnium et munitissima, quae post Ninum eversam regia sedes erat, Babylon; cujus haec erat conditio. (2) Sita in ampla planitie, formam habet quadratam, cujus quodque latus centum et viginti stadia metitur: ita totius urbis circuitus conficitur quadringentorum octoginta stadiorum. Haec amplitudo est urbis Babyloniae. Exornata vero instructaque erat ita, ut nulla alia cujus ad nos notitia pervenit. (3) Statim fossa eam circumdat alta lataque, et aqua numquam non repleta:

dein murus, cujus latitudo quinquaginta cubitorum regiorum est, altitudo ducentorum cubitorum. Est autem cubitus regius major vulgari tribus digitis.

CLXXIX. Oportet vero ad haec me declarare, quem in usum insumta sit terra e fossa egesta, et murus ille quo pacto fuerit confectus. Ut fossam fodiebant, ita simul terram e fossa egestam formabant in lateres: utque laterum probabilem numerum duxerant, ita eos in fornacibus coquebant. Tum loco calcis asphalto calida utentes, et tricesimo cuique laterum ordini arundinum texta interstipantes, primum labia construxerunt fossae, deinde ipsum murum eodem modo. (2) Super muro vero in utriusque lateris ora aedificarunt unius conclavis domunculas, sibi invicem obversas, medium autem spatium tantum reliquerunt, ut circumagi in eo quadrigae possent. In muro circumcirca centum sunt portae, aeneae omnes; et postes etiam, et superiora limina, itidem ex aere. (3) Est autem aliud oppidum octo dierum itinere distans a Babylone, cui nomen Is. Ibi fluvius est, non magnus, cui et ipsi Is nomen, qui in Euphratem undam suam infundit. Hic igitur Is fluvius simul cum unda sua multos edit grumos asphalti: unde ad aedificandum murum Babylonis asphaltus devecta est.

CLXXX. Tali igitur modo munita Babylon est. Sunt autem duae urbis regiones. mediam enim perfluit et in duas partes dividit flumen, cui nomen Euphrates. Is ex Armenia fluit amplus et altus atque rapidus; exonerat se autem in Erythraeum mare. (2) Murus igitur utrimque brachia ad flumen usque ducta habet: inde inflexa procedit utrimque maceria ex coctili latere, quae utrique fluminis labio praetenditur. (3) Urbs ipsa domibus repleta est trium aut quatuor tabulatorum; per eamque ductae sunt viae ad lineam directae, quum ceterae, tum eae quae e transverso ad flumen pertinent. (4) Ad harum viarum quamque apertae sunt in maceria juxta flumen decurrente portae minores, totidem numero quot viae sunt: atque etiam hae portae ex aere sunt, per quas ad ipsum flumen transitur.

CLXXXI. Murus quem dixi, robur praecipuum munimenti est: circumductus est autem interius alius murus, haud multo infirmior altero, sed angustior. In medio autem utriusque regionis, in quas urbs dividitur, exstructa erat, in altera quidem regia aula, vasto circuito validoque; in altera, Jovis Beli templum aeneis portis instructum, quod nunc etiam superest, duo stadia quaquaversum metiens, forma quadrata. (2) Hujus in templi medio turris solida exstructa est, unum stadium tam in longitudinem quam in latitudinem patens: et super hac turri erecta est alia, iterumque super hac alia, ad octo turres numero. (3) Hae turres conscenduntur extrinsecus, via circum omnes sursum ducente: in medio vero adscensu diversorium est, et sellae in quibus residentes requiescere possint qui adscendunt. (4) Extremae turri templum superstructum est amplum: quo in templo stratus lectus magnus, juxtaque eum adposita mensa aurea. (5) Imago autem aut statua nulla inest, neque pernoctat ibi quisquam mortalium, praeter unam mulierem ex indigenis, quamcumque ex omnibus selegerit deus, ut Chaldaei aiunt, qui sunt hujus dei sacerdotes.

CLXXXII. Narrant autem iidem, quod mihi quidem non persuadent, ventitare ipsum deum in istud templum, et in lecto illo quiescere, sicut Thebis aegyptiis fit eodem modo, ut aegyptii narrant; nam et ibi in Jovis Thebani templo decumbit mulier: utramque autem harum cum nullo viro aiunt

habere consuetudinem: (2) similiterque Pataris in Lycia fatidica dei sacerdos, suo quidem tempore; nec enim constanter ibi est oraculum: quod si est, tunc qualibet nocte cum deo illa in templo includitur.

CLXXXIII. Est autem in Babylonico templo alia etiam aedes inferne: ubi magnum est simulacrum Jovis sedentis, aureum, cui mensa magna adposita aurea, et scabellum et sella ex auro: omnia haec, ut narraverunt Chaldaei, ex octingentis auri talentis confecta. (2) Extra templum vero altare est aureum. Estque praeterea alia ara ingens, ubi justae aetatis mactantur victimae; nam ad auream illam aram non nisi lactentes mactare pecudes fas est. (3) In majore ara vero adolent etiam singulis annis Chaldaei mille thuris talenta, quo tempore festos dies huic deo agunt. (4) Erat autem illa adhuc aetate in eodem templo statua solida ex auro, duodecim cubitorum: quam ego quidem non vidi, refero autem quae a Chaldaeis narrantur. (5) Huic statuae insidiatus Darius, Hystaspis filius, non tamen ausus est eam auferre: Xerxes vero Darii filius abstulit, occiso sacerdote, qui, ut statum loco moveret, conatus erat prohibere. Atque ita quidem exornatum illud templum erat: exstant vero in eodem complura etiam privata donaria.

CLXXXIV. Babylonis hujus quum multi alii fuerant reges, qui et urbem et templa exornarunt, quorum in Assyriarum rerum historia faciam mentionem: tum in his etiam duae mulieres. (2) Harum illa, quae prior regnavit, posteriorem quinque generationibus antecessit, eique nomen fuit Semiramis; quae aggeres per planitiem excitavit spectatu dignos, quum antea fluvius per universum campum solitus esset restagnare.

CLXXXV. Altera, quae post hanc regnavit, nomine Nitocris, quae priore regina fuit intelligentior, partim monumenta reliquit, quae commemorabo; partim, quum Medorum imperium amplum videret nec agens quietem, quod et alia multa oppida ab illis capta essent, et in his Ninus, praemunivit se adversus illos quam maxime potuit. (2) Primum quidem Euphratum fluvium, qui Babylonem perfluit, quum antea recto cursu fluxisset, hunc illa, fossis superne ductis, ita tortuosum reddidit, ut ter in suo cursu ad quempiam Assyriae vicum perveniat. (3) Ardericca vici nomen est, ad quem ita Euphrates accedit. Et nunc, qui ab hoc nostro mari Babylonem proficiscuntur, quum Euphrate fluvio versus illam descendunt, ter ad eumdem vicum accedunt, quidem tribus deinceps diebus. (4) Hoc tale ab illa effectum est. Praeterea aggerem ad utramque fluvii ripam adgessit miratu dignum, quum latitudinis caussa, tum altitudinis. (5) Longe vero supra Babylonem alveum effodit recipiendo lacui, nonnihil deflectens a flumine; et in altitudinem quidem ubique fodit usque dum aqua scaturiret, in amplitudinem vero circuitum alvei fecit quadringentorum et viginti stadiorum: terram autem ex fossa egestam insumsit in aggeres juxta ripam fluvii jaciendos. (6) Tum, absoluto effodiendi labore, advectis lapidibus, totum alveum circumcirca crepidine munivit. Duo autem ista opera fecit, flumen tortuosum, et ex effosso alveo lacunam, hoc consilio, ut lentius flueret flumen, multis flexibus fracto illius impetu, utque flexuosa fieret navigatio Babylonem, et post navigationem exciperet accedentes longus circa lacunam anfractus. (7) Ab ea autem parte terrae Babyloniae fecit haec Nitocris, qua erat ex Media introitus et iter brevissimum; ne Medi sese ingerentes, res ipsius specularentur.

CLXXXVI. Has igitur munitiones illa ex profundo sibi circumdedit: quibus tale quoddam corollarium, alteri instituto veluti medium interponens, adjecit. Quum in duas regiones divisa urbs esset, quarum medium fluvius obtinebat; superiorum regum aetate, quoties ex una regione in alteram vellet aliquis transire, navigio erat transeundum. Quod quum, ut equidem existimo, esset molestum, (2) illa huic quoque rei providit. Ut enim alveum stagno recipiendo effodit, simul aliud hoc monumentum ejusdem operae reliquit. Lapides caedendos curavit permagnos: qui postquam fuere parati, effosusque locus fuit quem dixi, in hunc ipsum effossum locum cursum omnem fluminis avertit; qui locus ut implebatur, ita vetus fluminis alveus exsiccabatur. Igitur per id tempus partim fluvii labia, qua is per urbem decurrit, ac descensus qui ex minoribus portis ad flumen ducunt, coctis lateribus eodem modo, quo murus structus erat, exaedificavit: partim, in media fere urbe, ex lapidibus, quos exscindi jusserat, pontem aedificavit, ferro et plumo lapides vinciens. (3) Eo super ponte interdiu quotidie tigna quadrata intendebantur, quibus transirent Babylonii; noctu vero tollebantur haec tigna, ea caussa, ne per noctem ex altera urbis regione in alteram transeuntes furta exercerent. (4) Postquam fossa lacus fuerat factus aqua fluminis repletus, perfectusque pons fuerat; tum deinde Euphrates fluvius in pristinum alveum ex lacu iterum est derivatus: atque ita, quum effossus locus palus fieret, commode hoc recteque factum visum est, et civibus pons erat exstructus.

CLXXXVII. Eadem regina dolum etiam quempiam machinata est hujusmodi. Super porta urbis celeberrima sepulcrum exstrui sibi jussit sublime, in summo ipsius portae. Ei sepulcro inscriptionem incidi curavit in hanc sententiam: SI QUIS EORUM, QUI POST ME REGES ERUNT BABYLONIS, PECUNIA INDIGUERIT, APERIAT HOC SEPULCRUM, ET SUMAT QUANTUM VOLUERIT PECUNIae. AT, NISI ADMODUM INDIGUERIT, UTIQUE NON APERIAT. NEC ENIM ID ILLI PROFUERIT. (2) Hoc sepulcrum intactum stetit, donec regnum ad Darium pervenit. Dario vero indigna res esse videbatur, hac porta non uti, et pecuniam quae ibi deposita esset, atque etiam ipsa invitaret, non auferre. Porta hac autem non utebatur eo, quod per illam transeunti cadaver capiti immineret. (3) Igitur aperuit sepulcrum: at pecuniam quidem repperit nullam, sed cadaver, et aliam inscriptionem his fere verbis conceptam: NISI INSATIABILIS ESSES ET TURPI LUCRO INHIANS, DEFUNCTORUM LOCULOS NON APERUISSES. Haec sunt quae de regione hac memorantur.

CLXXXVIII. Ejusdem hujus reginae filium, Assyriae regem, cui nomen erat Labynetus, idem quod patri, bello petiit Cyrus. Proficiscitur autem in bellum rex magnus, bene instructus domo farinaceis cibariis et pecudibus: atque etiam aquam ex Choaspe fluvio secum vehit, qui Susa praeterfluit, ex quo solo rex bibit neque ex ullo alio fluvio. (2) Hoc ex Choaspe aquam decoctam vehentes in vasis argenteis quam plurimi currus quattuor rotarum mulis juncti constanter eum sequuntur quocumque proficiscitur.

CLXXXIX. Cyrus igitur adversus Babylonem proficiscens ubi ad Gynden amnem pervenit; qui fontes in Matianis montibus habens, postquam per Dardanenses perfluit, in alium fluvium Tigrin sese exonerat, qui Opin oppidum praeterfluens in Erythraeum mare infunditur; hunc Gynden fluvium, qui navibus poterat trajici, quum transire Cyrus conaretur; ibi tunc unus e sacris equis candidis, ferox et petulans ut erat, ingressus flumen, transire conabatur: at fluminis impetus, illum contorquens, demersum abripuit.[TR26] (2) Cui fluvio vehementer ob hanc contumeliam iratus Cyrus, minatus est, ita tenuem illum se effecturum, ut posthac mulieres etiam, ne genu

quidem madefacientes, possint transire. (3) Haec minatus, omissa adversus Babylonem expeditione, exercitum bifariam divisit: eoque facto, intentis funibus designavit ab utraque Gyndae ripa centum et octoginta fossas, quaquaversum ducendas; distributumque exercitum has fossas fodere jussit. (4) Igitur, magna hominum multitudine opus faciente, effectum quidem est opus; verumtamen totam aestatem in eodem hoc loco opus facientes consumsere.

CXC. Postquam Gyndae fluvio hanc poenam inflixit Cyrus, ut in trecentos sexaginta canales essent diductus, altero demum adpetente vere adversus Babylonem exercitum duxit. (2) Et Babylonii,[TR27] copiis extra urbem eductis, eum exspectarunt. Ubi propius urbem accessit, praelio cum eo conflixerunt Babylonii, quo praelio superati, in urbem sunt compulsi. Jam pridem vero, bene gnari non quieturum Cyrum, quum vidissent eum cunctos pariter populos adgredi, permultorum annorum commeatum in urbem comportaverant. (3) Quare hi quidem non admodum graviter ferebant obsiditionem: at Cyrus magnis difficultatibus premebatur, quandoquidem multo jam tempore circumacto nihil admodum promotae res ejus erant.

CXCI. Igitur, sive quis alius ei dubitanti consilium subgessit, sive ipse quid faciendum esset intellexit, hoc facere instituit. Universo exercitu circa flumen disposito, ab ea maxime parte qua urbem influit, partim vero etiam a tergo ubi ex urbe egreditur, praedixit militibus, ut, quum viderint vado transiri flumen posse, tunc ea via urbem ingrediantur. (2) Hoc dato mandato, ipse cum inutili copiarum parte abiit, et ad lacunam contendit. Quo ut pervenit, quod Babyloniorum regina circa flumen et circa paludem feceret, idem nunc ipse Cyrus fecit. (3) Fluvio per fossam in eum locum, qui nunc palus erat, derivato, pristinum alveum vado pervium reddidit, subsidente aqua. Quo facto Persae, qui ad hoc ipsum ibi dispositi erant, per alveum Euphratis fluvii, cujus aqua in tantum retrogressa erat, ut vix medium femur hominis attingeret, per hunc alveum Babylonem sunt ingressi. (4) Quodsi igitur aut ante cognovissent aut animadvertissent Babylonii quae Cyrus instituebat, sane non passi essent Persas urbem intrare, sed misere perdidissent. Quippe si portulas omnes, quae ad flumen pertinent, clausissent, ipsique macerias conscendissent secundum utramque fluminis ripam ductas, veluti in nassa capturi illos fuerant. (5) Nunc ex inopinato adstiterunt eis Persae. Propter amplitudinem vero urbis, ut aiunt ejus incolae, postquam captae jam erant extremae urbis partes, qui mediam Babylonem incolebant, non animadverterunt captos se esse; sed quum festus forte tunc ageretur dies, saltabant per id tempus et voluptatibus indulgebant, donec tandem verum resciverunt. Atque ita quidem tunc primum capta est Babylon.

CXII. Opes autem quantae sint Babyloniorum, quum aliis documentis declarabo, tum hoc. Magno regi, praeter tributa quae ei penduntur, universa terra cui imperat, ad alendum ipsum et exercitum ejus, in certas partes est distributa. (2) Jam quum in anno duodecim sint menses, per quattuor menses alit eum Babylonia terra; per octo reliquos menses, tota reliqua Asia. Ita Assyria haec terra tertiam partem possidet opum totius Asiae: (3) et praefectura hujus regionis (Satrapias Persae vocant) omnium praefecturarum longe est praestantissima; quandoquidem Tritantaechmae, Artabazi filio, cui hic districtus a rege commissus erat, quotidie redibat artaba pecunia repleta: est autem artaba mensura Persica, capiens medimnum Atticum cum tribus choenicibus Atticis. Equos autem ibidem rex suum in usum alebat, exceptis his qui ad bellum usum erant destinati, admissarios quidem octingentos, equas autem, quibus illi admittebantur, decies sexies mille; nam singuli mares vicenis feminis admittebantur. (4) Canum autem

Indicorum tanta alebatur multitudo, ut quattuor essent ampli vici in planitie siti, aliorum tributorum immunes, quibus hoc injunctum erat, ut canes illos alerent. Has opes possidebat is, qui Babyloni imperabat.

CXCIII. In agro Assyriaco pluit quidem aliquantulum, et hoc est ex quo radix frumenti primum capit nutrimentum; dein vero ex fluvio irrigata seges augetur, et maturescit triticum, non quod fluvius ipse, sicut in aegypto, arva inundet, sed manibus hominum et tollenonibus haec irrigantur. (2) Est enim tota Babylonia terra fossis discissa: quarum fossarum maxima, orienti hiberno obversa, navibus trajicitur; influit autem ex Euphrate in alium fluvium, Tigrin, ad quem Ninus urbs aedificata erat. (3) Est autem haec regio omnium, quas quidem novimus, longe fertilissima ferendo cereali frumento. Nam alias fruges ex arboribus ne conatur quidem proferre, nec ficum, nec vitem progignens, nec oleam. Sed cereali frumento progignendo ita opportunum solum est, ut ducena plerumque reddat: quando vero plurimum, etiam tricena profert. (4) Folia autem tritici atque hordei quattuor admodum digitorum latitudinem habent. Ex milio et sesamo quantae magnitudinis arbor existat, bene equidem cognitum habens, commemorare nolo; satis gnarus, eos quis Babyloniam terram non adierunt, ne his quidem, quae de aliis frumenti generibus dicta sunt, fidem ullam adhibituros. Oleo non utuntur, nisi quod e sesamo paratur. (5) Palmas vero arbores habent, per totam planitiem plantatas; quarum pleraeque frugiferae sunt, e quibus et cibum et vinum et mel parant. Has arbores colunt ficuum more, quum aliis rebus, tum quod mascularum quas Graeci vocant palmarum fructum glandiferis palmis circumligant, quo glandem maturet culex sese insinuans, nec decidat fructus palmae. Nam culices in suo fructu generant masculae palmae, similiter ut apud nos caprificorum grossi.

CXCIV. Quod vero eorum quae sunt in illa regione post ipsam quidem urbem, maxime mihi mirabile visum est, exponere adgredior. Navigia, quibus utuntur qui secundo flumine Babylonem proficiscuntur, rotunda sunt, et ex corio confecta cuncta. (2) Scilicet in Armeniis, qui supra Assyrios incolunt, ex sectis salicibus costas conficiunt: his, fundi loco, pelles extrinsecus tectorias praetendunt, nec puppim distinguentes, nec proram in angustius contrahentes, sed clypei instar rotunda facientes navigia. Tale navigium, mercibus impositis, totum stramine complent, et flumini permittunt deferendum: maxime vero dolia palmeo vino onusta devehunt. (3) Regitur autem navis duobus remis, a duobus viris, quorum alter introrsus trahit remum, alter extrorsus pellit, uterque stans rectus. Conficiuntur autem hujusmodi navigia etiam admodum magna, itemque minora: et maxima quidem onus ferunt quinque millium talentorum. (4) In quoque navigio asinus inest vivus, in majoribus plures. Postquam igitur navi Babylonem pervenerunt, mercesque distraxerunt, tum et costas navigii et stramentum venumdant; pelles vero asinis imponunt, hosque retro agunt in Armeniam. (5) Nam adverso flumine navigari nullo pacto potest, propter fluminis impetum: quam ob caussam etiam non ex ligno, sed ex pellibus, conficiunt navigia. (6) Postquam asinos agitando in Armeniam redierunt, alia navigia eodem modo conficiunt. Talis igitur illis est navigiorum ratio.

CXCV. Vestimento autem utuntur hujusmodi: tunica ad pedes promissa linea, cui aliam superinduunt tunicam laneam, tum candidam paenulam superne circumjiciunt. Calceamenta gestant sui moris, Boeotiis soccis fere similia. Comam alunt; mitris caput redimiunt: toto corpore unguntur. (2) Annulum signatorium unusquisque gestat, et baculum arte factum: in quoque

baculo superne vel malum est fabrefactum, vel rosa, vel lilium, vel aquila, aut aliud quidpiam: nec enim illis mos est baculum absque insigni gestare. Talis igitur illis est corporis cultus.

CXCVI. Institutis vero utuntur hujusmodi. Uno quidem hoc, ut mea fert sententia, prudentissimo; quo etiam Venetos uti, Illyricum populum, fando accepi. In singulis vicis, semel quotannis, haec faciebant. (2) Virgines, quotquot viro maturae essent, congregatas simul omnes, in unum locum deducebant: ibi eas virorum circulus circumstabat. Tunc praeco singulas deinceps, quamque sigillatim, in medio statuens venum exponebat; incipiens ab ea quae omnium pulcerrima esset: deinde, hac magno auri pretio venum data, aliam proclamabat, quae huic venustate formae proxima erat. Vendebantur autem hac conditione, ut matrimonio jungerentur. (3) Igitur ex Babyloniis nuptiarum cupidis quicumque erant locupletes, hi licitando quisque alterum superantes emebant sibi formosissimas: qui vero de plebe erant, hi formae speciem nihil curantes, pecuniam accipiebant et virgines deformiores. (4) Nam praeco, postquam speciosissimarum virginum peregerat venditionem, tum vero deformissimam excitabat, aut si qua illarum manca esset, et hanc proclamabat quis vellet, accepto minimo auri pondere, in matrimonium ducere; et, qui minimo se contentum fore declarasset, ei haec tradebatur. Aurum autem conficiebatur a formosioribus virginibus: atque ita formosiores elocabant deformes et mancas. (5) Nemini autem licitum erat, filiam suam cui ipse vellet in matrimonium dare: neque emptori absque fidejussore domum ducere virginem licebat; sed dato praede spondere quisque tenebatur, in matrimonium se eam utique accepturum, et sic demum abducere secum licebat: si sibi mutuo non convenissent, lege cautum erat ut pecuniam acceptam sponsus repraesentaret. Licitum vero etiam erat homini, qui ex alio vico adfuisset, aliquam ex virginibus, si quam vellet, sibi emere. (6) Hoc igitur pulcerrimum institutum apud eos olim valebat. At nunc quidem non amplius est in usu: sed recens aliud quiddam invenerunt, ne injuria adficerentur filiae aut in aliam civitatem abducerentur: ubi capta urbe malis premi coeperunt, resque eorum perditae sunt, quilibet homo de plebe, inopia victus laborans, filias suas ad quaestum corpore faciendum adigit.

CXCVII. Alio, post istud, prudenti instituto utuntur hocce. aegrotos in forum publicum exportant; medicis enim non utuntur: ibi accedunt ad aegrotum, eique de curando morbo consulunt, si quis vel eodem morbo, quo ille, olim laboravit, aut alium vidit laborantem. Adeuntes igitur consulunt huic ea suadentque, quibus quisque remediis adhibitis vel ipse morbum evaserat, vel alium vidit evasisse. Silentio vero praeterire aegrotum nemini licet, quin eum interrogaverit quonam morbo laboret.

CXCVIII. Mortuos melle condunt. Luctus funebres, aegyptiis similes. Quoties cum uxore sua concubuit vir Babylonius, incenso thuri adsidet, et ex alia parte idem facit mulier: tum, ubi illucescit, lavantur ambo; nullum enim vas tangunt priusquam se abluerint. Idem institutum Arabes sequuntur.

CXCIX. Est autem institutorum, quibus Babylonii utuntur, turpissimum hocce. Quamlibet indigenam mulierem oportet, in Veneris templo sedentem, semel in vita cum peregrino viro consuetudinem habere. (2) Multae igitur, dedignantes ceteris se immiscere mulieribus, quippe

divitiis superbientes, plaustris vectae in camaris stant ad templum, et ingens illas famularum numerus sequitur. (3) Pleraeque autem hoc modo faciunt. In septo Veneri consecrato sedent corona funiculo modo torta caput redimitae mulieres numero multae; aliae enim adveniunt, aliae abeunt. Sunt autem per medias mulieres transitus viarum ad lineam quaquaversum directi, quibus transeuntes viri seligunt quas volunt. (4) Ibi postquam consedit mulier, non prius domum abit, quam peregrinorum quispiam, pecunia in sinum conjecta, cum ea extra fanum concubuit. (5) Qui pecuniam ei projicit, is compellare eam his verbis debet: «Mylitta deam, ut tibi adsit, precor.» Mylitta autem Venerem vocant Assyrii. Pecunia vero quantulacumque fuerit, mulier eam non rejecerit: nam nefas hoc ei est; fit enim sacra pecunia. (6) Sequitur igitur eum qui primus pecuniam projecit, nec enim ullum repudiat. Postquam vero cum illo rem habuit et religioni deae satisfecit, domum abit: ab eoque tempore, quantumcumque sit quod ei offeras, non poteris rem cum ea habere. (7) Quae igitur speciosa sunt forma praeditae et statura, eae cito redeunt: quae vero deformes, multum manent temporis, priusquam legi possint satisfacere; manent enim nonnullae ad tres et quattuor annos. Obtinet autem alicubi etiam in Cypro simile institutum.

CC. Sed de institutis Babyloniorum haec hactenus. Sunt autem inter illos tres familiae sive tribus, quae nulla re alia nisi piscibus vescuntur. Hos illi postquam ceperunt, siccant ad solem, deinde tali modo parant: in mortarium conjectos, et pistillis contusos, per sindonem tamquam cribro incernunt. Tum, qui his vesci cupit, vel tamquam mazam subigit, vel coquit vel panem.

CCI. Jam Cyrum, hoc etiam subacto populo, incessit cupido Massagetas sub potestatem suam redigendi. Populus hic et magnus dicitur esse et validus, habitans versus orientem solem trans Araxen fluvium, ex adverso Issedonum. Aiuntque etiam nonnulli, esse Scythicum hunc populum.

CCII. Araxes autem ab aliis major, ab aliis minor esse perhibetur Istro: esse autem in illo aiunt insulas frequentes, Lesbi fere magnitudine. In his habitare homines, qui aestate radicibus vescantur cujusque generis, quas e terra effodiant; fruges autem arborum, quas reperiunt, in cibum seponant maturas, eisque vescantur per hiemem. (2) Repertas autem ab his etiam esse alias arbores, hujusmodi fructus ferentes, quos catervatim congressi, accensoque igni circumsedentes, in ignem conjiciant, tum olfacientes fructum in igne ardentem, odore inebrientur, perinde atque Graeci vino: majore vero copia injecto fructu, magis inebriari; denique ad saltandum surgere, et ad canendum progredi. (3) Talem his esse vitae rationem narrant. Fluit autem Araxes ex Matianis, indidem atque Gyndes ille quem in trecentos sexaginta fossas Cyrus diduxit. Erumpit autem ex quadraginta orificiis, quae omnia, uno excepto, in paludes et lacunas exeunt, quibus in paludibus habitare aiunt homines crudis piscibus vescentes, et pro vestimento pellibus utentes phocarum. (4) Unus ille, quem dixi, alveorum Araxis nullo obstante impedimento in Caspium mare influit. Exsistit autem Caspium mare seorsum per se, et cum reliquo mari non miscetur. Nam et totum quod Graeci navigant mare, et quod est extra columnas, quod Atlanticum vocatur, et Erythraeum, haec omnia unum sunt mare et continuum.

CCIII. Caspium vero aliud est, ab illo disjunctum, longitudinem habens navigationis dierum quindecim, navi remis agitata; latitudinem, ubi latissime patet, octo dierum. Et ei quidem parti

hujus maris quae ad occidentem spectat, Caucasus mons praetenditur, montium omnium et amplissimus et altissimus. (2) Populos autem multos et multiplicis generis in se comprehendit Caucasus; quorum plerique fructibus silvestrium arborum arbustorumque vitam sustentant. In his aiunt esse arbores, folia hujusmodi ferentes, quibus contritis, admixta aqua, varias in vestimentis figuras pingant; easque figuras non elui, sed cum reliqua lana senescere, ac si initio intextae fuissent. Concubitum autem horum hominum in propatulo fieri aiunt, veluti pecudum.

CCIV. Occidentalem igitur plagam hujus maris, quod Caspium vocatur, Caucasus mons includit: versus auroram vero et orientem solem excipit planities, immensae amplitudinis prospectu: cujus amplae planitiei haud minimam partem tenebant hi Massagetae, quos Cyrus bello adgredi studiose parabat. (2) Fuerunt autem multae res magnaeque, quae ad hoc bellum illum excitaverant atque stimulaverant. Primum quidem, ipsius ortus, quo fiebat ut aliquid amplius quam hominem se esse existimaret: tum vero felicitas, qua in bellis usus erat; nam quocumque arma sua Cyrus direxisset, nullo pacto fieri poterat ut ea gens vim illius effugeret.

CCV. Erat ea tempestate Massagetarum regnum penes feminam, quam mortuus rex viduam reliquerat: Tomyris reginae nomen fuit. Hanc Cyrus, missis legatis, voluit sibi, ut aiebat, despondere, cupiens in matrimonio habere. At Tomyris intelligens, non se, sed regnum ambiri Massagetarum, aditu illi interdixit. (2) Post haec Cyrus, ut dolo res ei non successit, exercitu ad Araxen ducto, aperto bello Massagetas adortus est, fluvium pontibus jungens, quibus traduceret copias, et turres in navigiis aedificans, quibus pars copiarum transveheretur.

CCVI. Qui dum his rebus occupatur, mittit ad eum Tomyris caduceatorem, qui reginae verbis haec Cyro diceret: «O rex Medorum, desine urgere quae tu urges: nec enim nosti an tuo commodo sit futurum ut haec perficiantur. His vero omissis, regna in tuis, et patere ut nos videas regnare apud hos quibus imperamus. (2) Noles autem meis monitis uti; immo quidlibet potius, quam quietem agere, voles. Quodsi ergo vehementer cupis pugnae discrimen cum Massagetis experiri; age, omisso labore quem jungendo flumini impendis, ingredere nostram terram: nos interim trium dierum itinere a fluvio recedemus. Sin malueris nos in vestram recipere, tu similiter fac.» (3) His auditis Cyrus, convocatis Persarum primatibus, rem in medium proposuit, una cum eis deliberaturus quidnam facere debeat. (4) Quorum cunctorum sententiae in hoc consentiebant, ut illum juberent Tomyrin ejusque exercitum in suam regionem recipere.

CCVII. At consilio quum interesset Croesus Lydus, hanc ille sententiam improbans, contrariam proposuit, his usus verbis: «O rex, jam alias tibi professus sum, quoniam me Juppiter tibi in manus tradidit, si quem videro casum domui tuae impendere, pro viribus me illum aversurum. Quae mihi acciderant tristia, documenta mihi fuere. (2) Quodsi immortalis existimas esse, et exercitui imperare immortali, nil opus fuerit me meam tibi sententiam declarare: sin te et hominem esse intelligis, et hominibus imperare; illud primum cogita, orbem quemdam esse rerum humanarum, qui dum convertitur, non sinit eosdem semper esse felices. (3) Jam igitur ego de re proposita contra, quam hi, sentio. Si enim hostes voluerimus in nostram recipere terram, hoc tibi in ea re periculum inest: (4) si inferior discesseris, simul universum regnum perdes; manifestum est enim, victores Massagetas non retro fugituros, sed in tua regna

irrupturos: sin viceris, non tanta erit victoria, quanta si trajecto flumine viceris Massagetas, et fugientes insequaris; nam hoc idem priori oppono, victorem te hostium continuo in medium regnum Tomyrios ducturum exercitum. (5) Sed, praeter haec quae exposui, turpe est, nec ferendum, ut Cyrus Cambysis filius, feminae cedens, pedem referat ex regione quam occupavit. Nunc ergo mihi videtur, trajecto fluvio progrediendum esse quantum illi recesserint, ac deinde operam dandam ut illos superes tali inita ratione. (6) Scilicet quum Massagetae, ut equidem audio, bonorum Persicorum sint insueti, et magnorum vitae commodorum expertes; hisce hominibus, caesa parataque magna pecudum copia, ad haec vini meri crateribus et farinaceis omnis generis cibariis largiter adpositis, epulum parandum est nostris in castris; ac deinde, relicta vilissima copiarum parte, cum reliquis versus fluvium retrogrediendum. (7) Nisi enim me fallit sententia, illi conspecto bonarum rerum adparatu, in has se conjicient, et nobis oblata erit magnorum edendorum facinorum occasio.»

CCVIII. Hae quum inter se oppositae essent sententiae, Cyrus, repudiata priore, Croesi sententiam amplexus est, et Tomyri praedixit, ut retro cederet; se enim, trajecto flumine, illi occursurum. (2) Illa igitur retro cessit, quemadmodum prius pollicita erat. Et Cyrus, postquam Croesum in manus filii sui Cambysis, cui etiam regnum reliquit, tradiderat, multisque verbis filio mandarat, ut illum in honore haberet, beneque ei faceret, si transitus in Massagetas minus prospere cessisset; hisce datis mandatis, illos remisit in Persidem, ipse vero cum exercitu flumen trajecit.

CCIX. Trajecto Araxe, prima nocte in Massagetarum terra quiescenti Cyro visum oblatum est tale. Visus sibi est per somnum conspicere filiorum Hystaspis[TR28] maximum natu, alas in humeris habentem, et harum altera Asiam obumbrantem, altera Europam. (2) Erat autem Hystaspi Arsamis filio, ex Achaemenidarum familia, filius natu maximus Darius, juvenis tunc temporis viginti maxime annorum: isque relictus erat in Perside, quippe militarem nondum habens aetatem. (3) Et somno experrectus Cyrus, de oblato viso secum cogitabat. Quod quum illi magni videretur esse momenti, Hystaspem ad se vocat, remotisque arbitris ei dicit: «Hystaspes! filius tuus deprehensus est mihi et meo regno insidiari: id qua ratione certo cognoverim, tibi dicam. (4) Mei curam gerunt dii, mihique ante significant omnia quae imminent. Nunc igitur proxima nocte per quietem vidi filiorum tuorum natu maximum alas in humeris habentem, earum altera Asiam obumbrantem, altera Europam. (5) Quod quum mihi oblatum sit visum, fieri prorsus nullo modo potest quin mihi illum insidiari[TR29] intelligam. Quare tu ocyus retro proficiscere in Persidem, et fac, postquam rebus hic bene gestis illuc rediero, filium tuum mihi sistas, ut ejus caussam cognoscam.»

CCX. Haec Cyrus dixit, ratus sibi Darium insidias struere: at illi deus significaverat, ipsum eodem loco, ubi erat, periturum, regnumque ipsius ad Darium transiturum. (2) Hystaspes illi his verbis respondit: «O rex, ne sit is homo Persa natus, si quis tibi insidias est structurus! Sin fuerit, pereat quam primum! Tibine insidiari, qui Persas ex servitute in libertatem vindicasti; et, quum aliis fuissent subjecti, fecisti ut imperent omnibus! (3) Quodsi vero visum aliquod tibi significat, filium meum res novas adversus te moliri, ego illum tibi tradam, ut de eo facias quodcumque placuerit.» Haec postquam respondit Hystaspes, trajecto Araxe in Persas profectus est, Cyro filium suum Darium custoditurus.

CCXI. Cyrus ab Araxe unius diei itinere progressus, fecit quod Croesus illum monuerat. Deinde postquam ipse, inutili copiarum parte in castris relicta, cum flore exercitus Persarum, ad Araxem regressus est, adcurrit castra invadens tertia pars exercitus Massagetarum. Hi eos, qui de Cyri exercitu relicti erant, repugnantes occidunt; tum, paratum conspicati epulum, superatis adversariis, ad epulandum discumbunt; denique cibo potuque repleti, sopore opprimuntur. (2) Inter haec supervenientes Persae magnum eorum numerum interficiunt, multo vero plures vivos capiunt, quum alios, tum reginae Tomyrios filium, ducem Massagetarum, cui nomen erat Spargapises.

CCXII. Tum illa, cognotis quae et exercitui et filio suo acciderant, misso ad Cyrum legato haec ei edixit: «Inexplebilis sanguine Cyre! ne utique efferaris re gesta, quod viteo fructu, quo repleti vos ita insanitis, ut postquam vinum in corpus descendit, scelestis vocibus exundetis, tali veneno deceptum filium meum superasti, non justo praelio et bellica virtute vicisti. (2) Nunc ergo consilium, quod tibi bono animo profero, accipe. Redde mihi filium, et abi ex hac terra, impune ferens quod tertiam exercitus Massagetarum partem hac contumelia adfecisti. Quodsi haec non feceris, Solem juro, dominum Massagetarum, certe me te, quamvis inexplebilem, sanguine satiaturam.»

CCXIII. Horum verborum ad se relatorum nullam Cyrus habuit rationem. Reginae autem Tomyrios filius Spargapises, postquam remissa vi vini didicit quonam in malo esset, oravit Cyrum ut vinculis solveretur, idque ei rex indulsit. At simulatque solutus erat et manuum suarum potens, se ipse interemit. Et hoc vitae exitu ille usus est.

CCXIV. Sed Tomyris, ubi ei morem non gessit Cyrus, contractis omnibus copiis, praelio cum illo conflixit. Hoc praelium, quotquot a barbaris hominibus praelia commissa sunt, equidem existimo omnium fuisse acerrimum; rem enim tali modo gestam esse accepi. (2) Primum ex aliquo spatio distantes, tela invicem conjecisse; dein, absumtis telis, concurrisse, et hastis conflixisse gladiisque; (3) atque diutius ita consertis manibus pugnasse, neutris fugam capessere volentibus. Ad extremum vero superiores Massagetae discesserunt. (4) Igitur maxima pars Persici exercitus eodem in loco est interemta, et ipse Cyrus obiit, postquam annos regnaverat undetriginta. (5) Tum Tomyris, sacco sanguine repleto humano, Cyri cadaver inter caesorum Persarum stragem jussit perquiri: ubi repperit, caput ejus in saccum demisit, (6) mortuo his verbis insultans: «Tu me vivam, tuique victricem, perdidisti, qui filium meum dolo cepisti: te vero ego, sicuti minata sum sanguine satiabo.» Quod igitur ad vitae finem Cyri spectat, multa quidem alia diversaque narrantur, sed ista mihi maxime verisimilis visa erat narratio.

CCXV. Utuntur Massagetae et vestimento et vitae ratione simili Scytharum. Ex equis pugnant, et pedites: nam utroque genere valent. Et arcu et hastis utuntur, bipennesque gestare consuerunt. (2) Ad omnia auro utuntur aut aere. Ad hastas, ad sagittarum cuspides, ad bipennes non nisi aere utuntur; ad capitis ornatum, et ad cingula circum lumbos et circa axillas, auro. (3) Similiter equis circa pectus aeneos circumponunt thoraces: habenarum autem ornatum et frenos et

phaleras ex auro habent. Argento vero et ferro nihil utuntur; nec enim in eorum terra metalla haec reperiuntur, sed aeris et auri immensa copia.

CCXVI. Institutis utuntur hisce. Uxorem quidem ducit unusquisque; his autem in commune utuntur. Nam, quod Graeci aiunt a Scythis fieri, id non Scythae faciunt, sed Massagetae: nempe cujuscumque mulieris cupido incessit Massagetam, cum ea, pharetra pro plaustro suspensa, impune concumbit. (2) Terminum quidem aetatis nullum statutum habent: sed quando quis admodum aetate provectus est, convenientes propinqui mactant eum, et alias simul cum eo pecudes, coctisque carnibus laute epulantur. Et haec eis sors felicissima habetur. Qui vero morbo obiit, eum non comedunt, sed terra condunt; miserum reputantes quod eo non pervenerit ut immolaretur. (3) Sementem nullam faciunt; sed pecoribus victitant, et piscibus, quos ingenti copia Araxes fluvius illis suppeditat: lacte pro potu utuntur. (4) Deorum unum Solem colunt, cui equos immolant. Lex autem et ratio hujus sacrificii haec est: deorum pernicissimo tribuunt pernicissimum mortalium.

HERODOTI HISTORIARUM LIBER SECUNDUS. (EUTERPE.)

I. Vita functo Cyro, regnum suscepit Cambyses, Cyri filius et Cassandanae, Pharnaspis filiae, quae quum antea fato esset functa, ingenti luctu eam Cyrus erat prosequutus, et aliis omnibus, quibus imperabat, luctu eam prosequi praeceperat. (2) Hujus igitur mulieris et Cyri filius Cambyses, quum Ionas et aeolenses pro servis a patre acceptis haberet, adversus aegyptum expeditionem suscepit, quum alios ad id bellum faciendum ducens, quibus imperabat, tum nimirum et Graecos qui ipsius potestati erant subjecti.

II. aegypti, priusquam apud eos regnum obtinuisset Psammitichus, antiquissimos sese omnium hominum esse existimaverant. Postquam vero Psammitichus, regnum adeptus, voluit cognoscere, quinam fuerint primi et antiquissimi, ab illo tempore Phrygas sese priores arbitrantur, se autem reliquis omnibus. Psammitichus autem, quum perquisitione instituta nullum exitum hujus quaestionis, quinam essent primi hominum, potuisset reperire, tale quiddam est machinatus. (2) Duo pueros recens natos ex humilis sortis parentibus tradidit pastori, qui eos apud greges tali modo aleret: praecepit ut nemo coram illis vocem ullam ederet, sed jacerent in solitaria casa seorsim, et justis temporibus caprae ad eos adducerentur: ubi lacte expleti forent, alia omnia pastor ageret. (3) Haec fecit praecepitque Psammitichus, cupiens cognoscere, quamnam post obscuros infantum vagitus primam vocem essent edituri. (4) Atque id etiam factum est. Nam postquam per duos continuos annos mandata exsecutus erat pastor, aperienti januam intrantique adlabentes ambo pueruli becos clamabant, manusque porrigebant. (5) Quod pastor primum audiens, tacuit: sed, quum crebrius adeunti puerosque curanti idem semper verbum repeteretur, ita demum significavit hero, ejusque jussu pueros in conspectum ejus produxit. (6) Quod ubi ipse etiam Psammitichus cognovit sciscitatus est, quinam hominum rem aliquam becos vocarent: et sciscitando comperit, Phrygas eo vocabulo panem significare. Ita aegyptii, ex eo quidem ducto argumento, Phrygibus concessere, esse illos se antiquiores. (7) Ita quidem rem actam esse, ex Vulcani sacerdotibus Memphi audivi. Graeci vero et alia narrant

vana multa, et in his, mulierum linguas exscidisse Psammitichum, hisque mulieribus pueros illos tradidisse nutriendos.

III. De puerorum igitur illorum nutritione mihi ista narrata sunt. Sed et alia (ad aegyptiorum antiquitatem pertinentia) Memphi audivi, cum Vulcani sacerdotibus sermones miscens. Atque earumdem rerum caussa Thebas etiam et Heliopolim me contuli, scire cupiens, an illorum narrationes conveniant cum his quae Memphi narrantur. Heliopolitae enim dicuntur ex omnibus aegyptiis peritissimi antiquitatis. (2) Quae igitur audivi ad res divinas spectantia, ea non est mihi animus in publicum edere, exceptis deorum nominibus, existimans omnes (in aegypto) homines idem de his nosse: quaecumque vero de illis rebus praeterea commemoravero, eorum nonnisi a narrationis serie coactus faciam mentionem.

IV. Quod ad res humanas spectat, haec illi secum consentientes dixerunt: primos hominum omnium aegyptios annum invenisse, duodecim partes succedentium invicem temporum per illum distribuentes. (2) Haec autem illos ex astris invenisse aiebant. Agunt autem annum aegyptii tanto prudentius, ut equidem arbitror, quam Graeci; quod Graeci tertio quoque anno, vicissitudinis temporum caussa, intercalarem mensem coguntur adjicere; aegyptii vero duodecim menses tricenorum dierum agentes, singulis annis quinque dies extra numerum adjiciunt, atque ita illis circumactus vicissitudinum anniversarium circulus eodem semper tempore redit. (3) Ad haec duodecim deorum nomina aegyptios primos aiebant instituisse, et ab illis Graecos accepisse: aras item et imagines et templa diis primos eosdem tribuisse, et figuras lapidibus insculpsisse. (4) Et horum pleraque re ipsa demonstrabant ita se habere. Regnasse autem in aegypto, ex hominum numero, primum dixere Menem. Hoc regnante totam aegyptum, excepto Thebano districtu, paludem fuisse; et tunc temporis nihil ex aqua eminuisse eorum, quae nunc sunt infra Moeridem lacum, ad quem est ex mari navigatio adverso flumine septem dierum.

V. Et recte quidem hoc, quod ad terram spectat, dixisse mihi visi sunt. Etenim cuilibet, qui, etiam si non ante audiverit, tamen oculis suis hanc terram adspexerit, si modo non prorsus destitutus fuerit intelligentia, manifestum est, aegyptum hanc, quam Graeci navibus adeunt, adquisitam aegyptiis terram esse, et fluminis donum; atque etiam eorum, quae supra hunc lacum ita sunt ad trium dierum navigationem, eamdem esse rationem; quamquam de hoc tractu nihil amplius tale illi narraverunt. (2) Est enim natura hujus regionis, quae aegyptus vocatur, hujusmodi. Primum quidem, navi eam petens, quando unius etiam diei cursu adhuc abfueris a terra, si bolidem demiseris, limum extrahes, et in undecim orgyiis [66 pedibus] eris: quod quidem ostendit, in tantum progredi telluris profusionem.

VI. Ipsius autem aegypti longitudo secundum mare est sexaginta schoenorum, quatenus quidem nos aegyptum definimus, ut a Plinthinete sinu pertineat usque ad Serbonidem lacum, ad quem Casius mons porrigitur: ab hoc igitur lacu sunt sexaginta illi schoeni. (2) Nam qui haud multum terrae possident homines, hi eam orgyiis metiuntur; qui paulo plus, stadiis; qui multum possident, parasangis; qui valde amplam regionem, hi schoenis eam metiuntur. Valet autem

parasanga triginta stadia; schoenus vero unusquisque (quae aegyptia est mensura) sexaginta stadia. Ita aegypti longitudo secundum mare ter mille sexcentorum fuerit stadiorum.

VII. Inde versus interiora, usque Heliopolin, in latitudinem patet aegyptus, tota plana est, aquis irrigua, limosa. Est autem iter a mari Heliopolin adscendenti par fere longitudine viae ei, quae Athenis a duodecim deorum ara Pisam ducit ad Olympii Jovis templum. (2) Exiguum quidam interesse reperiet, si quis computaverit, quominus aequalis sit longitudo utriusque itineris; haud amplius quam quindecim stadia: nam via Athenis Pisam eget quindecim stadiis ad explendum mille quingenta; a mari autem Helipolin plenus hic numerus est.

VIII. Ab Heliopoli superiora petenti angusta aegyptus est: nam ab altera parte mons Arabiae praetenditur, a septemtrione versus meridiem et austrum excurrens, semper in altius tendens ad Erythraeum quod vocatur mare; quo in monte lapicidinae sunt, unde Memphin ducti sunt lapides ad exstruendas pyramides. (2) Hoc loco desinens mons flectitur in eam quam dixi partem. Qua vero est maxima ejus longitudo, duorum mensium itineris esse accepi ab oriente versus occidentem; et extrema quidem illius, orientem spectantia, thuris esse feracia. (3) Haec igitur hujus montis ratio est. Ab altera aegypti parte, Libyam versus, alius mons praetenditur saxeus, in quo pyramides exstructae sunt, arena obvolutus, pari modo porrectus atque ea pars Arabici montis quae ad meridiem tendit. (4) Ab Heliopoli igitur non multum in latitudinem patet regio quae aegyptus esse censetur, sed ad quattuor dierum adverso flumine navigationem angusta aegyptus est. Est autem regio, inter duos quos dixi montes interjecta, campestris; cujus latitudo, ubi minima, ducentorum admodum stadiorum esse, haud amplius, mihi visa est, ab Arabico monte ad Libycum: exinde vero rursus fit latior aegyptus.

IX. Haec igitur est hujus regionis natura. Est vero Heliopoli Thebas naviganti adverso flumine iter novem dierum: stadia sunt autem quater mille octingenta et sexaginta; schoeni enim numerantur octoginta et unus. Haec stadia si inter se componantur, quum latitudinem secundum mare porrectam jam supra dixerim esse trium millium sex centorum stadiorum, quaenam sit longitudo a mari versus mediterranea Thebas usque, nunc declarabo: est nempe stadiorum sexies mille centum et viginti. Thebis autem usque Elephantinen sunt mille et octingenta stadia.

X. Hujus igitur quam dixi regionis plurima pars, quemadmodum et narrarunt sacerdotes, et mihi ipsi visum erat, adquisita aegyptiis terra est. Etenim, quod inter praedictos montes supra Memphin sitos interjectum est, id mihi visum erat olim sinus maris fuisse, quemadmodum ea quae circa Ilium sunt et Teuthraniam, et quae circa Ephesum et Maeandri campum, si licet parva conferre cum magnis: nam neuter eorum fluviorum, quorum ex proluvie haec loca enata sunt, ne cum uno quidem ex Nili ostiis, quae numero quinque sunt, magnitudinem si spectes, meretur comparari. (2) Sunt vero etiam alii fluvii, magnitudine cum Nilo neutiquam conferendi, qui tamen res maximas efficiunt: quorum ego nomina edere possum, quum aliorum, tuum maxime Acheloi; qui Acarnaniam perfluens, ibique in mare se exonerans, Echinadum jam dimidiam partem ex insulis fecit continentem.

XI. Est autem in Arabia, haud procul ab aegypto, maris sinus, ex Rubro quod vocatur mari in terram pertinens, ita longus et angustus, uti dicturus sum. (2) Longitudo navigationis, si ab intimo sinus recessu proficiscaris navi remis agitata, donec in mare apertum perveneris, tanta est ut dies in ea consumantur quadraginta: latitudo autem, ubi latissimus sinus, dimidii unius diei navigatio. Obtinet autem in illo quotidie fluxus maris et refluxus. (3) Alium igitur similem fere huic sinum olim aegyptum fuisse existimo, e septentrionali mari versus aethiopiam influentem, sicut Arabius ille, de quo dicturus sum, ex australi mari Syriam versus tendit; ambo propemodum sibi invicem recessus suos perforantes, exiguo terrae spatio interjecto. (4) Quodsi igitur Nilus in hunc Arabium sinum voluerit alveum suum avertere, quid impedit quominus hic sinus intra viginti annorum millia ingesto limo compleatur? Ego quidem arbitror, etiam intra decem millia annorum posse compleri. Cur igitur intra temporis spatium, quod ante meam aetatem effluxit, sinus multo etiam major quam hic non potuerit compleri a fluvio tam ingente tamque valido?

XII. Itaque haec, quae de aegypto retuli, et his qui ea referunt credo, et ipse per me ita se habere existimo; quum et prominere videam aegyptum ultra terram continentem, et conchylia videam reperiri in montibus, et salsuginem ubique efflorescere, it aut ab ea etiam pyramides corrodantur, et eum solummodo montem aegypti, qui supra Memphin est, arena obtectum: (2) ad haec nec finitimae regioni Arabicae similem aegyptum videmus, nec Libycae, nec vero etiam Syriacae; (nam Arabiae partem secundum mare porrectam Syrii tenent); sed nigram terram atque confractam, utpote limum et proluviem ex aethiopia a fluvio delatam: (3) contra, Libyae solum scimus rubicundum esse et arenosius, Arabiae vero et Syriae magis argillosum petrosumque.

XIII. Magnum vero etiam hoc mihi documentum memorarunt sacerdotes, ex quo de hujus terrae natura possit judicari: scilicet regnante Moeride, quando fluvius ad octo minimum cubitos auctus erat, irrigabat aegyptum quae infra Memphin est: a Moeridis autem obitu usque ad id tempus, quo ego hoc e sacerdotibus audivi, nondum effluxerant anni nongenti. (2) Nunc vero, nisi ad sedecim, aut ad quindecim minimum, cubitos augeatur fluvius, in terram non exundat. (3) Videnturque mihi ex aegyptiis hi qui infra Moeridem lacum quum alia loca, tum Delta quod vocatur, incolunt, si pro eadem portione paulatim exaltabitur, ea terra, et magis proinde magisque augebitur; videntur, inquam, mihi aegyptii, quum terram eorum non amplius inundare Nilus potuerit, tunc per omne reliquum aevum idem passuri esse, quod ipsi aiebant Graecos aliquando passuros. (4) Nam quum audissent, universam Graecorum terram pluvia irrigari, non fluviis, quemadmodum aegyptus; dixerunt, fore ut Graeci aliquando, magna spe frustrati, misere esuriant. Quod verbum eo valebat, si quando ipsis deus noluerit pluere, sed siccitatem immittere, fame pressum iri Graecos; nec enim aliud illis esse refugium unde aquam petant, nisi a solo Jove.

XIV. Et hoc quidem, ad Graecos spectans, recte dixere aegyptii. Age vero, ipsorum etiam aegyptiorum quaenam conditio sit, dicam. Si acciderit, quod paulo ante dixi, ut regio infra Memphin sita (haec est enim quae augetur) eadem ratione, qua praeterito tempore, in altitudinem augeatur, quid aliud eveniet, nisi ut fame premantur aegyptii regionem illam incolentes, quandoquidem nec pluvia irrigabitur illorum terra, nec fluvius poterit arva inundare? (2) Nam profecto nunc quidem hi, prae aliis hominibus cunctis, et prae reliquis aegpytiis, minimo labore fructum e terra percipiunt: qui neque aratro sulcos findendo, nec terram fodiendo

molestiam habent, nec opus ullum faciunt eorum, quibus alii omnes homines circa segetem multo cum labore occupantur: sed, postquam fluvius sponte accedens arva inundavit, et irrigata rursus reliquit, semen quisque in arvum suum spargit, tum sues in illud immittit; deinde, conculcato a suibus semine, messis tempus exspectat: denique, postquam per sues [ni potius, per boves] frumentum extrivit, ita illud domum comportat.

XV. Quodsi igitur Ionum de aegypto sequi vellemus sententiam, qui Delta solum aiunt esse aegyptum, quam secundum mare a Persei quae vocatur specula usque ad Pelusiacas Taricheas porrigi dicunt, qua sunt quadraginta schoeni; a mari vero versus mediterranea pertinere aegyptum aiunt usque ad Cercasorum oppidum, ad quod scinditur Nilus, partim Pelusium versus fluens, partim Canobum; reliquos autem omnes aegypti tractus, alios Libyae esse aiunt, alios Arabiae: hac, inquam, ratione utendo demonstrare possemus, nullam olim terram habuisse aegyptios; (2) quandoquidem Delta hoc, ut ipsi adfirmant aegyptii, utque mihi videtur, adluta terra est, et, verbo ut dicam, nuper enata. Quodsi igitur nulla olim fuit aegyptiorum terra, quas tandem nugas egerunt, primos se hominum fuisse existimantes? Nec vero oportebat eos experimentum facere in puerulis, quemnam sermonem primum essent emissuri. (3) Ego vero existimo, aegyptios non simul cum Delta, quod Iones vocant, originem cepisse, quin potius semper exstitisse, ex quo hominum exstitit genus; postquam vero proluvione aucta fuit eorum terra, multos quidem eorum in pristinis sedibus mansisse, alios vero paulatim versus inferiora descendisse. Olim igitur Thebae (Thebais) aegyptus nominabatur; cujus est circuitus sexies mille centum et viginti stadiorum.

XVI. Quodsi igitur nos recte de his statuimus, Iones non recte de aegypto sentiunt: Sin vera est Ionum sententia, demonstrabo equidem, Graecos et ipsos Ionas nescire computare numeros. Nam quum tres esse dicant universae terrae partes, Europam, Asiam, et Libyam; oportebat sane his quartam adnumerare, Delta aegyptiacum; si quidem (ut iidem hi aiunt) nec Asiae illud est, nec Libyae. (2) Nam, secundum hanc utique rationem, non Nilus est qui Asiam a Libya disterminat: sed, quum circa apicem hujus Delta in duas partes frangatur Nilus, consequens est ut inter Asiam et Libyam medium Delta sit interjectum.

XVII. Sed Ionum omittamus opinionem; nos vero de his ita statuimus: aegyptum dicimus esse universam hanc regionem ab aegyptiis habitatam, quemadmodum Ciliciam quae a Cilicibus, et Assyriam quae ab Assyriis. Limitem vero qui Asiam a Libya disterminet, rectam si sequamur rationem, nullum alium novimus nisi aegyptiorum fines. (2) Sin ea ratione utamur, quam Graeci sequuntur, statuemus aegyptum universam, initium sumentem a Catadupis [Catarrhacte minore] et Elephantine oppido, in duas secari partes, et utrumque nomen participare; alteram enim ejus partem Africae esse, alteram Asiae. (3) Nilus enim postquam ad Catadupa aegyptum primum intravit, mediam illam dividens fluit in mare. Usque ad Cercasorum igitur oppidum nonnisi uno alveo fluit: ab hoc vero oppido tres in vias scinditur, (4) quarum una orientem versus tendit, quod Pelusium ostium vocatur; altera via occidentem versus tendens, Canobicum nominatur ostium. Quae autem Nili via recta progreditur, haec est: postquam e superiore regione delatus ad apicem illius Delta pervenit, inde medium Delta scindens in mare undas suas exonerat, nec minimam aquarum portionem, nec minime notabilem, huic viae tribuens: quae Sebennyticum ostium vocatur. (5) Sunt vero etiam duo alia ostia a Sebennytico diremta et per

se in mare exeuntia: quorum alterum Saiticum, alterum nominatur Mendesium. Bolbitinum vero ostium et Bucolicum, non nativa sunt ostia, sed manu effossa.

XVIII. Confirmatur autem mea sententia, tantam esse aegyptum quantam ego ratione demonstravi, effato etiam quod Ammonis oraculum edidit; quod effatum ego tum demum cognovi, postquam meam de aegypto sententiam mecum jam constitutam habueram. (2) Scilicet Mareae oppidi et Apidis incolae, quorum ager Libyae est confinis, ipsi sese Libyes existimantes esse, non aegyptios; quum aegre ferrent caerimonias sacrorum quae in aegypto observantur, cuperentque non prohiberi esu boum feminarum; ad Ammonem miserunt, dicentes, sibi nihil cum aegyptiis esse commune; habitare enim extra Delta, nec sibi cum illis convenire, [sive, nec eadem, qua illos, lingua uti], postulareque ut sibi liceat omni genere carnium vesci. (3) Hoc vero eos deus vetuit facere, dicens, aegyptum esse hanc terram quam Nilus affluens irriget; et aegyptios esse hos, qui infra Elephantinen urbem habitantes, ex hoc fluvio bibant. Hoc illis oraculum editum est.

XIX. Inundat autem Nilus, ubi justum augmentum cepit, non modo Delta, verum etiam eas regiones, quae vel Libyae dicuntur esse, vel Arabiae, et quidem alicubi ad bidui utrimque viam, alibi etiam amplius, alibi minus. (2) De natura autem hujus fluvii nec a sacerdotibus, nec ab alio quoquam discere quidquam potui. Cupidus autem eram ex illis cognoscere, cur Nilus descendat augmentum capiens inde a solstitio aestivo ad centum dies, dein, expleto fere hoc numero dierum, retro cedat, diminuta paulatim aquae copia ita ut constanter per totam hiemem brevis sit, donec redeat aestivum solstitium. (3) De his igitur nihil quidquam potui comperire ab aegyptiis, quum ex eis quaererem, quamnam vim habeat Nilus, quod natura contraria esset atque[TR1] reliqui fluvii. Haec igitur, quae dixi, cognoscere cupiens, sciscitatus sum, tum vero etiam, cur unus omnium fluviorum nullas efflantes auras praeberet.

XX. Graecorum vero nonnulli, insignes esse cupientes sapientiae nomine, triplices vias explicandae fluvii hujus naturae inierunt: quarum viarum duas ne commemorare quidem operae pretium duco, nisi quod nude significare eas volo. (2) Nempe earum altera [quae Thaletem auctorem habet] ait, ventos etesias efficere ut augeatur flumen, prohibentes Nilum quominus in mare influat. At saepius accidisse novimus, ut non flarent etesiae, et idem tamen fecerit Nilus. Ad haec, si etesiae in caussa essent, oporteret ut aliis etiam fluviis, qui adversus etesias fluunt, idem quod Nilo et eodem modo accideret; atque eo etiam magis, quo minores sunt illi, adeoque cursum habent debiliorem. (3) Sunt autem in Syria multi fluvii, sunt item in Libya, quibus nihil tale accidit quale Nilo.

XXI. Altera via [Hecataei] inscitior est quidem, quam praedicta, sed (ut ita dicam) mirabilior: ait enim, eo id facere Nilum, quod ab Oceano fluat; Oceanum autem totam circumfluere terram.

XXII. Jam tertia illarum viarum, [Anaxagorae)] quum maxime speciosa sit, maxime omnium a vero aberrat. Nam et haec nihil dicit, quum ait, e liquefacta nive fluere Nilum; qui quidem ex Libya per mediam fluit aethiopiam, ac tum demum aegyptum intrat. (2) Quo igitur pacto e nive

fluat, qui e calidissimis locis fluit in frigidiora? Quarum rerum pleraeque sunt ejusmodi, ut homini, qui quidem judicare de talibus rebus valet, nullo modo probabile videatur Nilum fluere ex nive. (3) Primum quidem et maximum documentum exhibent venti, qui ex illis locis calidi perflant. Deinde hoc, quod constanter illa regio absque imbribus et absque glacie est: postquam autem nix decidit, omnino necesse est ut intra quinque dies pluat; quare, si ningeret in illis regionibus, plueret etiam. (4) Tertium documentum sunt homines, ab aestu nigri: tum quod milvi et hirundines non desinunt istic perennes esse; grues vero, hiemem Scythicae terrae fugientes, in haec loca tamquam in hiberna confugiunt. (5) Quodsi ergo ningeret, vel quantulumcumque, in hac regione per quam fluit et ubi initium capit Nilus, nihil horum esset futurum, quemadmodum necessitas arguit.

XXIII. Qui vero de Oceano dixit, is quum rem, de qua quaeritur, in obscurum rejecerit, refutari non meretur. Ego enim fluvium Oceanum nullum novi: Homerum vero, aut alium ex antiquioribus poetis, puto invenisse nomen, et in poesin introduxisse.

XXIV. Jam si, improbatis sententiis quae ab aliis sunt propositae, nunc meam de rebus tam occultis debeo declarare, dicam qua de caussa fieri mihi videatur, ut aestate Nilus augeatur. Hiberno tempore sol, a priore cursu per hiemes depulsus, per superiora Libyae transit. (2) Ita brevissimis verbis res tota declarata est: cui enim regioni proximus est hic deus, et supra quam ille transit, eam consentaneum est maxime sitire et aquae inopiam pati, adeoque maxime exsiccari fluviorum scaturigines quae sunt in ea regione.

XXV. Ut vero pluribus verbis rem declarem, ita se habet. Sol, per superiora Libyae transiens, facit hocce: quum in illis locis constanter serenus sit aer, quumque calida sit ipsa regio, nec venti frigidi; per ea loca transiens sol facit idem, quod aestate facere consuevit, quando per medium coelum transit. (2) Scilicet attrahit ad se aquam, attractamque in superiora loca dispellit, quam suscipientes venti dissipantesque liquefaciunt; ex quo consequitur ut venti ex illa regione flantes, Notus et Africus, omnium ventorum maxime sint pluvii. (3) Videtur autem mihi sol ne omnem quidem Nili aquam, quam quotannis attrahit, semper demittere, sed partem etiam circum se retinere. Mitescente vero hieme, redit sol in medium coelum, et ab eo inde tempore pariter ex omnibus fluminibus aquam attrahit. (4) Ante id tempus igitur, quum multa de coelo aqua fluviis misceatur, quippe imbribus perfusa terra, torrentibusque excavata, grandes illi fluunt: aestate vero, quum imbres eos deficiunt et sol aquam fluviorum attrahit, fluunt tenues. (5) Quare consentaneum est ut Nilus, quum imbribus non augeatur, aqua vero ejus a sole attrahatur, solus fluviorum per hiemem multo tenuior fluat quam aestate: aestate enim pariter atque aliae omnes aquae attrahitur, hieme vero solus hoc patitur. Ita equidem mihi persuasi, solem esse hujus rei caussam.

XXVI. Est autem, ut mea fert opinio, idem sol etiam caussa, quae ut aer ibi siccus sit efficit, omnia qua transit exurens: unde fit, ut superiora Libyae perpetuo aestu premantur. (2) Quodsi permutaretur statio plagarum; si in ea coeli parte, qua nunc stat Boreas et hiems, foret Notus et meridies; contra, ubi nunc Notus, ibi Boreas staret: haec si ita haberent, sol ab hieme et Borea e medio coelo depulsus, transiturus esset superiora Europae, quemadmodum nunc transit

superiora Libyae. Quodsi ergo per Europam omnem transiret, existimo eum Istro flumini idem esse facturum quod nunc Nilo facit.

XXVII. De aura vero, quod ex Nilo non perflat, haec est mea sententia: nullo modo esse consentaneum ut e calidis locis aura perflet: aura enim e frigido aliquo spirat.

XXVIII. Sed sint haec uti sunt, utque a principio fuerunt. Fontes vero Nili nemo neque aegyptiorum, nec Libyum, nec Graecorum, quibuscum ego sermones miscui, se scire professus est, nisi in aegypto, in Sai oppido, scriba rerum pretiosarum quae Minervae consecratae sunt. (2) At is ludere mihi visus est, dicens adcurate se nosse. Dixit autem hoc modo: esse duos montes, cacuminibus in acutum desinentibus, inter Syenen Thebaidis oppidum et inter Elephantinen sitos; quorum alter Crophi, alter Mophi nominetur. (3) E medio horum montium fluere Nili fontes, fundum nullum habentes; et dimidium quidem aquarum versus aegyptum et septemtrionem fluere, alterum dimidium versus aethiopiam et meridiem. (4) Quod autem fundo careant hi fontes, id experimento cognovisse, aiebat, Psammitichum aegypti regem; etenim funem eo loci demisisse, multa millia orgyiarum continentem, neque ad fundum pervenisse. (5) Ita scriba ille, si modo vera sunt quae dixit, declaravit, ut equidem intelligo, propter validos quosdam gurgites et aquarum repercussionem, quippe quae montibus illidantur, descendere in fundum non potuisse demissam bolidem.

XXIX. Ex alio vero nemine nihil quidquam potui comperire. Sed haec certe alia, quae ad superiorem aegyptum spectant, quoad longissime potui, exquirendo cognovi; quum usque ad Elephantinen oppidum ipse spectator accesserim, ulteriora vero auditu acceperim. (2) Ab Elephantine oppido superiora petenti acclivis locus est. Eo igitur loco navi utrimque, veluti bove, alligata oportet iter facere: quodsi rumpatur funis, retrogreditur navigium, vi fluminis abreptum. Est autem ille locus quattuor dierum navigatio; et tortuosus ibi Nilus est, quemadmodum Maeander: schoeni autem sunt duodecim, per quos isto modo navigare oportet. (3) Inde in planum pervenis campum, in quo insulam Nilus circumfluit, cui nomen est Tachompso. Jam regionem supra Elephantinen sitam, et insulae, quam dixi, dimidiam partem, aethiopes incolunt; alteram insulae partem aegyptii. (4) Insulae contiguus est lacus ingens, circum quem nomades incolunt aethiopes: hunc lacum ubi pernavigaveris, rursus in alveum Nili pervenies, qui in hunc lacum perfluit. Inde progrediens, secundum flumen iter facies quadraginta dierum: eminent enim ex Nilo scopuli acuti, frequentiaque saxa sunt, per quae navigare non licet. (5) Hoc tractu intra quadraginta dies peragrato, rursus aliud navigium conscendes, et post dierum duodecim navigationem ad magnum pervenies oppidum, cui nomen Meroe; quod oppidum dicitur esse metropolis reliquorum aethiopum. (6) In hoc ex diis omnibus unum Jovem colunt et Bacchum; hos vero magnis honoribus venerantur: estque ibi Jovis oraculum constitutum. Bellum hi aethiopes faciunt, quando hic deus illos per oraculum jussit; et quo ille jubet, eo bellum inferunt.

XXX. Ab hoc oppido navi profectus, eodem temporis spatio, quo ex Elephantine ad metropolin pervenisti aethiopum, ad Automolos [id est, Transfugas] pervenies. Automolis his nomen est Asmach; quod vocabulum nostro sermone significat Regi a sinistra manu stantes. (2) Erant autem hi aegyptii, ex bellatorum ordine, numero ducenta quadraginta millia, qui ad aethiopes

defecerant hac de caussa. Regnante Psammiticho praesidia constituta erant aegyptiorum, adversus aethiopas, in Elephantine oppido; adversus Arabes vero et Syros aliud praesidium Daphnis Pelusiacis; rursusque aliud Mareae, adversus Libyam. (3) Et mea etiam aetate adhuc eodem modo se habent Persarum praesidia atque olim sub Psammiticho erant: nam et Elephantinae in praesidio sunt Persae, et Daphnis. Jam aegyptiis, qui tunc Elephantinen tribus continuis annis praesidio tenuerant, nemo advenit qui eis in praesidium succederet: itaque hi, re deliberata, communi consilio omnes a Psammiticho desciscentes, ad aethiopas transierunt. (4) Qua re cognita, Psammitichus illos persecutus est: adsecutusque multis verbis oravit dehortatusque est, patrios ne desererent deos, et liberos atque uxores. Cui unum ex his, pudenda ostendentem, respondisse ferunt, ubi haec essent, ibi non defore ipsis liberos, nec uxores. (5) Hi postquam in aethiopiam pervenere, tradiderunt se regi aethiopiae; qui illos ita remuneratus est: erat illi cum nonnullis aethiopum contentio; jussit igitur hos sedibus suis expellere et eorum terram habitare. Ita, aegyptiis intra aethiopum fines receptis, mitiores facti sunt aethiopes, mores aegyptiacos edocti.

XXXI. Ad quattuor igitur mensium navigationem viamque cognitus est Nilus, ultra eum cursum quem per aegyptum conficit. Etenim dierum summam colligendo, reperies tot insumendos esse menses, si quis ab Elephantine ad hos Automolos voluerit proficisci. Fluit autem Nilus a vespera et solis occasu. Quae vero ultra sunt, nemo novit: est enim deserta terra ob solis fervorem.

XXXII. Verumtamen haecce audivi ex hominibus nonnullis Cyrenaeis, qui se dicebant ad Ammonis venisse oraculum, ibique sermones miscuisse cum Etearcho, rege Ammoniorum. Tum forte, ex aliis sermonibus incidisse se, aiebant, in confabulationem de Nilo, cujus fontes nemini sint cogniti: et dixisse Etearchum, venisse ad se olim homines Nasamonas: (2) est autem hic Libycus populus, Syrtin incolens et terrae tractum a Syrti orientem versus haud ita magnum; hos Nasamonas, ubi ex eis quaesisset an aliquid amplius haberent quae de desertis dicerent Libyae, narrasse: fuisse apud se dynastarum quorumdam filios petulantes; qui, postquam virilem attigissent aetatem, quum alia curiosius machinati sint, tum vero quinque e suo numero sorte designaverint, solitudines Africae lustraturos, operamque daturos, ut aliquid amplius viderent quam hi qui eas quam longissime inspexissent. (3) (Nam Libyae totum tractum secundum mare boreale porrectum, ab aegypto inde usque ad Soloentem promontorium, ubi desinit Libyca, Libyes incolunt, et multi quidem Libyci populi, praeter eas partes quas Graeci atque Phoenices obtinent. Quae vero supra oram maritimam sita sunt, et supra eorum hominum ditionem quorum sedes usque ad mare pertinent; superiora ista Libyae a feris habitantur: supra vero tractum feris refertum, arena est, arida prorsus et aqua carens terra, denique omnino deserta.) (4) Juvenes igitur illos, ab aequalibus suis emissos, aqua et cibariis bene instructos, primum terram peragrasse habitatam: eaque trajecta, pervenisse in eam quae feris est referta; tum ex hac transisse in desertam, iter Zephyrum ventum versus per eam facientes. Postquam multum terrae arenosae permeassent, post multos dies conspexisse tandem aliquando arbores, quae in planitie creverant; accessisseque et fructum arborum gustasse. Gustantibus vero supervenisse homines parvos, minores modica statura, qui eos prehensos abduxissent: sermonem vero illorum non intellexisse Nasamonas, nec illos sermonem ipsorum. (5) Ab his igitur abductos esse per maximas paludes, easque praetergressos pervenisse in oppidum, in quo cunctos fuisse his, qui illos abduxerant, statura aequales, nigros autem colore. Ad oppidum illud fluere flumen ingens: fluere autem ab occidente versus orientem solem, in eoque reperiri crocodilos.

XXXIII. Hactenus igitur a me exposita sit Ammonii Etearchi narratio: hoc unum adjiciam, dixisse eum, rediisse hos Nasamonas, ut quidem narraverint Cyrenaei; et homines illos, ad quos pervenissent, praestigiatores esse omnes. Jam vero fluvium illum praeterfluentem et Etearchus conjectabat esse Nilum, atque etiam ratio ita suadet. (2) Fluit enim ex Libya Nilus, mediam illam secans; et, ut ego conjicio, ex manifestis de his quae minus cognita sunt conjecturam capiens, similum Istro cursus rationem habet. Nam Ister fluvius, a Celtis et Pyrene oppido initium sumens, mediam perfluit scinditque Europam. (3) Habitant autem Celtae extra Herculis columnas, finitimique sunt Cynesiorum, qui sunt extremus populus versus occidentem eorum qui Europam incolunt. Desinit autem Ister, in mare influens Ponti Euxini, ubi Istram habitant coloni Milesiorum.

XXXIV. Ister igitur, quum per habitatam fluat terram, multis hominibus notus est. Nili autem fontes docere nemo non potest, quoniam non habitata desertaque est Libya, quam perfluit. De ejus cursu vero, quoad longissime eum cognoscere percunctando potui, dictum est. Exit autem Nilus in aegyptum. (2) Sita est autem aegyptus ex adverso maxime montanae Ciliciae, unde ad Sinopen oppidum ad Pontum Euxinum via recta est expedito homini quinque dierum: Sinope autem est ex adverso Istri, qua is in mare influit. Ita Nilum quidem, qui totam Libyam percurrit, aequalem censeo Istro. Sed de Nilo haec dicta sufficiant.

XXXV. Progredior nunc, longiorem de aegypto narrationem exordiens, quoniam et plures res mirabiles habet, quam alia quaelibet regio, et narrationem omnem superantia opera exhibet prae quavis alia: qua de caussa copiosius de ea exponam. (2) aegyptii, quemadmodum apud eos coelum diversum est, et fluvii natura longe differt ceterorum natura fluviorum, sic et ipsi plerisque omnibus in rebus mores sequuntur et instituta ceteris hominibus contraria. Apud eos mulieres forum frequentant et mercantur; viri autem, domi sedentes, telam texunt. (3) Texunt autem alii homines tramam sursum adigentes, aegyptii deorsum. Onera viri in capitibus ferunt; feminae in humeris. (4) Mingunt feminae, rectae stantes; viri, se deprimentes. Alvum exonerant intra domos; cibum vero capiunt extra, in viis publicis: dicentes, quae turpia quidem sint, sed necessaria, ea in occulto facienda; quae vero non turpia, in aperto. (5) Femina nulla sacerdotio fungitur, nec dei ullius, nec deae: viri sacerdotes sunt tam dearum omnium, quam deorum. Nutrire parentes non tenentur filii, nisi ultro id faciant; filiae vero, etiam si nolint, lege tenentur.

XXXVI. Deorum sacerdotes aliis in terris comam alunt; in aegypto tondentur. Apud alios homines institutum est, ut in propinquorum funeribus tondeant caput: aegyptii, mortuo aliquo suorum, capillos et barbam augeri sinunt, antea tonsi. (2) Alii homines seorsum ab animalibus vitam agunt: aegyptii una cum animalibus degunt. Alii tritico et hordeo vescuntur: apud aegyptios, qui hisce vitam sustentat, ei id maximo probro est; ex olyra vero panem et alia farinacea parant, quam nonnulli zeam vocant. (3) Farinam aegyptii pedibus subigunt, lutum vero manibus; manibus item stercus tollunt. Pudenda alii homines sinunt uti natura sunt, nisi qui ab his didicere, aegyptii ea circumcidunt. (4) Vestes vir quilibet binas habet; femina unam. Velorum annulos et funes alii extrinsecus adligant, aegyptii intrinsecus. (5) Literarum elementa scribunt et calculis computant Graeci a sinistra parte ad dextram promoventes manum: aegyptii a dextra ad sinistram; atque id facientes, dextrorsum se scribere dicunt, Graecos autem ad sinistram. Utuntur autem duplici genere scripturae, quorum alterum sacrum vocatur, alterum populare.

XXXVII. Religiosi quum sint supra modum, et magis quam alii homines, ritibus utuntur hujusmodi. Ex aeneis bibunt poculis, eaque quotidie operose eluunt exterguntque; non hic, nec vero ille; sed ad unum omnes. (2) Vestimenta gestant linea, semper recens lota; hoc enim quam maxime curant. Pudenda autem circumcidunt munditiei caussa; maluntque mundi esse, quam decori. (3) Sacerdotes tertio quoque die totum radunt corpus, ne aut pediculus aut aliud quid sordidum illis insit, dum diis officia praestant. (4) Vestem sacerdotes nonnisi lineam gestant, et calceamenta ex papyro; aliam vestem, aut alia calceamenta gestare, non est illis licitum. Bis quotidie lavantur frigida, et bis unaquaque nocte. Denique alias observant caerimonias, verbo ut dicam, infinitas. (5) Fruuntur vero etiam commodis haud paucis. Nihil enim suarum rerum vel usu deterunt vel consumunt: sed adponuntur illis quotidie sacri cibi cocti, et carnis bovinae et anserinae copia quaedam haud exigua: etiam vinum viteum eisdem praebetur. (6) Piscibus autem vesci nefas illis est. Fabas nullas utique serunt aegyptii, et, si quae nascuntur, has nec crudas manducant, nec coctis vescuntur: sacerdotes vero ne adspicere quidem eas sustinent, immundum esse lugem existimantes. (7) Non est autem cuique deo sacerdos unus; sed plures, quorum unus est princeps sacerdos: qui si moritur, ei succedit filius.

XXXVIII. Boves mares Epapho sacros esse aestimant; et hac de caussa in hunc modum eos explorant. Si vel unum pilum nigrum in bove conspicit is qui explorat, hunc non censet esse mundum. (2) Est autem sacerdos ad id constitutus, qui et recto stante bove, et resupinato, et lingua ejus exserta, inquirat an mundus sit respectu praescriptorum signorum, quae ego alibi exponam. Inspicitque ille etiam caudae pilos, an habeat illos bos secundum naturam constitutos. (3) Quodsi his omnibus rebus mundus bos est, tum notat illum sacerdos papyro cornibus circumvoluto, deinde inlita terra signatoria annulum imprimit; atque ita bos abducitur: non signatum autem immolanti, capitis poena dicta est. Hic est ritus, quo exploratur victima.

XXXIX. Sacrificium autem tali modo instituitur. Postquam justa nota signatus bos ad aram adductus est, ad quam peragere volunt sacrificium, pyram accendunt. Deinde super ara vinum adversus victimam libant, invocatoque deo illam mactant, mactataeque caput abscindunt. (2) Tum corpus quidem pecudis excoriant; capiti vero illi multa mala imprecantur, eo facto, qui forum venale habent, et quorum in oppido Graeci mercatores cum ipsis habitant, hi caput illud in forum ferunt venduntque; quibus vero non adsunt Graeci, hi illud in fluvium abjiciunt. (3) Imprecantur autem capitibus, haec verba pronunciantes: Si quid mali aut nobis sacrificantibus aut universae imminet aegypto, illud in hoc caput vertito! Quod igitur ad capita mactatarum victimarum attinet, et ad vinum super eas effusum, aegyptii omnes, omnibus in sacrificiis, eisdem ritibus perinde utuntur: atque inde fit ut nullius etiam alius animantis capite quisquam aegyptius vescatur.

XL. Exenteratio autem victimae et crematio, pro diversis sacris, diversa est. Quam igitur maximam deam censent esse, cui item maximum agunt festum, huic quo ritu fiat exenteratio et crematio dicam. (2) Postquam excoriarunt bovem, peractis precibus, totam inferiorem alvum exenterant, viscera vero et adipem in corpore relinquunt: pedes autem amputant, et extremam coxam, armosque, et cervicem. (3) His factis, reliquum bovis corpus implent panibus mundis, melle, uva passa, ficis, thure, myrrha, aliisque aromatibus: tum ita repletum incendunt, oleum

largiter infundentes. Priusquam autem id sacrum faciant, jejunium agunt. Dum ardet victima, plangunt omnes: denique, plangendi fine facto, epulum adponunt ex victimarum reliquiis.

XLI. Mundos igitur boves mares et vitulos immolant aegyptii omnes: feminas[TR2] vero immolare nefas est, sed sacrae illae sunt Isidi. Est enim Isidis imago muliebris, bubulis instructa cornibus, quemadmodum Io pingitur a Graecis: et boves feminas cuncti perinde colunt aegyptii pecudum omnium longe maxime. (2) Quapropter nec vir aegyptius, neque mulier, Graecum virum osculabitur, aut cultro hominis Graeci aut veru aut olla utetur; et ne mundi quidem bovis carnem, quae graeco cultro dissecta fuerit, gustabit. (3) Mortuos vero boves hoc modo sepeliunt. Feminas quidem in fluvium conjiciunt: mares autem defodiunt quique in suis suburbiis, ita ut alterum cornu aut etiam utrumque emineat e terra signi caussa. Putrefacto cadavere, quando statutum adest tempus, venit in unumquodque oppidum navis ex Prosopitide quae vocatur insula, quae in Delta est, novem schoenos in circuitu habens. (4) In hac igitur Prosopitide insula quum alia insunt oppida multa, tum illud e quo naves circummittuntur boum ossa ablaturae, cui nomen Atarbechis; in qua est templum Veneri sacrum. (5) Ex hoc igitur oppido multi homines, alii in alia oppida, circumvehuntur, qui ossa illa effodiunt, et abducta sepeliunt unum in locum cuncta. Eodem vero modo, atque boves, sepeliunt etiam alia pecora mortua: est enim etiam de his ita lege cautum; nam ne haec quidem mactant.

XLII. Jam quicumque templum habent Jovi Thebano sacrum, aut qui praefecturam incolunt Thebanam, hi omnes ovibus abstinent, capras vero immolant. (Nec enim omnes aegyptii eosdem perinde deos colunt, exceptis Iside et Osiride, quem esse Bacchum aiunt: hos enim pariter colunt omnes.) Qui vero templum habent Mendeti sacrum, aut qui ex Mendesia sunt praefectura, hi capris abstinent, oves vero immolant. (2) Thebani igitur, et quicumque alii, horum sacra sequentes, ovibus abstinent, hac de caussa legem illam sibi constitutam dicunt: cupivisse Herculem utique conspicere Jovem, hunc autem ab illo conspici noluisse; ad extremum, quum assidue rogaret Hercules, hoc invento usum esse Jovem: excoriasse arietem, tum abscissum arietis caput sibi praetendentem, et vellere ejus indutum, ita se ei ostendisse. (3) Inde Jovis imaginem faciunt aegyptii arietina facie; et ab aegyptiis hoc accepere Ammonii, qui sunt aegyptiorum aethiopumque colonia, et sermone utuntur ex utrisque mixto. (4) Videturque mihi ipsum etiam nomen Ammoniorum indidem originem cepisse; nam Jovem aegyptii Ammoun vocant. Thebani igitur arietes non mactant: sed sacros eos istam ob caussam habent. (5) Verumtamen uno die quotannis, in Jovis festo,[TR3] unum arietem caedunt; cujus detracto vellere similiter induunt Jovis simulacrum, deinde aliud simulacrum Herculis ad illud adducunt: eoque facto omnes, qui circa templum sunt, plangunt hircum, et deinde sacro in loculo eum sepeliunt.

XLIII. Ad Herculem vero quod spectet, hunc sermonem audivi, esse eum ex duodecim deorum numero. De altero vero Hercule, quem Graeci norunt, nusquam in aegypto comperire quidquam potuit. Ac sane, nomen Herculis non a Graecis accepisse aegyptios, sed Graecos potius ab aegyptiis, et Graecorum eos ipsos qui Amphitryonis filio nomen Herculis imposuerunt; hoc, inquam, ita esse, quum alia multa documenta habeo, (2) tum vero et hoc, quod hujus Herculis parentes ambo, Amphitryo et Alcmena, origine aegyptii fuere, et quod aegyptii nec Neptuni nomen, nec Dioscurorum, se nosse aiunt, neque hi dii ab illis in reliquorum deorum numerum sunt relati. (3) Atqui si a Graecis ullius dei nomen accepissent, horum haud minime, immo vel

maxime, memoriam erant conservaturi (quandoquidem jam tunc navigationibus utebantur, atque etiam Graecorum nonnulli mare exercebant), ut existimo equidem, et non temere persuasum habeo: quare horum deorum nomina magis etiam, quam Herculis, ad aegyptiorum notitiam erant perventura. (4) At est aegyptiis antiquus aliquis deus Hercules:[TR4] nam, ut ipsi dicunt, septemdecim millia annorum usque ad Amasidis regnum effluxerant, postquam ex primis octo diis exstiterunt illi duodecim, quorum in numero Herculem ponunt.

XLIV. Qua de re cupiens certius aliquid, undecumque possem, cognoscere, Tyrum etiam navigavi in Phoenice, quum audivissem esse ibi Herculis templum praecipua religione cultum: (2) conspexique id templum, quum aliis multis donariis largiter instructum, tum duae in eo columnae erant, altera purissimo ex auro, altera ex smaragdo lapide, quae noctu eximie splendebat. Sermones autem miscens cum illis dei sacerdotibus, quaesivi ex eis quantum temporis esset ex quo id templum esset statutum. (3) Reperi autem, ne his quidem convenire cum Graecis: dixerunt enim, simul cum Tyro condita templum etiam illud esse constitutum; esse autem, ex quo condita Tyrus sit, annos bis mille et trecentos. (4) Vidi vero Tyri aliud etiam Herculis templum, cognomine Thasii. (5) Adii autem etiam Thasum, ibique templum reperi a Phoenicibus illis exstructum, qui, quum ad quaerendam Europam navibus essent profecti, Thasum condiderunt: quod quidem quinque hominum generationibus prius accidit, quam in Graecia natus est Hercules, Amphitryonis filius. (6) Ex hactenus igitur narratis clare patet, antiquum deum Herculem esse. Quare rectissime mihi videntur illi ex Graecis facere, qui bina Herculis templa constituta habent; et alteri Herculi ut immortali, cognomine Olympio, sacra faciunt; alterum heroicis honoribus prosquuntur.

XLV. Narrant autem Graeci quum alia multa inconsiderate, tum et haec fatua eorum fabula est, quam de Hercule memorant; dicentes, quum in aegyptum venisset, coronatum ab aegyptiis veluti victimam fuisse, et cum pompa eductum, ut Jovi immolaretur: illumque initio quidem quietem egisse, deinde vero quum ad altare auspicarentur sacrificium, exserto robore cunctos interfecisse. (2) Mihi vero haec dicentes Graeci prorsus ignari videntur esse naturae aegyptiorum, institutorumque quibus illi utuntur. Quibus enim nefas est vel pecudes mactare, exceptis ovibus et bobus maribus vitulisque, si mundi fuerint, et anseribus; hi quo pacto hominem mactarent? (3) Praeterea, quum unus fuerit Hercules, atque etiam tum homo, ut ipsi aiunt; quo pacto fieri potuit ut multas hominum myriades occideret? Sed haec a me hactenus hisce de rebus dicta dii et heroes, quaeso, in bonam partem accipiant!

XLVI. Capras autem et hircos hac de caussa non mactant ii ex aegyptiis, quos supra dixi. Pan in octo deorum numero habetur apud Mendesios: quos octo deos priores aiunt fuisse duodecim diis. (2) Pingunt autem et exsculpunt pictores et sculptores simulacrum Panis prorsus ut Graeci, facie caprina, et pedibus hirci: non quod eum talem esse arbitrentur; sed similem illum ceteris diis existimant. Cur autem ita pingant eum, non mihi lubet exponere. (2) Religiose autem colunt Mendesii caprarum omne genus, sed magis etiam mares quam feminas; et horum eos majore in honore habent qui cornua non emittunt. Ex his autem unus est maxime, qui quando moritur, universa Mendesia praefectura ingenti in luctu versatur. (4) Nominatur vero et hircus et Pan sermone aegyptiorum Mendes. Accidit autem in hac praefectura mea aetate hoc prodigium: hircus cum muliere coiit propalam: eaque res ad omnium hominum notitiam pervenit.

XLVII. Suem vero sordidum animal esse censent aegyptii; ita quidem, ut, si quis inter transeundum vel solis vestimentis suem tetigerit, ad flumen abeat, et immergens sese abluat. Itaque etiam subulci, quamvis sint indigenae aegyptii, soli ex omnibus aegyptiis nullum templum ingrediuntur: neque quisquam illis filiam vult elocare, nec illorum filiam ducere uxorem: sed inter se subulci filias elocant, et matrimonia ineunt. (2) Aliis igitur diis sues immolare nefas ducunt aegyptii: Lunae vero et Baccho solis, eodem tempore, eodem plenilunio, sues immolant, et carne eorum vescuntur. (3) Cur autem ceteris in festis a suibus abhorreant, in hoc vero eas immolent, caussam hujus rei adferunt aegyptii; quam licet noverim, non valde me decet referre. (4) Sacrificantur autem sues Lunae in hunc modum: qui sacrum facit, is mactata sue extremam ejus caudam, splenem, et omentum, in unum componit, omnique adipe, qui in pecudis abdomine est, obtegit, tum accenso igne adolet. Deinde reliqua carne vescuntur eodem plenilunii die, quo sacra fecerunt: alio vero die nemo amplius gustaverit. Pauperes vero, ob victus tenuitatem, farinaceas fingunt sues, eisque coctis sacrificium peragunt.

XLVIII. Baccho vero, vespera quae festum antecedit, unusquisque suem ante januam aedium suarum mactat; mactatam vero eidem subulco, qui illi eam vendiderat, tradit auferendam. (2) Reliquum vero festum Baccho, choros si excipias, aegyptii eodem prorsus modo agunt atque Graeci. Loco phallorum autem alio invento utuntur; imaginibus fere cubitalibus, nervo mobilibus, quas per vicos circumferunt mulieres, nutante veretro, haud multo minori quam reliquum totum corpus. (3) Praecedit tibia, sequunturque mulieres, Baccho carmina canentes. Cur autem veretrum sit majus, et hoc unum in corpore moveatur, ejus rei sacra quaedam redditur ratio.

XLIX. Jam igitur hujus sacri videtur mihi Melampus, Amythaonis filius, non fuisse ignarus, sed cognitum illud habuisse. Qui enim Graecos et nomen et sacra Bacchi et phalli pompam docuit, is Melampus est. (2) Sed non totam rem recte perceptam aperuit: alii autem post eum docti viri amplius illam patefecerunt. Phallum certe, qui in Bacchi pompa circumfertur, Melampus instituit, et ab illo edocti faciunt Graeci quae faciunt. (3) Ego itaque adfirmo, Melampodem, quum esset vir doctrina et ingenio praestans, et divinandi artem sibi comparasse, et quum alia multa, quae ex aegypto cognoverat, tum ea quae ad Bacchum spectant, Graecos docuisse, pauca ex illis immutantem. (4) Nec enim dicam equidem, fortuito congruere ea quae in aegypto peraguntur huic deo, et quae apud Graecos: forent enim reliquis Graecorum moribus institutisque conformia, nec recens introducta: nec vero rursus dicam, a Graecis accepisse aegyptios sive hoc, sive aliud ullum institutum. (5) Accepisse autem Melampus haec quae ad Bacchi cultum spectant, maxime a Cadmo Tyrio mihi videtur et ab his qui cum eo ex Phoenice in hanc terram, quae nunc Boeotia vocatur, advenerat.

L. Enimvero omnia propemodum deorum nomina ex aegypto in Graeciam pervenerunt. Nam, a barbaris advenisse, perquirendo compertum habeo: puto autem, ex aegypto maxime fuisse adlata. (2) Etenim si Neptunum et Dioscuros excipias, ut jam ante dixi, tum Junonem, Vestam, Themidem, Charitas et Nereidas; reliquorum deorum omnium nomina ab omni retro tempore in aegypto exstitere. Dico autem quae dicunt ipsi aegyptii. (3) Quorum vero deorum ignorare se nomina aiunt, his mihi videntur Pelasgi nomina imposuisse, excepto Neptuno: hujus autem dei notitia ex Libya ad Graecos pervenit: nullus enim populus, praeter Libyes, Neptuni olim nomen

habuit: Libyes vero deum hunc perpetuo coluerunt. Porro nec heroas ullo cultu prosequuntur aegpytii.

LI. Ista igitur, quae dixi, et praeterea alia, de quibus dicturus sum, ab aegyptiis receperunt Graeci. Quod vero Mercurii imagines faciunt erecta pudenda habentes, id non ab aegyptiis didicerunt; sed a Pelasgis acceperunt primi Graecorum omnium Athenienses, ac deinde ab his ceteri. (2) Nam cum Atheniensibus, qui jam tum Hellenibus accensebantur, simul in eadem regione habitabant Pelasgi; unde etiam ipsi coeperunt in Hellenum numero haberi. Quisquis mysteriis Cabirorum initiatus est, quae Samothraces celebrant, is novit quid sit quod dico. (3) Samothraciam enim prius incoluerant hi Pelasgi, qui cum Atheniensibus habitaverunt: et ab his Samothraces mysteria acceperunt. Igitur Mercurii imagines pudendis erectis primi Graecorum Athenienses fecerunt, a Pelasgis edocti. Pelasgi vero ejus rei sacram quamdam rationem adferebant, quae in Samothracicis mysteriis explicatur.

LII. Sacrificia autem omnia olim peragebant Pelasgi deos precantes, ut ego Dodonae mihi adfirmatum cognovi: sed cognomento aut nomine nullum eorum compellabant; necdum enim audiverant. (2) Simpliciter deos, θεούς, adpellabant, eo quod illi omnes res ordine posuissent, θέντες (a θεῖναι, ponere), et distributionem earum omnem in manu haberent. (3) Deinde vero, multo interjecto tempore, didicerunt ex aegypto adlata deorum nomina ceterorum praeter Bacchum, cujus nomen multo post cognoverunt.[TR5] Aliquanto post, Dodonam miserunt, horum nominum caussa oraculum consulentes: est enim antiquissimum Graecis oraculum hoc constitutum, et tunc temporis nullum aliud praeter hoc erat. (4) Consulentibus igitur Dodonae oraculum Pelasgis, an nomina susciperent deorum a barbaris adlata, datum est responsum, Uterentur illis. Ab hoc igitur tempore in sacris faciendis usi sunt Pelasgi nominibus deorum: a Pelasgis vero postmodum acceperunt ea Hellenes.

LIII. Unde autem exstiterit unusquisque deorum, an vero semper fuerint omnes, tum qua sint specie, ignorarunt Graeci, usque ad nuperrimum diem, ut verbo dicam. (2) Hesiodum enim et Homerum quadringentis annis me antiquiores esse existimo, non amplius. Hi sunt autem qui deorum generationem Graecis condiderunt, et cognomina ac nomina diis imposuerunt, et honores artesque distribuerunt, et eorum formas delinearunt. (3) Qui vero dicuntur his antiquiores fuisse poetae, hi post illos, ut equidem puto, exstiterunt. Jam quae prius dixi, ea ex ore Dodonidarum sacerdotum retuli: quae vero deinde, ad Hesiodum et Homerum spectantia, ea meis verbis dico.

LIV. De oraculis autem, quum de illo quod apud Graecos (Dodonae) est, tum eo quod in Libya, hancce historiam narrant aegyptii. Dixerunt mihi Jovis Thebani sacerdotes duas mulieres, templi ministras, Thebis olim abductas fuisse a Phoenicibus; compertumque esse, alteram earum venditam fuisse in Libyam, alteram in Graeciam: hasque esse mulieres, quae oracula illa apud praedictos populos primum instituissent. (2) Quum vero ex illis quaesissem, unde haec, quae adfirment, tam adcurate nossent, responderunt ad haec: magnam curam fuisse adhibitam ad investigandas mulieres, sed reperiri eas non potuisse: deinde vero compertum ipsis esse id quod dixissent.

LV. Ista igitur ex Thebanis audivi sacerdotibus; Dodonaeorum vero prophetissae haec narrant: duas nigras columbas Thebis aegyptiis avolasse, earum alteram in Libyam, alteram ad se venisse. Et hanc quidem in fago residentem, humana lingua locutam dixisse, instituendum ibi esse Jovis oraculum. Dodonaeos igitur existimasse, divinitus id sibi praecipi, et continuo mandata fecisse. (2) Illam autem columbam quae in Libyam abierat, dicunt, jussisse Libyas, ut Ammonis instituerent oraculum. Est autem et hoc, Jovis oraculum. (3) Haec mihi dixerunt mulieres quae apud Dodonaeos sacerdotio funguntur; quarum natu maximae nomen est Promeneae; alteri, Timaretae; natu minimae, Nicandrae. Atque his constentiebant ceteri Dodonaei, qui circa id templum ministrant.

LVI. Quibus de rebus haec est mea sententia. Quodsi revera Phoenices sacras mulieres abduxerunt, earumque alteram in Libyam vendiderunt, alteram in Graeciam; videtur mihi haec altera in hujus terrae, quae nunc Graecia, olim vero Pelasgia vocabatur, eam regionem vendita fuisse, quam Thesproti incolunt; deinde vero, quum ibi serviret, sub fago arbore aedem Jovi statuisse: quemadmodum consentaneum est, eam quae Thebis in Jovis templo famulata esset, eo in loco, quo nunc delata esset, memoriam illius servasse. (2) Deinde, postquam Graecum addidicit sermonem, oraculum ibidem instituit. Probabile est etiam, dixisse eam, sororem suam in Libyam esse venditam ab eisdem Phoenicibus, a quibus et ipsa vendita fuisset.

LVII. Quod autem columbae nominatae sint a Dodonaeis istae mulieres, id ea re factum mihi videtur, quod barbarae fuissent: eo enim visae illis erant vocem edere similem avibus. (2) Post aliquod tempus autem humana voce aiunt locutam esse columbam; scilicet postquam eo sermone, quem ipsi intelligebant, loqui coepit: quoad vero barbare loquebatur, avium more sonum edere illis visa erat. Nam quo pacto columba humana lingua loqueretur? Quod vero nigram fuisse dicunt columbam, significant aegyptiam fuisse mulierem.

LVIII. Est autem modus quo oracula redduntur similis Thebis aegyptiacis atque Dodonae. Est vero etiam divinatio in templis ab aegyptiis profecta. (2) Jam panegyres (sacros conventus) et pompas et adductiones victimarum ad aras primi utique aegyptii instituerunt; et ab his Graeci acceperunt. Cujus rei documentum mihi hoc est, quod apud illos ab longo inde tempore instituti sunt hi ritus; apud Graecos autem nuper introducti.

LIX. Celebrant autem panegyres aegyptii non semel quotannis, sed frequentius. Maxime quidem et praecipuo cum studio panegyrin agunt Bubastin oppidum, in Dianae honorem: deinde Busirin, Isidi; est enim in hoc oppido maximum Isidis templum. Situm est autem id oppidum in medio Delta aegyptiaco; Isis vero Graeco sermone Demeter (Ceres) est. Tertiam panegyrin in Sain oppidum agunt Minervae: quartam, Heliopolin, Soli: quintam, in oppidum cui Buto nomen, Latonae: sextam, Papremin oppidum, Marti.

LX. Quae Bubastin agitur panegyris, tali modo instituitur. Navigant una viri et mulieres, et equidem magna utrorumque multitudo in quaque navi. Per totum navigationis cursum,

mulierum aliae crotala pulsant, viri vero tibiis canunt: reliquae mulieres virique canunt et manibus plaudunt. (2) Quoties inter navigandum prope aliud oppidum accedunt, navi ad terram adpulsa, talia agunt: ex mulieribus aliquae pergunt ea facere quae dixi; aliae clamantes dicteriis incessunt oppidi illius mulieres; aliae tripudiant; aliae stantes attracta veste corpora nudant. (3) Haec ad quodlibet oppidum juxta fluvium situm faciunt. Ubi vero Bubastin venerunt, festum celebrant, magna sacrificia offerentes: et vini vitei in festo illo plus absumitur, quam reliquo toto anno. (4) Conveniunt autem, viri et mulieres, non comprehensis in eo numero pueris puellisque, ad septingenta utique millia, ut aiunt indigenae. Haec igitur ita peragunt.

LXI. In Busiride vero oppido qua ratione Isidi festum agant, supra dixi. Plangunt ibi, post peractum sacrificium, viri omnes mulieresque, multae admodum myriades hominum: quis sit vero quem plangunt, nefas mihi est declarare. (2) Qui vero Cares natione in aegypto habitant, hi tanto etiam amplius faciunt quam ceteri, ut frontes quoque cultris concidant; et ea re produnt se peregrinos esse, non aegyptios.

LXII. Quum in Sain oppidum solennis sacrificii caussa conveniunt, certa quadam nocte lucernas accendunt omnes sub dio circum domos suas. Sunt autem hae lucernae vascula sale repleta et oleo; superne est ellychnium, quod per totam noctem ardet; adpellantque festum illud, Accensionem lucernarum. (2) Alii autem aegyptii, qui conventui non intersunt, observantes noctem sacrificii, lucernas et ipsi accendunt omnes: ita fit ut non solum in Sai oppido, sed per totam aegyptum lucernae ardeant. Qua vero de caussa nox haec lumine ita honoretur, ea de re sacra quaedam ratio adfertur.

LXIII. Heliopolin et in Buto oppidum quum conveniunt, nonnisi sacrificia peragunt: Papremi vero et sacrificia et alios sacros ritus celebrant, sicut ceteris in locis. Ibi vero, quando sol occasui vicinus est, pauci nonnulli ex sacerdotibus circa dei simulacrum occupantur; plerique vero eorum, ligneis clavis instructi, stant in templi introitu; alii vero, susceptum votum exsequentes, plures quam mille homines, ex adverso stant, fuste quisque instructus. (2) Simulacrum autem dei, quod in parva aedicula inest lignea deaurata, pridie ejus diei in aliam sacram aedem transportant. Jam pauci illi, qui apud simulacrum relicti sunt, trahunt plaustrum quattuor rotarum, cui imposita est aedicula et quod ei inest simulacrum: isti vero, qui in propylaeo stant, hos non sinunt intrare. Atque hi, qui vota susceperunt, deo opem ferentes, pugnam ineunt, illosque fustibus caedunt: (3) fitque ibi acre praelium, multisque contunduntur capita; nec pauci, ut equidem arbitror, moriuntur etiam ex vulneribus; quamquam adfirmant aegyptii neminem interire.

LXIV. Hanc autem panegyrin hac caussa institutam esse aiunt indigenae: habitasse in illo templo matrem Martis: Martem autem, alibi educatum, postquam ad virilem pervenit aetatem, voluisse matri in commercium venire: ministros autem matris, ut qui illum numquam ante vidissent, non sivisse eum accedere, sed prohibuisse: tum illum, adductis secum ex alio oppido hominibus, male mulcasse ministros et ad matrem introivisse. In ejus rei memoriam verberationem hanc in festo Marti sacro a se aiunt esse institutam. (2) Etiam hanc religionem primi coluerunt aegyptii, ut nefas ducant in templo coire cum mulieribus, aut a concubitu intrare in templa illotum. Ceteri enim fere omnes homines, exceptis aegyptiis et Graecis, coeunt in locis sacris, et ab uxoribus

surgentes, templum intrant illoti: existimantes nihil inter homines et alias pecudes differre. Videre se enim alias pecudes et avium varia genera coire in ipsis deorum aedibus et in locis deo alicui consecratis: id si ingratum esset deo, pecudes non esse facturas. Talia illi praetexentes faciunt ista, mihi quidem minime probata.

LXV. Sed aegyptii, quum aliis in rebus, tum nimirum et hac in parte, curiose colunt templorum religionem. aegyptus, quamvis sit Libyae confinis, non est tamen bestiis frequens. Quae vero in ea reperiuntur, sacrae habentur omnes: et illarum quidem aliae cum ipsis hominibus aluntur; aliae non item. (2) Quodsi vero declarare vellem, cur deorum cuique consecratae sint hae quae sacrae habentur, descenderem ad sermonem faciendum de divinis rebus, quas exponere equidem imprimis devito: quarum si quas ego in narratione mea tetigi, necessitate adductus de eis sum locutus. (3) Obtinet autem, quod ad hasce bestias spectat, institutum hujusmodi. Constituti sunt, quibus earum alendarum, et quidem cujusque generis sigillatim, cura commissa est, viri aegyptii mulieresque; quo in munere patri filius succedit. (4) Praeterea singuli oppidorum incolae vota illis exsolvunt haec, quae deo ei fecerunt cui sacrata est bestia: scilicet liberorum suorum sive totum caput, sive dimidium, aut tertiam radunt partem; deinde capillos in trutina argentum contra pendunt, et, quantum fuerit capillorum pondus, tantum argenti solvunt curatrici bestiarum: illaque, pro hoc, escam bestiis concisos pisces praebet; (5) hoc enim eis alimenti genus adsignatum est. Si quis vero harum bestiarum quampiam occiderit, si sponte id fecerit, capite delictum luit; sin invitus, mulctam pendit, quantum irrogaverint sacerdotes. Qui vero ibin aut accipitrem necavit, sive volens, sive invitus, eum mori necesse est.

LVI. Quamvis autem multae sint bestiae quae cum hominibus aluntur vitamque agunt, multo etiam plures forent, nisi felibus accideret hocce. Postquam pepererunt feminae, non amplius accedunt ad mares: at hi, coire cum illis concupiscentes, quum non possint, tali utuntur invento: rapiunt illarum foetus, raptosque interficiunt; nec tamen comedunt occisos. Tum illae, foetu privatae, et alium desiderantes, sic demum iterum ad mares accedunt: est enim amans prolis bestia. (2) Quodsi vero incidit incendium, divinitus quasi furore quodam corripiuntur feles. Nam aegyptii quidem, per intervalla dispositi, custodiam felium agunt, incendium interim nihil curantes; at feles, aut sese insinuantes per hominum intervalla, aut superne transilientes, in ignem insiliunt: (3) quod ubi fit, ingens luctus capit aegyptios. Quodsi ultro in domo quadam moritur felis, omnes aedium illarum incolae supercilia sola radunt; apud quos vero canis mortuus fuerit, hi totum radunt corpus et caput.

LXVII. Abducuntur autem mortuae feles in sacra sepulcra, quae in Bubasti sunt oppido, ubi conditae sepeliuntur. Canes autem mortuos in suo quisque oppido sacris in conditoriis sepeliunt: (2) et similiter, atque canes, sepeliuntur ichneumones. Mures autem araneos et accipitres in Buto oppidum deducunt: ibes vero, Mercurio sacras, Hermopolin. (3) Ursos autem, raros illos quidem in aegypto, et lupos, qui vulpibus haud multo sunt majores, ibi sepeliunt, ubi mortui reperiuntur.

LXVIII. Crocodilorum autem haec natura est. Per quattuor menses maxime hibernos nullum cibum capiunt. Quadrupes est, terram pariter et aquam habitans: ova enim parit excluditque in

terra, et majorem diei partem in sicco versatur, noctem vero totam in fluvio agit: est enim aqua tum magis calida quam aer et ros. (2) Omnium vero, quae novimus, animalium hoc ex minimo fit maximum. Nam ova parit haud multo majora anserinis, et exclusus foetus pro ovi portione est: at, ubi incrementum cepit, pervenit ad septemdecim cubitorum longitudinem, et ultra. (3) Habet autem oculos porci, dentes vero magnos et exsertos, pro ratione magnitudinis corporis. Linguam natura non habet, unum ex omnibus animantibus: neque inferiorem movet, maxillam, sed ex omnibus item animantibus unum est quod superiorem maxillam admoveat inferiori. (4) Habet autem ungues robustos, et cutem squamatam, quae in tergo perrumpi non potest. In aqua quidem caecus est, in aere vero perspicacissimus. Quum igitur in aqua degat, os intus oppletum habet hirudinibus. (5) Jam aliae quidem aves et bestiae illum fugiunt: eum trochilo autem pacem colit, quippe qui utilem ei operam praestat: nam postquam ex aqua in terram exiit crocodilus, ibique ore hiante recubat (quod facere ille plerumque contra zephyrum consuevit), tum trochilus in os ejus sese insinuans, hirudines devorat; atque ille hac opera sibi praestita gaudens, neutiquam laedit trochilum.

LXIX. Sunt autem crocodili aliis aegyptiis sacri; aliis non item, sed hi illos ut hostes persequuntur. Qui circa Thebas et Moeridis lacum habitant, hi vel maxime sacros illos ducunt: (2) et horum utrique unum crocodilum eximium alunt, manu tractari edoctum; cujus auribus inaures ex fusis lapidibus et auro inserunt, et anteriores pedes ornant armillis; demensoque cibo, quum farinaceo, tum ex victimis, eumdem pascunt, curantes ut quam lautissime vivat; denique mortuum condiunt, et sacro in sepulcro sepeliunt. (3) Qui vero circa Elephantinen habitant, hi non modo non sacros habent crocodilos, sed et carne eorum vescuntur. Vocantur autem ab aegyptiis, non crocodili, sed champsae. Crocodilos enim Iones illos nominarunt, formam illorum conferentes cum crocodilis (id est lacertis) qui apud illos in maceriis versantur.

LXX. Venatio crocodilorum multis atque variis modis instituitur: quorum ego illum, qui maxime mihi memoratu dignus videtur, exponam. Suis tergus, pro esca hamo insertum, in medium flumen demittit venator: ipse in ripa fluminis vivum habet porcellum, quem ferit. (2) Crocodilus, audita voce, ad ejus onum adcurrit; in tergus vero suis incidens, illud deglutit; deinde eum in terram attrahunt. Postquam in terram extractus est, primum omnium oculos ejus luto oblinit venator: eo facto, facile admodum reliqua administrat; si facere non potuit, difficulter.

LXXI. Hippopotami in Papremite praefectura sacri habentur; reliquis vero aegyptiis non sunt sacri. Horum natura atque species talis est: quadrupes animal, bisulcum, ungulis bovinis, simo naso, juba equina, dentibus prominentibus in conspicuo, cauda et voce equina; magnitudine maximi tauri; corio eum in modum crasso, ut ex arefacto conficiantur hastae.

LXXII. Gignuntur in fluvio etiam lutrae, quas sacras ducunt aegyptii. Ex piscium autem genere sacrum reputant esse eum qui vocatur lepidotus (quasi squamatum dicas), et anguillam: quos pisces Nilo sacros esse aiunt; itemque ex avium genere vulpanseres.

LXXIII. Est autem etiam alia avis sacra, cui nomen phoenix: quem ego quidem non vidi, nisi pictum; perraro quippe aegyptum visitat, nonnisi ex quingentorum, ut Helipolitae aiunt, annorum intervallo: advenire autem dicunt tunc, quum pater ejus obiit. (2) Est autem, si modo pictura recte ejus formam referet, tantus atque talis: pennarum color, aliarum aureus, aliarum ruber; caeterum tota avis, habitu et magnitudine, aquilae maxime simillima. (3) Phoenicem hunc aiunt, mihi quidem parum credibilia narrantes, haecce machinari: ex Arabia proficiscentem, in Solis templum portare patrem suum, myrrha circumlitum, et in templo Solis sepelire. (4) Portare autem eum hoc modo: primum myrrham in ovi formam fingere tanti ponderis, quantum ferre ipse possit; dein ferendo illud experiri; factoque experimento, excavare ovum, et patrem intus ponere, et qua parte ovi excavati patrem inseruerit, eam alia myrrha oblinere: ita pondus impositi patris idem esse atque fuerat ovi pondus: hoc denique modo circumlitum patrem gestare eum in Solis templum. Haec facere avem illam narrant.

LXXIV. Sunt autem circa Thebas sacri serpentes, nihil hominibus noxii, haud sane magni, duobus cornibus instructi e summo capite enatis. Hos, postquam mortui sunt, in Jovis templo sepeliunt: huic enim deo sacros esse eos dicunt.

LXXV. Est vero in Arabia locus, ex adverso oppido Buto maxime situs; quem locum ipse adii, quum audirem quae de serpentibus volucribus narrantur. Eo ut perveni, vidi ossa et spinas serpentum, ineffabili multitudine: erant enim spinarum acervi, majores alii, alii minores, atque rursus minores, ingenti numero. (2) Est autem locus, ubi effusae hae spinae jacent, hujusmodi: ex angustis montibus introitus est in magnam planitiem; ea planities contigua est planitie aegypti. Narrant igitur, ineunte vere ex Arabia aegyptum versus advolare volucres serpentes; ibes autem aves, occurrentes illis in faucibus hujus regionis, aditu prohibere serpentes, illosque necare. (3) Et hoc quia facere solita sit, magno in honore ab aegyptiis haberi ibin, aiunt Arabes; et profitentur etiam aegyptii, ea caussa se hasce aves in honore habere.

LXXVI. Species autem ibidis talis est: colore admodum nigro avis est per totum corpus, pedibus gruis, rostro quam maxime adunco, magnitudine quanta crex. (2) Nigrarum scilicet, quae cum serpentibus pugnant, haec species est: sed, quae ante pedes hominum magis versantur (duo enim sunt ibium genera), hae capite et gula tota glabrae sunt; pennae quidem corporis albae, sed caput et cervix et extremae alae extremaque cauda, omnia haec, quae dixi, nigra admodum: crura et rostrum simile alteri generi. (3) Porro serpentum illorum forma similis est hydrorum: alas autem habent non pennatas, sed vespertilionis alis admodum similes. Et haec quidem hactenus de sacris bestiis dicta sunto.

LXXVII. Ad aegyptios ipsos quod attinet, hi qui eam aegypti partem incolunt, quae seminari solet, omnium hominum maxime memoriae rerum gestarum dant operam; suntque longe omnium, cum quibus aliquam notitiam contraxerim, eruditissimi. (2) Vitae autem ratione utuntur tali. Singulis mensibus per tres continuos dies purgant corpus, vomitibus et clysteribus sanitatem sectantes, rati a cibis, quos sumunt homines, oriri morborum omne genus. (3) Sunt enim caeteroquin aegyptii, post Libyas, prae caeteris omnibus populis robustissima valetudine, ob coeli puto temperiem, tempestatemque nullis mutationibus obnoxiam. Ex mutationibus enim,

quum aliarum rerum, tum praesertim ex tempestatum vicissitudinibus, maxime oriuntur morbi hominibus. (4) Vescuntur autem panibus ex zea coctis, quos cyllestes nominant. Vino vulgo utuntur ex hordeo confecto, quum vites non ferat regio. Pisces alios comedunt crudos, ad solem siccatos; alios sale conditos. (5) Ex avibus coturnices et anates et minores aviculas crudas edunt, sale quidem ante conditas; reliqua autem apud ipsos vel avium genera vel piscium, exceptis his quae sacra habentur, ea partim assata comedunt, partim elixa.

LXXVIII. In conviviis opulentiorum, postquam coenare desierunt, circumfert aliquis in loculo mortui hominis simulacrum ex ligno factum, pictura et opere maxime ad naturam expressum, longitudine cubitali omnino, aut duorum cubitorum. Hoc simulacrum ostendens ille unicuique convivarum ait: «In hunc intuens bibe et delectare; post mortem enim talis eris.» Hoc in conviviis faciunt.

LXXIX. Patriis institutis ita sunt dediti, ut alienum nullum adsciscant. Habent autem quum alia instituta memorabilia, tum est apud illos in usu cantilena quaedam, Linus, qui et in Phoenice et in Cypro cantatur et alibi; pro diversis autem populis nomen habet diversum, congruit vero atque adeo idem est quem Graeci cantant, Linum nominantes. Quare, ut multa alia eorum quae in aegypto sunt, sic et hoc mirabar, Linum unde acceperint satis vero compertum est, ab antiquissimis temporibus hunc ab illis cani solitum. (2) Nominatur autem Linus aegyptiorum lingua Maneros. Dicunt vero aegyptii, fuisse illum primi regis, qui in aegypto regnarit, filium unicum: hunc, ante pubertatem mortuum, lamentis his prosequi aegyptios: et esse hanc apud se primam et unicam cantilenam.

LXXX. Etiam alterum hoc commune habent aegyptii cum solis quidem Graecorum Lacedaemoniis: juniores apud illos ubi obviam veniunt senioribus, cedunt his via, ac deflectunt; et advenientibus e sedili adsurgunt. Sed est aliud apud eos quod a Graecorum omnium moribus abhorret: in via publica, loco salutationis, adorant alter alterum, manum usque ad genua demittentes.

LXXXI. Vestes induuntur lineas, circa crura fimbriatas, quas calasires vocant: super his candida gestant amicula lanea superinjecta. Nec vero templa ingrediuntur cum laneis amiculis, nec his induti sepeliuntur: nefas est enim. (2) Qui mos congruit cum Orphicis quae vocantur et Bacchicis institutis, quae sunt eadem aegyptiaca et Pythagorica. Nam, qui horum sacrorum est particeps, eum nefas est in laneis vestimentis sepeliri: cujus rei sacra quaedam redditur ratio.

LXXXII. Sunt porro alia ab aegyptiis inventa, haecce: mensium et dierum unusquisque cuinam ex diis sit consecratus; et, quo quisque die natus est, quaenam sint hujus hominis fata futura, quo mortis genere periturus, quodnam ejus futurum sit ingenium et natura: quibus rebus etiam Graecorum nonnulli, qui poesin tractarunt, usi sunt. (2) Prodigia etiam plura ab his inventa sunt, quam ab aliis omnibus hominibus. Incidente enim prodigio, observant scriptoque consignant ea quae deinde eveniunt: et, si quando postea aliud simile huic incidit, similia existimant eventura.

LXXXIII. Quod ad divinationem spectat, ejus apud illos haec ratio est. Hominum nulli ars divinandi inesse putatur, sed deorum quibusdam. Nam et Herculis in aegypto oraculum est, et Apollinis, et Minervae, et Dianae, et Martis, et Jovis; denique id, quod maxime omnium in honore habent, Latonae oraculum in Buto oppido. Modus vero quo eduntur oracula, non idem illis constitutus ubique est, sed diversus.

LXXXIV. Ars medica apud eos in hunc modum distributa est, ut singulorum morborum singuli sint medici, nec plura morborum genera unus idemque curet. Suntque apud illos medicorum plena omnia: nam alii oculorum sunt medici, capitis alii, alii dentium, alii alvi, alii occultorum morborum.

LXXXV. Lamenta et sepulturae in hunc modum apud eos instituuntur. Quando ex domo quadam decessit homo, cujus aliqua ratio habetur, feminae ex ea domo omnes luto oblinunt caput aut ipsam etiam faciem, ac dein, relicto domi[TR6] cadavere, ipsae per urbem discurrentes plangunt, succinctae, mammasque exserentes, et cum his propinquae omnes. ex parte viri plangunt, et ipsi succincti. Haec postquam fecerunt, ita demum corpus ad condiendum efferunt.

LXXXVI. Sunt autem qui hoc ipso occupantur et artem hanc condiendi mortuos exercent. Hi, ubi illis adlatum est cadaver, ostendunt his qui illud adferunt exemplaria lignea cadaverum, pictura verum imitantia. Et praestantissimam quidem condiendi rationem dicunt ejus esse, cujus nomen in tali re effari nefas duco. Monstrant vero et exemplar alterius, quae huic inferior est et minus pretiosa; denique tertiam, vilissimam. Quibus expositis, quaerunt ex illis, quonam genere parari velint cadaver. (2) Tum hi, postquam de mercede convenit, abeunt: et illi, suis in aedibus manentes, si praestantissima ratione condiendum cadaver fuerit, rem ita peragunt. (3) Primum incurvo ferro per nares extrahunt cerebrum; et partem quidem cerebri ita extrahunt, partim vero infusis medicamentis. Deinde acuto lapide aethiopico circa ilia incidunt cadaver, et totam alvum exenterant, et purgatam eluunt vino palmeo, iterumque tritis aromatibus extergunt: tum trita purissima myrrha et casia aliisque odoribus, thure excepto, alvum complent, atque completam rursus consuunt. (4) His ita factis, nitro condiunt, conduntque cadaver per dies septuaginta; nec enim licet plures condiendo insumere. Elapsis septuaginta diebus, lavant cadaver, et totum corpus sectis ex sindone byssina fasciis involvunt, gummi illo sublitis, quo pro glutine maxime utuntur aegyptii. (5)Inde ubi cadaver receperunt propinqui, capsam conficiendam curant hominis figura, cui includunt cadaver, atque inclusum reponunt in conditorio sepulcrali, rectum statuentes ad parietem. Haec est ratio adparandi ea cadavera, quae pretiosissime condita volunt.

LXXXVII. Qui vero mediam rationem cupiunt, nimium sumtum fugientes, eorum cadavera ita instruunt. Clysteribus adhibitis implent cadaveris ventrem oleo cedrino, non incidentes cadaver, nec alvum exenterantes, sed per anum ingerentes: tum cohibentes illud lavacrum ne eadem via retro exeat, nitro condiunt cadaver, per statutum dierum numerum. Horum dierum postremo cedriam, prius ingestam, e ventre emittunt: (2) cujus tanta vis est, ut secum et intestina et viscera prorsus commacerata educat: carnes autem consumit nitrum; atque ita relinquitur

cadaveris cutis tantum et ossa. His ita peractis, reddunt cadaver propinquis, nihil amplius negotii suscipientes.

LXXXVIII. Tertia condiendi ratio haec est, qua adparantur eorum cadavera, quibus tenuis admodum res familiaris est. Vulgari liquore purgatorio eluunt ventrem, tum per septuaginta dies nitro condiunt cadaver, atque ita dein propinquis reddunt auferendum.

LXXXIX. Uxores vero illustrium virorum, postquam decesserunt, non statim condiendas tradunt; nec si quae formosae admodum et in aestimatione fuerunt: sed post tres demum aut quattuor dies unctoribus hae traduntur. (2) Id faciunt ea caussa, ne cum his mulieribus coeant unctores. Deprehensum enim esse aiunt eorum aliquem cum cadavere recens defunctae mulieris coeuntem, delatumque esse ab artificii socio.

XC. Quodsi quis vero reperitur, sive aegyptius, sive perinde peregrinus homo, qui a crocodilo raptus, aut ab ipso flumine haustus periit; apud quodcumque oppidum cadaver ejus in terram fuerit ejectum, ejus oppidi incolae necessario tenentur condiendum illud curare, et quam maximo honore adfectum in sacris conditoriis sepelire: (2) Neque alii cuiquam, nec cognato, nec amico, licitum est tangere tale cadaver; sed soli sacerdotes Nili, tamquam aliquid amplius quam hominis cadaver, tractant illud atque sepeliunt.

XCI. Graecorum institutis recusant uti, et, verbo ut dicam, populorum quorumcumque. Et hoc quidem reliqui aegyptii ita observant. Est autem Chemmis, oppidum magnum Thebaidis praefecturae, prope Neapolin; in quo templum inest Persei, Danaae filii, quadratum, palmeto circumdatum: (2) propylaea templi lapidea, ingentia admodum; super quibus duae collocatae sunt statuae lapideae ingenti mole. Intra hoc septum aedes est, in qua est Persei simulacrum: (3) narrantque hi Chemmitae, saepius in ea regione adparere ipsis Perseum, frequenter vero intra aedem, reperirique subinde sandalium quod ille gestaverit, magnitudine bicubitali; quod quoties adpareat, tunc florenti rerum statu universam uti aegyptum. (4) Hoc illi narrant: sacra autem faciunt Perseo, Graecanicis similia, hujusmodi: ludos gymnicos celebrant, omnia certaminum genera continentes; praemiaque proponunt pecudes, et laenas, et pelles. (5) Interroganti vero mihi, cur ipsis solis adparere Perseus consuesset, et cur singulare hoc prae aliis omnibus aegyptiis ipsi haberent, ut gymnicos ludos ei instituant, dixerunt, suo ex oppido oriundum esse Perseum: Danaum enim et Lynceum, qui in Graeciam navigassent, Chemmitas fuisse: et horum deinde genus recensentes, descenderunt usque ad Perseum. (6) Hunc autem, aiebant, quum ob eam caussam, quam eamdem Graeci memorant, aegyptum adiisset, ut Gorgonis caput ex Libya adferret, etiam ad se venisse, et cognatos omnes agnovisse; adiisse autem aegyptum cognito Chemmios nomine, quod ei mater indicasset. Huic igitur se ludos gymnicos celebrare, ipsius jussu.

XCII. Istis quae exposui institutis utuntur ii aegyptii, qui supra paludes habitant. Qui vero paludes incolunt, eisdem quidem utuntur quibus reliqui quoque aegyptii, quum aliis in rebus, tum quod non nisi unam quisque uxorem in matrimonio habet, quemadmodum Graeci. (2) Caeterum ad

victus facilitatem alia haec ab iis inventa sunt. Postquam auctus est fluvius, camposque inundavit, nascuntur in aqua lilia multa, quae ab aegyptiis lotus vocantur. (3) Haec ubi demessuerunt, siccant ad solem: deinde quod in loto intus est, papaveri simile, id pinsunt, panesque ex eo coquunt. Est vero etiam radix hujus loti esculenta, sapore satis dulci, rotunda, magnitudine mali. (4) Sunt et alia lilia, rosis similia, quae et ipsa in flumine nascuntur: quorum fructus in alio calice inest, ex radice adnato, speci favo vesparum simillima; in quo insunt (baccae sive grana) esculenta permulta, magnitudine nuclei olivae, quae vel tenera comeduntur, vel siccata. (5) Porro byblum (sive papyrum), quae quotannis in paludibus nascitur, postquam extraxerunt, superiora abscindunt in aliosque usus convertunt; quod vero inferius relinquitur ad cubiti longitudinem, id partim manducant, partim vendunt. (6) Qui vero delicata admodum byblo volunt uti, hi eam in ardente furno torrefactam manducant. Nonnulli vero nonnisi piscibus vitam sustentant: hi postquam captos exenterarunt, ad solem eos siccant, et ita siccatos comedunt.

XCIII. Gregales pisces in fluminibus non fere gignuntur, sed, postquam in stagnis enutriti sunt, faciunt haec quae dicam. Ubi incessit eos gignendi libido, gregatim enatant in mare. Gregem ducunt mares, genituram spargentes: sequuntur feminae, quae illam deglutiunt, atque inde concipiunt. Postquam gravidae factae sunt in mari, retro natant in suos quodque genus sedes. (2) Tum vero non jam mares praeeunt, sed feminae ducunt gregem: quae dum praeeunt, similiter faciunt atque antea mares fecerant; spargunt paulatim ovorum grana, sequunturque mares illa deglutientes. (3) Sunt autem grana ista, pisces: et ex reliquis granis, quae non sunt deglutita, existunt pisces qui deinde enutriuntur. Qui ex gregibus illis, quum in mare enatant, capiuntur pisces, horum capita a laevo latere atrita reperiuntur; qui in renatando capiuntur, dextrum latus attritum habent. (4) Accidit hoc autem illis hac de caussa. Quum in mare enatant, presse legunt terram a parte sinistra: ubi retro natant, rursus ad eamdem sese adplicant, illamque attingunt quam proxime possunt, ne a via abberrent propter fluminis cursum. (5) Quando vero augeri incipit Nilus, tum cava terrae loca et lacunae fluvio vicinae primum incipiunt repleri, percolante aqua ex flumine: et prout illa loca implentur, continuo minutis pisciculis plena sunt omnia. (6) Hi pisciculi si unde oriantur quaeris, videor mihi equidem verisimillimam hanc caussam intellexisse. Superiore anno, postquam deficere coepit Nilus, pisces ova in limum deposuerunt, et simul cum postrema aqua abierunt: nunc, quando tempore circumacto redit aqua, ex ovis istis protinus hi pisciculi nascuntur. Et circa pisces quidem ita se res habet.

XCIV. Oleo utuntur hi ex aegyptiis qui circa paludes habitant, ex fructu sillicypriorum, quod kiki vocant aegyptii, parantque in hunc modum. (2) Ad fluminum et stagnorum[TR7] ripas serunt haec sillicypria, quae apud Graecos sponte nascuntur. Haec in aegypto sata, fructum ferunt magna copia, sed graveolentem. Hunc illi quum collegerunt, alii contusum exprimunt; alii etiam tostum excoquunt, et quod ex eo defluit, in usum suum reponunt. (3) Est autem pingue, et lucernae non minus commodum quam nostrum oleum; sed gravem spargit odorem.

XCV. Adversus culices, quorum magna vis est, hoc utuntur invento. Qui regiones paludibus superiores incolunt, hos juvant turres, in quas dormituri adscendunt; nam a ventis prohibentur culices altius volare. (2) Qui vero circa paludes habitant, hi turrium loco hac ratione sese muniunt: quilibet vir rete possidet, quo per diem pisces venatur, noctu autem ad hunc illud usum convertit: in quo quiescit cubili, ei circumponit rete; deinde subrepens, sub illo dormit. (3)

Culices enim, si quis pallio aut sindone involutus cubitum ivit, per haec vestimenta eum mordent; per rete vero ne conantur quidem omnino.

XCVI. Naves illorum onerariae ex spina arbore confectae sunt, cujus species simillima loto Cyrenaico, lacrima autem gummi est. Ex hac igitur spina caedunt ligna fere bicubitalia, quae laterum in morem componunt, ex eisque naves fabricantur tali modo: (2) bicubitalia illa ligna circum frequentes praelongosque clavos ligneos inserunt et innectunt, illisque ita in ratis formam compactis transtra superne intendunt. Costis vero non utuntur, commissuras autem intus byblo obturant. Gubernaculum unum faciunt, et hoc per carinam trajiciunt. Malo utuntur ex spina arbore, velis ex papyro. (3) Haec navigia adverso flumine, nisi secundus ventus, isque satis validus, obtineat, navigare non possunt, sed ex terra juxta ripam trahuntur. (4) Secundo vero flumine deferuntur hoc modo: tabula sive crates oblonga est januae forma, ex myrica frutice (sive tamarice) confecta, et vimine ex arundinibus consuta; tum lapis perforatus, duorum fere talentorum pondere. Januam illam, fune religatam, in fluvium demittit nauta, ut ante navem secundo flumine deferatur; lapidem vero ex alio fune a postica parte demittit. (5) Itaque janua, incidente aquae impetu, celeriter progreditur, et trahit barin; hoc enim his navigiis nomen est; lapis vero, dum a tergo trahitur, et in fundo est, dirigit cursum. Habent aegyptii navigiorum horum ingentem multitudinem, vehuntque illarum nonnulla multa millia talentorum.

XCVII. Postquam vero terram Nilus inundavit, sola oppida conspiciuntur ex aquis eminentia, insulis aegaei maris admodum similia: reliqua enim omnis aegyptus tunc pelagus est, solaque oppida eminent. (2) Hoc ubi fit, non jam per fluvii alveos navigant, sed medios per campos. Nam, qui Naucrati Memphin proficiscitur, is praeter ipsas pyramides navigat; quum alioquin non hac sit iter, sed praeter apicem regionis Delta et juxta Cercasorum oppidum: et Canobo e mari Naucratin tendens, per campos navigas, juxtaque Anthyllam et Archandropolin praeterveheris.

XCVIII. Anthylla, quam modo nominavi, nobile oppidum, singulariter attributa semper est uxori satrapae qui in aegypto regnat, ex cujus reditibus illa sibi comparet calceamenta: idque ita obtinet ex quo sub Persarum imperio aegyptus est. Alterum, quod dixi, oppidum videtur ab Archandro Phthio (vel Phthii filio) nomen accepisse, Achaei filio (vel nepote), Danai genero; quare etiam Archandri[TR8] oppidum nominatur. Fuerit quidem fortasse etiam alius Archander: et aegyptium certe nomen non est.

XCIX. Hacentus ea dixi, quae partim ipse vidi, partim quae equidem sentio, partim quae sciscitando cognovi. Accedo nunc ad exponendas aegyptiorum historias, resque gestas, quemadmodum narratas audivi; quibus tamen nonnulla etiam, quae ipsis meis oculis vidi, adjiciam. (2) Menem illum, qui primus in aegypto regnavit, quum alia fecisse aiebant sacerdotes, tum hoc primum, quod Memphin jactis aggeribus a Nili inundatione secluserit. Olim enim fluvium universum juxta ipsum montem arena obsitum Libyam versus fluxisse; Menem vero superne, centum fere stadiis a Memphi, Nili brachium illud, quod meridiem versus tendebat, humo adgesta complesse; atque ita, exsiccato prisco alveo, fluvium duxisse, ut inter montes medius interflueret. (3) Atque etiam nunc Persae brachium illud, quod nunc fluit ab altero seclusum, magna cura observant, et quotannis eum eo loco, ubi a vetere alveo deflexit, adgesta

humo muniunt; quoniam, si eo loci perrumpens fluvius exundare pararet, timendum foret ne universa Memphis fluctibus operiretur. (4) Deinde vero eundem Menem, primum aegypti regem, aiunt, postquam regionem circa Memphin obstructo fluvio in sicco posuisset, in eadem regione urbem hanc, quae nunc Memphis vocatur, condidisse: (est enim Memphis etiam in angusta aegypti parte:) extra illam vero circumfodisse lacum ex fluvio versus septentrionem et versus occidentem, nam versus orientem ipse Nilus eam terminat. Porro eundem in ipsa urbe Vulcani templum, quod magnum ibi et eximie memorabile est, statuisse.

C. Post hunc ex libro recensuerunt mihi sacerdotes regum trecentorum et triginta nomina. In tot generationibus hominum octodecim aethiopes erant,[TR9] et una mulier indigena, caeteri vero viri aegyptii. (2) Mulieri huic, quae in aegypto regnavit, idem nomen fuit atque Babyloniae, Nitocris. Eam memorant ultam esse fratrem, quem aegyptii, quum apud eos regnasset, occiderant, post ejusque caedem regnum ipsi tradiderant: hujus ulciscendi caussa multos aegyptios dolo interfecisse. (3) Postquam enim conclave praelongum subterraneum, curaverit faciendum, verbo quidem ut inauguraret, revera autem alia meditatam, aegyptiorum magnum numerum, quos caedis maxime auctores fuisse noverat, ad coenam vocatos, epulo ibidem excepisse; inter coenandum vero fluvium in conclave immisisse per occultum ingentem canalem. (4) De hac igitur haec memorarunt, istud adjicientes, post id factum reginam se ipsam in conclave cineribus repletum conjecisse, quo vindictam effugeret.

CI. Reliquorum regum nullum vel opus memorabile reliquisse dixerunt, vel re ulla insignem fuisse, praeter postremum eorum, Moerin. (2) Hunc memorabilia edidisse opera, propylaea ad Vulcani templum, septentrionem spectantia; lacumque effodisse, cujus quantus sit circuitus, posterius exponam; pyramidesque in eo exstruxisse, quarum de magnitudine simul cum ipso lacu faciam mentionem. Hunc igitur ista edidisse opera; reliquorum autem nullum quidquam.

CII. Igitur hos omittens, eum memorabo, qui post illos regnavit, cui nomen Sesostris fuit. Hunc dixere sacerdotes primum navibus longis ex Arabico sinu profectum, accolas Erythraei maris subegisse; donec, quum ulterius navigaret, in mare pervenisset quod propter brevia non amplius potuerit navigari. (2) Inde in aegyptum reversus, ut narrant sacerdotes, ingentem contractum exercitum per continentem duxit, omnesque quos adiit populos armis subegit. (3) Ibi tum quos offendisset fortes populos et libertatis vehementer studiosos, in horum terris columnas erigebat, quarum inscriptio declarabat quum suum nomen atque patriam, tum hos vi ab ipso esse subactos. Quorum vero oppida citra pugnam et facile cepisset, in horum columnis eadem quidem, quae in fortium populorum columnis, inscribebat; insuper vero pudenda insculpi jussit muliebria, molles eos esse atque ignavos significans.

CIII. Haec igitur faciens continentem obiit, donec ex Asia in Europam transgressus, Scythas subegit et Thraces. (2) Hi, ut mihi videtur, extremi fuerant, ad quos pervenerit aegyptius exercitus: nam in horum terra conspiciuntur columnae ab illo erectae, non vero ulterius. (3) Inde converso itinere domum repetiit: sed ubi ad Phasin fluvium fuit, haud satis certo adfirmare possum, ipsene rex Sesostris segregatam aliquam quantamcumque partem sui exercitus ibi reliquerit, an milites nonnulli, itinerum errores pertaesi, circa Phasin flumen remanserint.

CIV. Manifestum est enim Colchos esse aegyptios: idque dico, ut qui prius hoc ipsum mecum cogitaverim, quam ex aliis audivi. Quum vero curae mihi haec res esset, quaesivi ex utrisque: et magis Colchi recordabantur aegyptiorum, quam aegyptii Colchorum. aegyptii autem existimare se dixerunt Colchos esse ex Sesostris exercitu. (2) Ego vero conjectaveram partim ex hoc, quod nigro (fusco) colore et crispis capillis sint Colchi: quamquam hoc solo nihil efficitur, quum et alii sint populi tales: hoc igitur potius argumento id collegeram, quod soli omnium hominum Colchi, praeter aegyptios et aethiopes, ab antiquissimis temporibus circumcidant pudenda. (3) Nam Phoenices, et Syri Palaestinam incolentes (Judaei), profitentur ipsi, ab aegyptiis se hoc accepisse. Syri vero qui circa Thermodontem et Parthenium fluvium habitant (Cappadoces), et Macrones, horum finitimi, a Colchis nuper se accepisse fatentur. (4) Hi enim soli ex omnibus hominibus circumciduntur; et hi manifeste aegyptios in hac re imitantur. (5) aegyptii vero utrum ab aethiopibus, an hi ab illis acceperint, adfirmare non possum; perantiquum enim ritum esse adparet. Istos autem ex aegyptiorum commercio hunc ritum adoptasse, magnum mihi etiam documentum videtur hoc esse: Phoenices, qui inter Graecos vivunt, in hoc ritu ad pudenda pertinente non amplius imitantur aegyptios, et eorum qui post nascuntur non circumcidunt virilia.

CV. Age vero, etiam aliud de Colchis commemorabo, in quo aegyptiis similes sunt. Linum soli hi et aegyptii fabricantur eodem modo: atque etiam tota vitae ratio et sermo utrorumque similis est. Linum quidem Colchicum a Graecis Sardicum vocatur; illud vero quod ex aegypto adfertur aegyptium nominatur.

CVI. Columnarum quas variis in regionibus posuit aegyptius rex Sesostris, pleraeque non amplius supersunt: in Syria vero Palaestina ipse superstites vidi, in quibus erat praedicta inscriptio, et pudenda muliebria. (2) Sunt etiam in Ionia duae imagines hujus viri saxis insculptae, altera in via qua Epheso Phocaeam itur, altera qua Sardibus Smyrnam. Utrobique vir exsculptus est, magnitudine quattuor cubitorum cum una spithama, dextra manu hastam tenens, sinistra sagittas, et reliquo cultu simili; habet enim partim aegyptiacum cultum, partim aethiopicum: ab altero vero humero ad alterum per pectus pertinet insculpta inscriptio sacris literis aegyptiorum exarata, in hanc sententiam: «Ego hanc regionem meis humeris (lacertis) mihi adquisivi.» (3) Quis vero, aut unde sit, ibi non declarat; alibi vero declaravit. Itaque istas nonnulli, qui viderunt, Memnonis conjiciunt imagines esse, longe a vero aberrantes.

CVII. Hunc aegyptium Sesostrin, dicebant sacerdotes, redeuntem, multosque homines ex gentibus subactis secum ducentem, eundem, postquam in reditu ad Daphnas Pelusiacas pervenisset, a fratre, cujus fidei aegyptum commiserat, una cum filiis hospitio esse exceptum: at illum circa domum, in qua rex et filii erant, materiam congeri, congestamque jussisse incendi. (2) Qua re animadversa, statim deliberasse regem cum uxore, quippe illam quoque comitem secum habuisse. Hanc ei suasisse, quum sex essent filii, duobus ex his super pyram extensis pontem sic in ardente materia faceret, quem ipsi superantes effugerent. (3) Id fecisse Sesostrin, et duos filios ita igne fuisse absumtos, reliquos vero una cum patre fuga servatos.

CVIII. Postquam in aegyptum advenit, poenasque de fratre sumsit, tum vero multitudine hominum, quos e terris subactis adduxerat, ea in hunc modum usus est: (2) lapides eos, qui hoc regnante ad Vulcani templum congesti sunt, immani magnitudine, hi sunt qui traxerunt: iidemque canales cunctos, qui nunc in aegypto sunt, coacti foderunt; atque ita inviti quidem fecerunt, ut aegyptus, quae ante id tempus tota equis et plaustris opportuna fuerat, hoc commodo careret. (3) Nam ab illo tempore aegyptus, tota licet plana et campestris, equis et plaustris inhabilis facta est: cujus rei caussa est multitudo fossarum, variis modis omnes in partes ductarum. (4) Regionem autem ita fossis discidit rex ille hac caussa: quicumque ex aegyptiis oppida habitant quae non sunt ad fluvium sita, sed in media regione, hi, postquam recessit Nilus, aquae inopia laborantes, salsiore potu usi erant, ex puteis hausto. Hujus rei caussa discissa est aegyptus.

CIX. Porro hunc regem, aiebant, distribuisse regionem inter omnes aegyptios, singulisque sortem aequalem dedisse quadratam; et ab hac sorte reditus sibi constituisse, imperato tributo quotannis pendendo. (2) Quod si de cujuspiam sorte fluvius aliquid abstraxisset, is regem adiens indicabat factum; et rex, missis qui rem praesentem inspicerent, dimetirenturque quanto minor factus fuerit ager, in posterum tributi partem pro portione remittebat. (3) Videturque mihi ex hoc negotio inventa esse geometria apud aegyptios, indeque ad Graecos transiisse. Nam polum quidem (instrumentum horologicum) et gnomonem et duodecim diei partes a Babyloniis Graeci acceperunt.

CX. Idem rex Sesostris unus ex aegypti regibus aethiopiae etiam regnum obtinuit. Monumenta autem sui reliquit statuas lapideas ante Vulcani templum positas: quarum duae, triginta cubitorum quaeque, ipsius et uxoris referebant imagines; tum quattuor, viginti cubitorum quaeque, totidem numero filiorum. (2) Ante has statuas quum multo post tempore Darius Persa sibi vellet statuam ponere, vetuit Vulcani sacerdos, dicens non edita ab illo esse facta qualia a Sesostri aegyptio: Sesostrin enim quum alias gentes nihilo vel pauciores vel inferiores, quam ipse, tum vero et Scythas, subegisse, quos Darius subigere non potuisset. Quare non esse aequum, ut ante illius monumenta statuam ponat is qui illius facta non superarit. Aiuntque Darium sacerdoti haec dicenti ignovisse.

CXI. Sesostri vita functo, aiebant, regnum suscepisse filium ejus Pheron: eumque nullum militare facinus praeclarum edidisse; accidisse autem ei ut caecus fieret, et quidem ob factum hujusmodi. (2) Quum flumen eo tempore copiosissimum descendisset ad octodecim pedum altitudinem, camposque inundasset, ingruente vento ingentes fluctus ciere flumen coepit. Ibi tunc regem hunc, improba vesania correptum, sumsisse spiculum et in medios fluminis gurgites conjecisse: dein protinus oculis coepisse laborare, prorsusque usum oculorum amisisse. (3) Postquam decem annis caecus fuisset, advenisse ei, undecimo anno, ex Buto oppido oraculi responsum, exactum esse poenae tempus; oculorum usum recepturum eum esse, si oculos eluisset lotio mulieris, quae non nisi cum suo marito coiisset et cum nullo alio viro habuisset consuetudinem. (4) Illum igitur ante omnia uxoris suae urinam esse expertum; deinde vero, quum visum non recepisset, aliarum omnium atque aliarum experimentum fecisse. Ad extremum, postquam visum recepisset, mulieres cunctas, quarum experimentum fecerat, excepta una illa cujus urina lotus visum recepit, in unum oppidum congregasse, cui nomen nunc est Erythrobolus (quasi Rubrum solum diceres) atque ita congregatas, subjecto igne, simul cum oppido concremasse:

illam vero, cujus urina lotus visum receperat, in matrimonium duxisse. (5) Donaria autem, postquam oculorum calamitate est liberatus, quum alia in notabilioribus quibusque templis consecravit, tum, quod maxime memorari prae caeteris meretur, in Solis templo opera posuit spectatu digna, duo saxeos obeliscos, utrumque ex uno saxo, longitudine utrumque centum cubitorum, latitudine octo cubitorum.

CXII. Huic in regnum successisse[TR10] aiebant virum Memphiten, eum qui Graecorum sermone Proteus nominetur: cujus nunc delubrum est Memphi pulcrum admodum et eximie instructum, a Vulcani templo austrum versus situm. Circa delubrum illud Phoenices Tyrii habitant; vocaturque totus ille locus, Tyriorum astra. (2) Intra Protei delubrum aedes est, quae vocatur Veneris Hospitae: quam ego aedem Helenae Tyndari filiae sacratam fuisse conjicio, tum quod memoratum audivi vixisse Helenam apud Proteum, tum vero etiam ob hoc ipsum cognomen Hospitae Veneris: quotquot enim alia sunt Veneris templa, eorum nullum est quod tale cognomen habeat.

CXIII. Dixerunt autem mihi sacerdotes, sciscitanti quae ad Helenam spectant, gestam rem esse hunc in modum: Alexandrum, postquam Helenam ex Sparta rapuisset, domum navigasse. Sed ubi in aegaeum pervenit, violenti ex adverso venti in aegyptium mare eum compulerunt: inde, quum non remitteret vis ventorum, in aegyptum pervenit, in illud quidem Nili ostium, quod Canobicum nunc vocatur, et ad Taricheas. (2) Erat autem in litore Herculis templum, quod etiam nunc est: in quod si quis cujuscumque hominis servus profugerit, et deo se tradens, sacras sibi imponi notas curaverit, hunc nemini fas est tangere. Lex ista eadem, quae olim fuit, ad meam usque aetatem manet. (3) Ab Alexandro igitur famuli nonnulli, cognita lege quae in hoc templo obtinet, desciscunt: sedentesque deo supplices, nocituri Alexandro, accusarunt eum; omnemque iniquitatem, qua adversus Helenam et Menelaum usus ille erat, aperuerunt: renunciarunt haec autem quum sacerdotibus templi, tum praefecto hujus ostii, cui Thonis nomen erat.

CXIV. Quibus cognitis Thonis celeriter Memphin ad Proteum nuncios misit, qui haec ei dicerent: «Advenit[TR11] huc peregrinus homo, natione Trojanus, qui in Graecia improbum facinus commisit: quippe hospitis sui uxorem decepit, eamque et ipsam et magnam simul rerum pretiosarum copiam secum vehens huc adpulit, ventorum vi hanc in terram compulsus. Hunccine ergo sinemus illaesum abire, an, quae secum advexit, ei eripiemus?» (2) Ad haec Proteus remittit nuncium, qui diceret: «Hunc hominem, quisquis est, qui hospitem suum tam nefaria injuria adfecit, prehendite, et ad me adducite, ut sciam quid tandem dicat.»

CXV. His auditis Thonis prehendit Alexandrum, navesque ejus retinet: dein et ipsum et Helenam et res pretiosas Memphin duxit, atque etiam fugitivos supplices. (2) Cuncti ubi advenerunt, quaesivit ex Alexandro Proteus, quis esset, et unde cum navibus suis advenisset. Et ille suum genus commemoravit, patriae dixit nomen; atque navigationis cursum, et unde advenerit, exposuit. (3) Deinde vero interrogante Proteo, Helenam unde accepisset, titubantem in oratione nec vera loquentem Alexandrum coarguebant fugitivi supplices, et totam sceleris rationem aperuerunt. (4) Ad extremum Proteus hanc sententiam pronunciavit: «Nisi ego, inquit, maximi

ducerem, nullum hominem peregrinum occidere, qui ventorum vi ablatus meam terram accessisset, a te pro Graeco illo poenas sumturus eram, qui, o hominum scelestissime, hospitio benigne exceptus, facinus improbissimum admisisti. Ad tui hospitis uxorem intrasti; et hoc flagitio non contentus, tuis fraudibus excitatam raptamque abduxisti. Nec hoc tibi satis fuit, sed etiam domum tui hospitis exspoliasti, hisque cum spoliis huc venisti. (5) Nunc, quoniam semper maximi duxi hospitem nullum occidere, mulierem quidem hanc atque opes non te sinam hinc abducere, sed haec ego Graeco illi servabo, donec ipse veniens recipere voluerit: tibi vero et navigationis sociis edico, ut intra triduum mea e terra in aliam navigetis: sin minus, pro hostibus vos habebo.»

CXVI. Hunc fuisse Helenae apud Proteum adventum dixere sacerdotes. Videtur autem mihi Homerus eandem audivisse narrationem; sed, quoniam non similiter, atque altera narratio, qua est usus, adcommodata esset epico carmini, idcirco eam omisisse, ita tamen ut significaret notam sibi eam fuisse. (2) Adparet hoc enim ex itinerum ratione Alexandri, quam in Iliade ut episodium posuit, (nec vero usquam alibi retractavit), ubi ait, quum per alia loca eum abreptum errasse, Helenam secum ducentem, tum Sidonem in Phoenice adpulisse. (3) Meminit autem hujus rei in Diomedis fortibus factis, ubi hos posuit versus:

Picturata inerant ibi pallia, facta puellis

Sidoniis, quas ipse Paris formosus ab urbe

Sidonia duxit, sulcans freta lata carinis,

quum retulit magnis Helenam natalibus ortam.

(4) Meminit in Odyssea quoque, his versibus:

Haec Jove nata venena habuit multa arte parata,

fortia, quae Polydamna sibi donaverat uxor

Thonis in aegypto, cujus fert plurima mixtim

multa solum proba, multa etiam damnosa venena.

Tum etiam haec, eodem spectantia, Telemacho dicit Menelaus:

Hic etiam aegypto di me tenuere reverti

conantem, quibus haud tuleram solennia sacra.

(5) Quibus versibus declarat poeta, cognitum sibi fuisse Alexandri, per maria errantis, adventum in aeyptum: confinis enim est Syria aegypto: Phoenices autem, quorum est Sidon, in Syria habitant.

CXVII. Ex hisce autem versibus, et ex isto maxime loco, ex Iliade apposito, clarum est, non esse Homerum Cypriorum carminum auctorem, sed alium quempiam. Nam in Cypriis Alexander memoratur tertio die Sparta Ilium cum Helena pervenisse secundo vento usus, et mari tranquillo: in Iliade vero ait poeta, errasse illum quum Helenam domum duceret. Sed valeat Homerus, valeantque Cypria carmina.

CXVIII. Interroganti vero mihi, utrum vanum fictumque sit, an non, quod Graeci de bello ad Ilium gesto narrant, responderunt mihi haecce, quae ex ipsius Menelai narratione sibi cognita esse adfirmarunt. Scilicet, venisse post Helenae raptum exercitum ingentem Graecorum in terram Trojanam, Menelao opem laturum. Ab exercitu isto, exscensione facta, positisque castris, missos esse Ilium legatos, et in his ipsum Menelaum: (2) qui postquam muros ingressi, repetiissent Helenam et opes ab Alexandro subreptas, et satisfactionem injuriarum postulassent; respondisse tunc Teucros id quod et deinde constanter adfirmaverint jurati et non jurati, non habere se Helenam nec opes quae repeterentur, sed esse ista omnia in aegpyto; neque aequum esse, se earum rerum caussa satisfactionem dare, quae essent in Protei manibus, regis aegyptii. (3) At Graeci, ab his se rideri existimantes, ea caussa obsedisse urbem, donec cepissent. Capta urbe, quum nusquam Helena reperiretur, et eandem rem, quam antea, audiverant, experirentur Graeci; sic deinde fidem priori sermoni adhibentes, Menelaum ipsum ad Proteum miserunt.

CXIX. Menelaus ubi in aegyptum pervenit, adverso fluvio Memphin navigavit, ibique exposita rei veritate, insignibus donis hospitalibus exceptus est, et Helenam illaesam recepit, insuperque opes suas omnes. (2) Verumtamen Menelaus, quamquam haec omnia consecutus, inique eum aegyptiis egit. Nam quum proficisci vellet, nec per ventos posset, longiore interposita mora, extremum rem adgressus est impiam et nefariam: duos puerulos sumsit hominum indigenarum, eosque placandis ventis immolavit. (3) Deinde postquam evulgatum est facinus, invisus aegyptiis, et ab his exagitatus, profugit cum suis navibus, Libyam versus iter intendens. Inde vero quonam pervenerit, non amplius dicere potuerunt aegyptii: ista vero, quae dixi, partim sciscitando se cognovisse aiebant, partim apud se gesta adcurate cognita habere.

CXX. Haec mihi aegyptiorum dixerunt sacerdotes: narrationi autem, quam de Helena fecerunt, ego etiam ipse adsentior, haecce mecum reputans: si in Ilio fuisset Helena, reddituros eam Graecis fuisse Trojanos, sive volente Alexandro, sive nolente. Nam profecto non ita mente captus erat Priamus, neque caeteri illius propinqui, ut suis ipsorum capitibus et liberis et universa urbe voluissent periclitari, quo Alexander Helenam haberet uxorem. (2) Quod si etiam initio ita secum statuissent, tamen deinde, postquam et aliorum Trojanorum complures, quoties cum Graecis congressi sunt, perierunt, et ex ipsius Priami filiis quolibet in proelio (si quidem epicorum poetarum narrationi fides habenda) duo aut tres aut etiam plures occubuerunt, his ita comparatis, puto equidem, si vel ipse Priamus Helenam duxisset uxorem, redditurum eam fuisse Graecis hac conditione, ut praesentibus malis liberaretur. (3) Porro ne regnum quidem ad Alexandrum erat rediturum, ut quum senex esset Priamus, rerum summa penes illum fuerit: sed Hector, et aetate major et longe illo vir fortior, in regnum mortuo Priamo erat successurus; quem non est consentaneum indulgere voluisse fratri injuste agenti, quum praesertim illius caussa gravissima mala et privatim ipsum, et publice Trojanos omnes premerent. (4) Sed enim non potuerant illi Helenam reddere, et vera dicentibus fidem non adhibuerant Graeci: idque (ut dicam quod sentio) factum est divino numine ita moderante, ut illi, internecione pereuntes, testatum facerent hominibus, graves injurias gravibus etiam poenis vindicari a diis. Sed haec quidem pro mea dixi opinione.

CXXI. Proteo in regno successisse memorarunt Rhampsinitum: qui monumenta sui reliquit propylaea templi Vulcani, occidentem spectantia. Ex adverso vero propylaeorum duas posuit statuas, viginti quinque cubitorum magnitudine: quarum illam, quae stat a septentrione, aestatem adpellant aegyptii; alteram, quae ad meridiem conversa, Hiemem (2) et illam quidem, quam aestatem vocant, adorant et donis placant; adversus illam, quae Hiems nominatur, contrarium faciunt. (I.) Hunc regem, dixerunt, tantas opes possedisse tantamque vim argenti, ut posteriorum regum nullus, non dico superare eum opibus potuerit, sed ne prope quidem accedere. (3) Igitur in tuto reponere suas pecunias cupientem, conclave aedificandum curasse lapideum. Cujus aedificii quum unus paries extrorsum spectaret, eum cui mandatum opus erat, pecuniae insidiantem, hocce esse machinatum: ex lapidibus unum ita parasse, ut e muro facile eximi posset a duobus aut etiam ab uno homine. (4) Absoluto aedificio, regem in illo divitias suas deposuisse. Interjecto autem tempore, quum is, qui conclave illud aedificaverat, prope vitae finem esset, hunc advocatis ad se duobus, qui ei erant, filiis exposuisse, in aedificando regis thesauro usum se esse artificio, quo prospexisset ut opulentam haberent rem familiarem. (5) Perspicue igitur illos docuisse quo pacto eximi lapis posset, et mensuras illis tradidisse, quas si observassent, futuros eos aiebat esse regiarum opum dispensatores. (6) Hoc igitur vita functo, filios haud multo post operi admovisse manus: noctu ad regiam accedentes, lapidem in aedifico a se inventum facili opera tractasse, multumque pecuniae extulisse: (II.)[TR12] Quum forte dein conclave rex aperuisset, videretque diminutas in vasis pecunias, miratum esse; nec vero quem culparet habuisse, quum sigilla januae salva fuissent, et aedificium clausum. (7) Ubi autem iterum et tertio aperiens, constanter minui vidit pecunias (nec enim spoliare desiisse fures), hocce eum fecisse: laqueos confici jussisse, eosque circa vasa, in quibus inerant pecuniae, collocari. (8) Ventitasse dein, ut antea, fures: quorum quum irrepsisset alter, et ad vas accessisset, continuo hunc laqueo esse captum. (9) Eumdem vero, videntem quo in malo esset, protinus vocato fratri significasse quid accidisset, jussisseque eum ut continuo ipse irreperet, sibique caput abscinderet; ne, sese conspecto, agnitoque quis esset, ille simul male esset periturus. (10) Et illum, probato hujus consilio, fecisse ut jusserat frater, adaptatoque iterum lapide domum abiisse, caput fratris asportantem. (III.) Ut illuxit, ingressum regem in conclave

obstupuisse, conspecto corpore furis laqueo constricti et capite carentis, quum praesertim illaesum aedificium, nullumque vel introitum vel exitum videret. (11) Itaque haerentem animo, hocce fecisse: cadaver furis ex muro suspendisse, adpositisque custodibus imperasse, ut, si quem vidissent deplorantem aut lamentantem, hunc prehensum ad se adducerent. (12) Interim suspenso furis cadavere vehementer dolentem matrem, collatis cum superstite filio sermonibus imperasse huic, ut, quoquo modo quibusve artibus posset, solvere cadaver fratris et sibi adferre conaretur; adjecisseque minas, eam rem si ille neglexisset, regem se adituram, ipsumque, ut qui illius pecunias habeat, delaturam. (IV.) Ita aspere a matre acceptum filium superstitem, postquam nullo pacto illam potuisset commovere, dolum excogitasse hujusmodi: instructis asinis utres imposuisse vino plenos, eosque per viam publicam agitasse; (13) quumque prope locum fuisset ubi erant cadaveris suspensi custodes, attractos duos aut tres utrium pendulos petiolos solvisse; tum, effluente vino, caput sibi pulsasse ingenti edito clamore, quasi incertum, ad quemnam ex asinis primum se converteret. (14) Custodes, multum fluere vini videntes, in viam concurrisse, vasa tenentes, effluensque vinum, ut suum in lucrum cedens, colligentes; illum autem, vehementer se iratum simulantem, maledictis eos lacerasse. Custodibus vero eum consolantibus, paulatim mitigari simulantem, ab ira remisisse, denique a media via exegisse asinos, eosque rursus instruxisse. (15) Ibi multis incidentibus sermonibus, quum unus ex custodibus facete cavillans etiam risum ei elicuisset, dono eum illis dedisse unum ex utribus: et illos e vestigio discumbentes compotationi animum adplicuisse, ipsumque adsumsisse et hortatos esse, ut secum maneret compotaretque: et illum, ut erat consentaneum, morem gessisse, apudque illos mansisse. (16) Qui quum inter potandum comiter amplecterentur hominem, hunc etiam alio ex utribus illos donasse: et copioso potu utentes custodes ita fuisse inebriatos, ut somno oppressi, eodem loco ubi potaverant, obdormierint. (17) Tum vero, nocte jam multum progressa, hunc fratris corpus solvisse, et custodum dextras genas contumeliae caussa rasisse, denique cadavere asinis imposito, mandata matris exsecutum, domum cum asinis rediisse. (V.) Regem, postquam ei renunciatum esset furto ablatum esse cadaver, aegerrime tulisse; (18) cupientemque quoquo modo reperire quis esset qui ista fuisset machinatus, hocce fecisse aiunt, mihi non credibile: filiam suam jussisse in lupanari sedere, cunctosque homines pariter admittere, sed, priusquam coirent, cogere ut dicat quisque quid sit quod et callidissimum et improbissimum in vita patraverit: quodsi quis narrasset ea quae circa furem accidissent, hunc prehenderet, neque egredi pateretur. (19) Jussis patris quum morem gereret puella, furem hunc, postquam cognosset cujus rei caussa haec fierent, cuperetque regem superare versutia, haecce fecisse: recens mortui hominis amputasse in humero manum, eaque sub pallio abscondita ad regis filiam intrasse; tum ab ea interrogatum sicuti alii quoque, respondisse, improbissimum se facinus patrasse, quum fratris caput abscidisset, laqueo capti in regis thesauro; callidissimum vero, quod inebriatis custodibus cadaver suspensum fratris solvisset. (2) Tum illam, his auditis, prehendisse hominem: at furem illi in tenebris manum mortui porrexisse; quam dum puella prehenderet, manum illius ipsius se tenere existimans, furem missam illi eam fecisse, et per januam egressum profugisse. (VI.) Postquam igitur et haec regi essent renunciata, attonitum fuisse illum et versutia et audacia hominis. Ad extremum, circummissis per oppida praeconibus, edixisse et impunitatem se concessurum, et magna etiam dona adjecturum homini, si in conspectum suum venisset. (21) Et edicto fidem adhibentem furem, ad regem accessisse: Rhampsinitumque, magna hominis admiratione ductum, filiam ei hanc in matrimonium dedisse, ut hominum omnium scientissimo: aegyptios enim omnibus aliis antecellere, ipsum vero aegyptiis.

CXXII. Post haec eundem regem dixerunt vivum sub terram, quo loco Graeci inferos putant esse, descendisse, ibique cum Cerere alea lusisse, et partim victorem, partim etiam ab illa victum fuisse; denique rursus inde reversum, munus ab eadem retulisse mantile aureum. (2) Ab hoc Rhampsiniti descensu ad inferos, postquam reversus esset, festum aiebant agi ab aegyptiis: quod festum ego quidem novi mea etiam nunc aetate ab illis agi; utrum vero hac de caussa celebretur, an alia, adfirmare non possum. (3) Unus e sacerdotibus pallium induit, eodem die ab illis contextum: huic reliqui mitra obligant oculos, eumque in viam deducunt qua ad Cereris templum itur, tum ipsi retro discedunt. (4) Hunc sacerdotem, cui obstricti oculi sunt, aiunt a duobus lupis ad templum Cereris duci, quod abest ab urbe viginti stadia; rursusque eosdem lupos eum in eundem locum reducere.

CXXIII. Jam utatur his, quae aegyptii narrant, si cui probabilia fuerint visa: mihi per totam hanc historiam propositum est, ut ea scribam quae a quibusque memorata audivi. Memorant autem aegyptii, principatum apud inferos tenere Cererem et Bacchum. (2) Primi etiam fuerunt aegyptii, qui hanc doctrinam traderet: esse animam hominis immortalem; intereunte vero corpore in aliud animal, quod eo ipso tempore nascatur, intrare: quando vero circuitum absolvisset per omnia terrestria animalia et marina et volucria, tum rursus in hominis corpus, quod tunc nascatur, intrare: circuitum autem illum absolvi tribus annorum millibus. (3) Hoc placito usi sunt deinde nonnulli e Graecorum philosophis, alii prius, alii posterius, tamquam suum esset inventum: quorum ego nomina, mihi quidem cognita, literis non mando.

CXXIV. Usque ad Rhampsinitum igitur valuisse, dixerunt, in aegypto leges, et rebus omnibus egregie floruisse aegyptum. Post hunc vero, regnum apud eos tenentem Cheopem omnia nequitia esse grassatum. Clausis enim templis omnibus, primum sacrificiis prohibuisse aegyptios; tum cunctos jussisse sibi opus facere: (2) aliis adsignatum fuisse, ut ex lapicidinis quae sunt in Arabio monte, ex his lapides traherent usque ad Nilum; aliis imperatum, ut navigiis cis flumen transvectos lapides illos exciperent, et ad Libycum quem vocant traherent montem. Opus autem faciebant per vices, quolibet trimestri, centena hominum millia. (3) Tempus autem, quo ita vexatus fuerit populus, primum decem fuisse annos, per quos munierint viam qua traxerunt lapides; opus, ut mihi videtur, haud multo inferius ipsa pyramide: (est enim longitudo viae quinque stadiorum; latitudo cubitorum quadraginta; altitudo, qua est maxima, duorum et triginta cubitorum: estque ex politis lapidibus confecta, et insculptis ornata figuris:) huic igitur muniendae viae insumtos decem annos fuisse, simulque conficiendis in eo colle, in quo stant pyramides, cameris subterraneis, quas ille sibi pro sepulcro destinavit in insula, fossa ex Nilo introacta. (4) In ipsius autem pyramidis constructionem viginti annos esse insumtos. Quadrata illius forma est; latusque quodque octingentos metitur pedes: altitudo[TR13] ejusdem est mensurae: lapis politus et quam adcuratissime coagmentatus; nullus ex lapidibus minor triginta pedibus.

CXXV. Est autem sic constructa haec pyramis: statim in modum graduum quibus scalae adscenduntur, quos gradus alii pinnas, alii arulas vocant. (2) Talem postquam primum eam fecerunt, in altum tollebant reliquos lapides machinis ex brevibus lignis confectis, ab humo statim in primum graduum ordinem eos tollentes: quo ubi pervenit lapis, alii machinae imponebatur, quae in primo graduum ordine stabat, et ab hoc ordine in secundum attrahebatur ordinem super alia machina; (3) nam quot erant graduum ordines, tot quoque machinae erant:

sive etiam una eademque machina fuit portatu facilis, quam ex uno ordine in alterum promovebant, quoties lapidem in altum tollere vellent: nam in utramque partem, quemadmodum traditur, dictum a nobis esto. (4) Perfici autem coeptum est opus a summo; dein inferiora paulatim absolverunt; et ad extremum imam partem et terrae proximam perfecerunt. (5) Scripto autem in pyramide consignatum est literis aegyptiis, quantum in raphanos, in cepas et in allia fuerit impensum, quibus usi sunt hi qui opus fecerunt: et recte memini quae mihi dixit interpres, quum scriptum legeret, summam fuisse mille et sexcentorum talentorum argenti. (6) Quodsi ita est, quanta putabimus impensa fuisse alia, in ferrum, quo usi sint ad opus faciendum, tum in cibaria, et in vestimenta operariorum? quandoquidem tantum temporis, quantum dixi, faciendo operi insumserunt, nec minus multum temporis, ut ego arbitror, caedendis lapidibus, eisdemque promovendis, et fossae subterraneae conficiendae.

CXXVI. Eo autem flagitii processisse Cheopem dixerunt, ut, quum pecuniis indigeret, filiam etiam suam in lupanari jusserit considere, et pecuniae summam quantamcumque posset conficere. Quantum sit, quod illa hoc modo collegerit, non memoratur: sed hoc memorant, collegisse illam non modo pecuniam a patre imperatam; verum etiam quum suo nomine privatim cuperet monumentum relinquere, ab unoquoque qui ad eam intrasset postulasse, ut unum lapidem, ad opus faciendum idoneum, sibi conferret: (2) ex illisque lapidibus, dixerunt, exstructam esse pyramidem quae in medio stat trium, ante magnam pyramidem; cujus quodque latus est longitudine pedum centum et quinquaginta.

CXXVII. Cheopem hunc dixere aegyptii regnasse annos quinquaginta; eique defuncto successisse in regnum fratrem ejus Chephrenem. Hunc quum in aliis rebus eodem instituto usum esse atque fratrem, tum etiam pyramidem exstruxisse. Et haec quidem pyramis mensuram prioris illius non exaequat; (nam mensuras etiam nos exegimus:) (2) neque enim cameras habet subterraneas, nec fossa ex Nilo derivata in hanc inferne influit, sicut in illam, in qua Nilus per canalem murario opere constructum insulam circumluit, in qua sepultum Cheopem aiunt. (3) Exstruxit autem hanc, magnae pyramidi proximam, quadraginta pedibus illa minorem: primus lapidum ordo aethiopico lapide variegato substructus. Ambae super eodem stant clivo, centum fere pedes in altitudinem eminente. Regnasse autem Chephrenem aiunt annos sex et quinquaginta.

CXXVIII. Hos centum et sex annos numerant aegyptii, quibus per aegyptum omne genus malorum invaluerit, clausaque templa per tantum temporis spatium non fuerint aperta. Istorumque regum odio nomen etiam eorum nolunt fere memorare; sed pyramides etiam illas vocant pastoris Philitios, qui per id tempus in illis locis pecora sua pavit.

CXXIX. Post hunc regnasse in aegypto dicebant Mycerinum Cheopis filium. Huic patris displicuisse facta: itaque et templa eum aperuisse, et populo, extremis malis vexato, indulsisse, ut suis quisque negotiis et sacris operam daret: jusque etiam illis aequissime regum omnium dixisse. (2) Hac quidem ex parte summis eum laudibus supra omnes, quotquot aegypti reges umquam fuere, extollunt: nam et alioquin ex aequo judicasse caussas, et si quis de sententia ab illo lata esset conquestus, ei de suo oltro donare solitum, quo iram illius mitigaret. (3) Ita quum mitis adversus cives esset Mycerinus, talibusque uteretur institutis; primam ei calamitatem

accidisse mortem filiae, quam unicam domi sobolem habebat. (4) Ea calamitate in quam inciderat vehementer adflictum, quum vellet excellentiori quadam ratione sepelire filiam, conficiendam curasse bovem ligneam, intus cavam, extrinsecus inauratam, in eaque defunctam hanc filiam sepelivisse.

CXXX. Bos ista non sub terra est condita, sed mea adhuc aetate in propatulo erat, in Sai oppido in regia posita, eleganti in conclavi: et quotidie apud illam suffimenta cujusque generis adolentur, et singulis noctibus pernox ardet lucerna. (2) Prope bovem illam, in alio conclavi, stant imagines pellicum Mycerini, ut dicebant qui in Sai oppido sunt sacerdotes: stant certe ibi lignei colossi, forma muliebri, numero fere viginti, nudis corporibus: quaenam autem illae sint, dicere non possum, nisi quae narrantur.

CXXXI. Sunt autem qui de bove illa et de colossis istis haec narrant: Mycerinum amore filiae suae captum, vim ei intulisse; eoque facto puellam prae dolore vitam finiisse suspendio, patrem vero in illa bove eam sepelisse; matrem autem famulis, quae patri filiam prodidissent, manus praecidisse, et nunc imaginibus illarum idem accidisse quod ipsae vivae passae essent. (2) Haec vero, ut mihi videtur, dicunt nugantes, quum caetera, tum hoc de manibus colossorum: hoc enim nos etiam vidimus, vetustate temporis decidisse illis manus, quae etiam nunc ad pedes imaginum jacentes conspiciuntur.

CXXXII. Bos autem quum reliquum corpus tectum habeat purpureo pallio, collum et caput ostendit denso admodum auro inauratum: inter cornua eminet circulus solis aurea imagine figuratus. Non stat recta bos, sed genubus incumbens: magnitudo quanta magnae bovis vivae. (2) Quotannis semel extra conclave effertur: quando plangunt aegyptii deum illum, cujus nomen in tali re edere mihi nefas est, tum bovem hanc in lucem proferunt: dicunt enim, morientem filiam orasse patrem Mycerinum, ut semel in anno solem adspicere sibi liceat.

CXXXIII. Post filiae mortem accidisse, narrarunt, eidem regi alteram calamitatem hanc: oraculi effatum ex oppido Buto ei esse adlatum, nonnisi sex adhuc annos victurum illum, septimo vitam finiturum. Tum illum, aegerrime hoc ferentem, misisse ad oraculum qui contumeliosis verbis deo exprobrarent, quod apter ipsius et patruus, qui templa clausissent, deosque non curassent, atque etiam homines perdidissent, tamen longum in tempus produxissent vitam; ipse autem, qui deos colat, tam cito vitam esset finiturus. (2) Super haec alterum ei responsum ab oraculo esse editum: hac ipsa caussa propere finiturum vitam, quod ea, quae in fatis fuissent, non fecisset; debuisse enim aegyptum malis vexari per annos centum et quinquaginta: et duos reges, qui ipsum antecesserint, hoc intellexisse, ipsum vero non intellexisse. (3) His auditis Mycerinum, quum sententiam contra se jam pronunciatam cognovisset, multas parari jussisse lucernas, eisque quotidie ingruente nocte accensis potasse, voluptatibusque, nec die nec nocte ulla intermissa, indulsisse, per amoena inferioris aegypti loca atque nemora vagantem, ubicumque cognosset voluptaria esse diverticula aptissima. (4) Id eo consilio esse molitum, quo mendacii argueret oraculum, quum, loco sex annorum, duodecim sibi reliqui essent, noctibus in dies conversis.

CXXXIV. Idem Mycerinus pyramidem etiam reliquit, multo quidem minorem ea quam pater exstruxerat, unoquoque quattuor laterum ducentos octoginta pedes metiente: usque ad dimidiam altitudinem aethiopicus lapis est. Hanc pyramidem Graecorum nonnulli dicunt esse Rhodopidis meretricis; non recte memorantes. (2) Satis enim adparet, ne novisse quidem hos quaenam mulier fuerit Rhodopis: alioqui ad illam non retulissent constructionem pyramidis, quae innumeris (ut verbo dicam) talentorum millibus constiterat: ignorareque eosdem adparet, regnante Amasi floruisse Rhodopin, non hujus regis aetate. (3) Permultis enim annis post reges hos, qui istas pyramides monumenta sui reliquerunt, vixit Rhodopis; genere Thressa, ancilla Iadmonis Samii, Hephaestopolios filii, conserva aesopi ejus qui fabulas fecit. (4) Nam et aesopum Iadmoni serviisse, quum aliunde constat, tum hoc maxime, quod, postquam Delphenses ex oraculi effato saepius proclamassent, si quis vellet poenam repetere caedis aesopi, nemo alius, qui illam repeteret, inventus sit, nisi Iadmonis ex filio nepos, cui et ipsi Iadmon nomen erat. Itaque Iadmonis servus aesopus fuerat.

CXXXV. Rhodopis vero in aegyptum venit, adducta a Xantho Samio: adducta vero ut quaestum corpore faceret, magno pretio redemta est a cive Mytilenaeo Charaxo, Scamandronymi filio, fratre Sapphus poetriae. (2) Ita igitur servitute liberata Rhodopis, mansit in aegypto: quumque venusta admodum esset, opes sibi comparavit magnas, ut quae Rhodopidis essent, nec vero ut quae ad pyramidem exstruendam talem sufficerent. (3) Nam, cujus opum decimam partem ad hunc usque diem conspicere licet cuicumque volenti, ei non adeo ingentes opes oportet tribuere. Cupiens enim Rhodopis monumentum sui in Graecia relinquere, tale opus faciendum curavit, quale a nemine alio vel excogitatum vel in templo aliquo esset dedicatum, illudque Delphis in sui memoriam dedicavit. (4) Ex decima opum igitur suarum parte conficienda curavit complura, quot per decimam ei licuerat, ferrea verua assandis bobus idonea, eaque Delphos misit: quae etiam nunc in unum coacervata conspiciuntur post aram quam Chii dedicarunt, ex adverso ipsius aedis sacrae. (5) Solent autem Naucrati versari venustae meretrices: nam et haec, de qua hic sermo habetur, ita celebrata est, ut Graecis omnibus innotuerit Rhodopidis nomen: et post hanc alia, cui nomen Archidica, per Graeciam est nobilitata; minus tamen, quam ista, sermonibus hominum celebrata. Charaxum autem illum, qui Rhodopin servitute liberavit, Mytilenen reversum, multis conviciis Sappho in carminibus insectata est. Sed haec de Rhodopide hactenus.

CXXXVI. Post Mycerinum, dixerunt sacerdotes, aegypti regem fuisse Asychin, a quo constructa ad Vulcani templum propylaea orientem solem spectantia; longe ea pulcerrima et longe maxima. Habent enim omnia quidem propylaea et figuras insculptas, et infinitam aedificiorum varietatem; haec autem, omnium maxime. (2) Hoc, aiebant, regnante, quum magna in commerciis esset inopia pecuniae, legem latam esse aegyptiis, uti, qui patris cadaver pignori daret, ei aes alienum crederetur: (3) adjectamque ei legem esse hanc, ut, qui dedisset aes alienum, is totius etiam conditorii sepulcralis dominus esset illius qui accepisset: si quis vero, qui illud pignus dedisset, debitum solvere nollet, ei hanc irrogatam esse poenam, ut nec ipse, quum vita functus esset, in paterno sepulcro aut in alio ullo sepeliatur, nec ei licitum quemquam suorum, qui defunctus esset, sepelire. (4) Superare autem cupientem hunc regem eos qui ante ipsum in aegypto regnassent, monumentum sui reliquisse pyramidem e lateribus confectam, in qua est inscriptio lapidi insculpta, in hanc sententiam: «Ne me conferens cum lapideis pyramidibus contemnas: tanto enim illas antecello, quanto reliquos deos Juppiter. Nam conto in paludis fundum subacto, quidquid luti conto adhaesit colligentes, inde lateres duxerunt: atque hoc modo me perfecerunt.» Haec ab illo gesta.

CXXXVII. Post hunc vero regnasse virum caecum ex Anysi oppido, cui nomen Anysis. Hoc regnante, ingenti hominum manu aegyptum invasisse aethiopes et Sabacon, regem aethiopum. (2) Caecum igitur hunc fuga se in paludes recepisse, aethiopemque in aegypto regnasse annos quinquaginta; intra quos annos gesta ab eo esse haecce: quoties aliquis aegyptiorum quidpiam deliquisset, nullum eorum voluisse capite plectere; sed pro ratione delicti sententiam pronunciasse, imperantem ut quisque delinquentium aggerem adgereret ad oppidum unde esset. (3) Atque ita sublimiora etiam facta sunt oppida: etenim primo adgesta fuerat terra ab his, qui regnante Sesostri fossas effoderant; dein iterum sub aethiope admodum quidem sunt exaltata. (4) Prae caeteris autem oppidis aegypti, quorum omnium exaltatum est solum, maxime, ut mihi videtur, adgesta terra est ad Bubastin urbem; in qua est etiam templum Bubastidis, memoratu dignissimum. Sunt enim et alia quidem templa ampliora et sumtuosiora; sed adspectu nullum hoc jucundius. Est autem Bubastis, Graecorum sermone, Diana.

CXXXVIII. Cujus templum ita comparatum est. Praeter introitum, reliquum totum insula est: fossae enim ex Nilo adductae non miscentur altera alteri, sed utraque usque ad introitum pertinet templi; altera ab uno latere, altera ab altero circumfluens; utraque centum pedes patens in latitudinem, arboribus inumbrata. (2) Propylaea ad quadraginta cubitorum altitudinem surgunt, figuris sexcubitalibus memoratu dignis ornata. Quum sit templum in media urbe, undique conspicitur ex toto circuitu: nam quum oppidi solum aggere aggesto sit exaltatum, templum autem, ex quo primum exstructum, non mutatum fuerit, undique conspectui patet. (3) Circumductus est templo murus, figuris insculptis: est autem intus altissimarum arborum lucus, circa aedem magnam plantatus, in quo inest deae simulacrum. Latitudo et longitudo templi omni ex parte stadium metitur. (4) Ad introitum strata lapide via est trium fere stadiorum longitudine, per forum ferens orientem versus: ferme quadringentos pedes patens in latitudinem, utrimque arboribus consita ad coelum porrectis; fert autem ad Mercurii templum. Haec est templi hujus ratio.

CXXXIX. Ad extremum vero aegypto excessisse aiebant aethiopem hoc evento: viso eum nocturno territum, fuga se recepisse: visus quippe sibi erat adstantem videre hominem, qui ei suaderet, ut sacerdotes omnes, qui in aegypto essent, congregaret, et medios discinderet. (2) Hac conspecta visione dixisse eum, videri sibi deos hanc ostendere voluisse occasionem, qua, piaculo in sacra admisso, aut a diis ipsis aut ab hominibus magno malo mulctaretur; se vero hoc facinus non admissurum: sed exiisse tempus, quo exacto, postquam interim in aegypto regnasset, discedendum sibi esset. (3) Etenim, quum in aethiopia etiam tum fuisset, oracula, quibus utuntur aethiopes, edixerant, regnare eum in aegypto debere quinquaginta annos. Itaque finito hoc tempore, territus etiam nocturno viso, sponte ex aegypto discessit Sabacos.

CXL. Post cujus discessum regnasse iterum dixerunt caecum illum, redeuntem e paludibus, ubi quinquaginta annos insulam habitaverat, quam aggere ex cinere et terra adgesto circumderat. Quoties enim advenissent aegyptii, prout quibusque imperatum fuisset, inscio aethiope frumentum ei adferentes, jussisse eum hos ut cum reliquo dono etiam cinerem sibi adferrent. (2) Hanc insulam nemo ante Amyrtaeum potuit invenire: sed per septingentos annos et amplius

anquisiverant eam superiores Amyrtaeo reges, nec reperire potuerant. Est autem nomen insulae Elbo: magnitudo decem stadiorum quaquaversum.

CXLI. Post itum regnasse sacerdotem Vulcani, cui nomen Sethon. Hunc neglexisse nec ullo loco habuisse bellatorum ordinem, quasi nihil his indigeret: et quum aliis rebus ignominiose eos tractasse, tum ademisse eis jugera, quae sub prioribus regibus eximia cuique duodecim fuerant attributa. (2) Deinde vero, quum adversus aegyptum ingentem exercitum duceret Sanacharibus, Arabum et Assyriorum rex, noluisse pugnatum exire bellatores aegyptiorum. (3) Et sacerdotem, ad consilii inopiam redactum, aedem dei ingressum, apud simulacrum esse lamentatum, quantae calamitatis periculum adiret. Lamentanti obrepsisse somnum, et per quietem visum ei esse, adstantem deum jussisse eum confidere, quippe nihil incommodi passurum, si Arabico exercitui obviam isset: ipsum enim deum auxiliares ei copias missurum. (4) Hoc insomnio fretum, adsumtis quicumque ex aegyptiis sequi eum voluisset, castra Pelusii posuisse, ubi est in aegyptum introitus: ex bellatorum vero ordine neminem signa ejus esse secutum; nonnisi institores et operarios et ex foro homines secum habuisse. (5) Eo postquam venisset, noctu sola hostium castra invasisse effusam murium agrestium multitudinem, qui illorum pharetras et arcus et scutorum ansas corrosissent; unde factum, ut postridie, quum armis nudati profugerent hostes, magna eorum multitudo concideretur. (6) Atque etiam nunc Vulcani in templo stat regis hujus statua lapidea, murem manu tenentis, cum inscriptione in hanc sententiam: «Me intuens, deos colere disce!»

CXLII. Adhuc ea exposui, quae ab aegyptiis et praesertim a sacerdotibus eorum narrantur; qui a primo rege usque ad hunc postremo regnantem Vulcani sacerdotem adfirmant generationes hominum fuisse trecentas quadraginta et unam, intraque eas totidem sacerdotes totidemque reges fuisse. (2) Atqui trecentae hominum generationes efficiunt decem annorum millia, quandoquidem tres hominum aetates centum annos conficiunt. Una autem et quadraginta reliquae aetates, quae supra trecentas erunt, colligunt annos mille trecentos et quadraginta. (3) Itaque intra undecies mille trecentos et quadraginta annos dixerunt deum nullum sub hominis forma exstitisse: atque etiam nec antea, nec postea, in reliquis aegypti regibus, tale quidquam fuisse. (4) Intra vero illud temporis spatium, dixerunt, solem quater extra suam sedem ortum esse; et, ubi nunc occidit, inde bis esse ortum; unde nunc oritur, ibi bis occidisse: et inter haec tamen nihil eorum, quae in aegypto esse consuerunt, fuisse mutatum, neque quod ad terrae proventus attinet, nec quod ad ea quae fluvius ipsis largitur, nec quod ad morbos, nec quod ad mortalitatem.

CXLIII. Atque ante me Hecataeo, historiarum scriptori, Thebis originem generis sui recensenti, illamque ad deum tamquam decimum sextum progenitorem referenti, idem fecerunt sacerdotes Jovis, quod mihi, genus meum non recensenti. In aedem amplam me introducentes, monstrabant numerabantque colossos ligneos tot quot dixerant illi: namque quisque summus sacerdos, dum vivit, imaginem suam ibi ponit. (2) Numerantes igitur monstrantesque mihi hasce imagines, incipiendo ab eo qui proxime mortuus erat, sacerdotes confirmarunt mihi, unumquemque esse filium alterius, patrique successisse; atque ita omnes recensuere imagines, donec mihi cunctas demonstrassent. (3) Hecataeo vero genus suum recensenti, originemque suam a sexto decimo deo progenitore repetenti, horum genealogiam, postquam omnes enumeraverant, opposuere; non admittentes quod ille adfirmabat, ex deo generari hominem:

(4) opposuerunt autem ita, ut dicerent, unumquemque horum esse piromin, ex piromi natum, neque a deo aliquo, aut a semideo, genus illorum repetentes. Piromis autem Graeco sermone significat virum honestum et generosum.

CXLIV. Igitur hos, quorum illae sunt imagines, omnes fuisse tales adseverarunt, multum vero a diis diversos. Ante homines autem istos, dixere, deos fuisse qui in aegypto regnassent, simulque cum hominibus illam habitassent; et ex his semper unum fuisse, qui summum imperium teneret. Postremum horum in aegypto regnasse Orum, Osiridis filium, quem Apollinem Graeci nominant: hunc finem fecisse Typhonis potentiae, postremumque ex deorum numero regem fuisse aegypti. Osiris autem, Graecorum sermone, Dionysos (sive Bacchus) est.

CXLV. Jam apud Graecos quidem novissimi deorum censentur esse Hercules et Bacchus et Pan: apud aegyptios vero Pan antiquissimus, et ex octo primorum, qui dicuntur, deorum numero; Hercules vero ex numero duodecim illorum, qui secundi nominantur; Bacchus denique ex tertiorum numero, qui a duodecim diis generati sunt. (2) Quot annos effluxisse dicant aegyptii ab Hercule usque ad Amasin regem, supra memoravi: a Pane vero ad Amasin plures etiam numerantur anni; a Baccho autem minimus annorum numerus: atqui ab hoc, usque ad Amasin regem, numerantur quindecim annorum millia. (3) Et haec se adcurate nosse contendunt aegyptii, quippe constanter numerum iniisse, et scripto consignasse annos. Atqui a Baccho, qui Semele natus perhibetur, Cadmi filia, ad meam aetatem, circiter mille et sexaginta admodum anni sunt; ab Hercule vero, Alcmenae filio, nongenti plus minus; a Pane vero, Penelopae filio (ex hac enim et Mercurio prognatus Pan perhibetur a Graecis), minor etiam annorum numerus quam a bello Trojano, anni circiter octingenti admodum, ad meam usque aetatem.

CXLVI. Ex duabus igitur, quas dixi, rationibus utatur quisque ea, quae probabilior quam altera ipsi visa fuerit: equidem, quae mea de his sententia sit, declaravi. (2) Quod si enim et isti olim in Graecia conspicui fuissent, ibique consenuissent, quemadmodum Hercules Amphitryone genitus, et Bacchus Semeles filius, et Pan ex Penelope natus; dicere quispiam etiam posset, hosce alios posteriores et illorum cognomines, quum homines fuissent, nomina gessisse priscorum istorum deorum. (3) Nunc vero, quod ad Bacchum attinet, dicunt Graeci, simulatque natus fuisset, ab Jove insutum esse femori, et Nysam deportatum, quae supra aegyptum est in aethiopia; de Pane vero, quonam delatus sit a partu, ne habent quidem quod dicant. (4) Ex quo mihi manifestum factum est, Graecos deorum horum nomina posterius, quam reliquorum deorum, cognovisse; ab illo autem tempore, quo eos primum cognoverunt, genus eorum et nativitatem repetiisse.

CXLVII. Atque ista quidem dicunt soli aegyptii. Nunc vero, quae et alii homines, et aegyptii ipsi, illis consentientes, memorant gesta in hac regione esse, ea exponere jam adgredior: inerunt autem his etiam nonnulla quae ego ipse vidi. (2) Post sacerdotis Vulcani regnum libertatem adepti aegyptii, quum nullo tempore sine regibus vivere possent, duodecim reges constituerunt, universa aegypto in duodecim partes distributa. (3) Hi, contractis inter se adfinitatibus, hisque constitutis legibus regnabant, ut nullus alterum opprimeret, nec plus alter altero cuperet habere, essentque arctissima amicitia inter se juncti. (4) Leges autem istas et initio constituerant et magno studio tuebantur hac caussa, quod in ipso statim initio, quum regna adgrederentur,

edixerat illis oraculum: qui ex illorum numero aenea phiala libaverit in Vulcani templo, eum totius aegypti regno potiturum. Namque in omnibus templis conveniebant.

CXLVIII. Monumentum etiam commune relinquere decreverunt; ex eorumque decreto aedificatus est Labyrinthus, paulo supra Moeridis lacum, ex adverso oppidi quod a Crocodilis nomen habet: quem ego vidi fama etiam majorem. (2) Si quis enim aedificia omnia atque opera a Graecis perfecta animo comprehenderit, reperientur illa et labore et sumtu inferiora hoc labyrintho; quamvis memorabile utique sit Ephesi templum, itemque illud quod Sami est. (3) Et erant quidem etiam pyramides opera famam superantia, et earum quaelibet multis eisque magnis Graecorum operibus simul sumtis aequiparanda: sed labyrinthus nimirum pyramides etiam superat. (4) Habet enim duodecim aulas tectis instructas, portis sibi mutuo obversis, sex ad septentrionem, sex ad meridiem spectantes, omnes inter se contiguas: unus autem murus cunctas extrinsecus includit. (5) Conclavia sunt duplicia, alia subterranea, alia super his in sublimi, numero ter mille; cujusque generis mille et quingenta. (6) Quae supra terram sunt conclavia, ipsi vidimus et transiimus, et oculis contemplati de his loquimur: quae vero sub terra sunt, auditu cognovimus: nam aegyptii his praepositi nullo pacto monstrare ea nobis voluerunt, dicentes esse ibi sepulcra regum, qui labyrinthum aedificarunt, et sacrorum crocodilorum. (7) Igitur de his subterraneis conclavibus non nisi audita referimus: superiora vero ipsi vidimus, humanis operibus majora. Nam transitus per aedificia, et anfractus per aulas, incredibili varietate infinitam nobis admirationem exprimebant, ex una aula in conclavia transeuntibus, et ex conclavibus in atria, rursusque in alia aedificia ex atriis, et in alias aulas e conclavibus. (8) Lacunar conclavium omnium lapideum, perinde ac parietes: parietes vero insculptis figuris pleni. Aula quaelibet peristylio circumdata, lapide albo arctissime juncto. Proxime angulum, in quo desinit labyrinthus, stat pyramis ducentorum quadraginta pedum, cui grandes insculptae sunt figurae: introitus in illam sub terra constructus est.

CXLIX. Talis quum sit hic labyrinthus, majore etiam in admiratione esse debet Moeridis lacus qui vocatur, juxta quem constructus est hic labyrinthus. Circuitus hujus lacus ter mille sexcenta stadia metitur; sunt enim sexaginta schoeni: mensura aequalis ei quam colligit universa aegypti ora secundum mare porrecta. (2) Lacus a parte boreali et australi oblongo situ est: altitudo, ubi maxime, quinquaginta ulnarum, quas orgyias Graeci vocant. Esse autem manu factum effossumque, ipse ostendit. Stant enim in medio fere lacu duae pyramides, quinquaginta orgyias utraque eminens ex aqua, et tantumdem sub aqua constructum est: super utraque collocatus est colossus lapideus, in sella residens. (3) Ita sunt pyramides hae orgyiarum centum: centum autem orgyiae adcurate efficiunt stadium, sex plethris (sive jugeris) constans; quum orgyia metiatur sex pedes, sive quattuor cubitos; pes autem quattuor constet palmis, cubitus sex palmis. (4) Aqua autem hujus lacus nativa non est: est enim prorsus arida illa regio: sed e Nilo per canalem eo derivata est aqua; et per sex quidem menses influit in lacum, tum sex mensibus rursus effluit in Nilum. Quo tempore effluit, per illos sex menses quotidie talentum argenti ex piscibus redit in regis aerarium; quum vero influit aqua in lacunam, viginti minae.

CL. Dicunt horum locorum incolae, exitum sub terra in Syrtin, quae in Libya est, habere hunc lacum, qua parte versus occidentem in mediterranea Libyae spectat juxta montem qui supra Memphin est. (2) Quum vero terram ab ampla hac effossione egestam, curiose quidem circumspiciens, nusquam viderim; quaesivi ex his qui proxime lacum adcolunt, ubi esset humus

effossa. (3) Et illi mihi dixerunt quo delata fuerit, facileque persuaserunt; quum auditu cognitum haberem simile quiddam Nini, Assyriae urbe, factum. Nam Sardanapalli, Assyriae regis, opes ingentes, thesauris subterraneis conditas, quum furto auferre constituissent nonnulli; (4) ex suis aedibus fodiendi initio facto, sub terra progressi sunt, fossam versus regiam dirigentes: humum vero effossam quotidie sub noctem in Tigrin amnem, qui Ninum praeterfluit, egesserunt, donec perfecissent quod instituerant. (5) Idem prorsus in fodienda hoc in aegypto lacu factum esse audivi; nisi quod non noctu, sed interdiu sit factum: terram enim effossam in Nilum egessisse aegyptios; quam fluvius, exceptam, diffusurus erat. Hac igitur ratione effossum hunc lacum narrant.

CLI. Duodecim quos dixi reges dum regnant justitiam colentes, accidit temporis decursu, ut, quum sacrificium solenne in Vulcani templo peregissent, festorum dierum postremo libaturis phialas aureas exhibens summus sacerdos, e quibus libarent, aberrans numero, undecim exhiberet phialas, quum essent ipsi duodecim. (2) Ibi tum Psammitichus, stans postremus omnium, quum phialam non haberet, galeam de capite detractam (ea autem erat aenea) porrexit, ex eaque libavit. Galeas vero etiam reliqui reges omnes, quum alioqui, tum eo ipso tempore, gestabant. (3) Psammitichus igitur nullo quidem dolo malo usus, galeam porrexerat: sed reliqui undecim animum ad hoc Psammitichi factum advertentes, cogitantesque oraculum, quod ipsis editum fuisset, qui ex aenea phiala libasset, eum solum regem futurum totius aegypti; hujus oraculi memores, quum instituta perquisitione reperissent non deliberato id a Psammiticho esse factum, aequum quidem non censebant ut morte plecteretur; sed placuit eum in paludes relegari, majori potestatis parte exutum, neque ei licere paludibus excedere et reliquis aegypti rebus sese immiscere.

CLII. Idem Psammitichus ante id tempus, Sabacon aethiopem metuens, qui patrem ipsius Necon occiderat, in Syriam profugerat: sed, postquam aethiops nocturno viso territus aegypto excesserat, ab aegyptiis Saiten praefecturam incolentibus in patriam erat reductus. (2) Nunc igitur iterum, postquam regnavit, ab undecim regibus in exsilium missus est in paludes propter galeam. Ratus autem injuste secum esse ab illis actum, vindictam capere de persecutoribus cogitavit: quumque ea caussa in Buto oppidum ad Latonae oraculum misisset, quod veracissimum aegyptii habent, adlatum est ei responsum, venturam vindictam a mari, quando aenei viri sint adparituri. (3) Cui responso quum ille fidem vix ullam adhiberet, venturos aeneos viros opem sibi laturos; accidit haud multo interjecto tempore, ut Iones Caresque homines, praedatum navibus profecti, ad aegyptum deferrentur, tempestatibus compulsi: qui quum aere armati in terram exscendissent, aegyptiorum aliquis, ut qui numquam antea viros aere armatos vidisset, nunciatum ivit Psammiticho, aeneos viros advenisse e mari, qui praedam ex terra agerent. (4) Tum ille, impletum esse intelligens oraculum, benigne Ionas Caresque excepit, magnisque promissis persuadere illis, ut secum manerent, conatus est. Quibus ut id persuasit, simul cum aegyptiis, qui cum ipso sentiebant, et cum his auxiliaribus, reliquos reges oppressit.

CLIII. Ita totius aegypti regno potitus Psammitichus, construxit Memphi propylaea Vulcani ad meridiem spectantia: et aulam aedificavit Apidi, in qua aleretur Apis sicubi adparuisset. Ea aula ex adverso propylaeorum est, tota peristylio circumdata, et figuris omni ex parte exornata: pro columnis suppositi sunt colossi duodenûm cubitorum. Apis autem, Graecorum sermone, Epaphus est.

CLIV. Ionibus vero et Caribus, quorum opera usus erat, agros habitandos Psammitichus concessit, sibi mutuo obversos, interfluente Nilo: qui agri Castra (Ionum Carumque,) nominabantur. (2) Postquam has sedes eis concessit, reliquaque promissa exsolvit; pueros eisdem aegyptios tradidit, qui ab illis Graecum ediscerent sermonem: et ex his pueris, sermonem edoctis, nati sunt qui nunc interpretes sunt in aegypto. (3) Agros istos longo tempore Iones Caresque habitarunt, sitos versus mare paulo infra Bubastin oppidum, ad Pelusium quod vocatur Nili ostium. (4) Sed insequente tempore Amasis rex, sedibus illis excitos, Memphin habitatum concedere jussit, ut essent sibi custodes corporis adversus aegyptios. Jam ex quo hi aegyptum habitare coeperunt, nos Graeci, cum his commercia habentes, res in aegypto gestas, inde a Psammiticho rege, et quae deinde gestae sunt, adcurate cunctas novimus. Hi enim primi alia lingua loquentes aegyptum incoluerunt. (5) In eis autem locis, e quibus ab Amasi exciti sunt, vestigia navalium, quibus usi erant, et aedificiorum rudera ad meam adhuc aetatem superfuerunt. Isto igitur modo Psammitichus aegypto potitus est.

CLV. Oraculi, quod in aegypto est, jam saepius feci mentionem; et de eodem, quippe memoratu digno, copiosius etiam exponam. Est autem hoc oraculum aegyptiacum Latonae templum, in magno oppido situm, ad Sebenniticum quod vocatur Nili ostium, adverso flumine ex mari navigantibus. (2) Nomen oppidi hujus, ubi oraculum, est Buto, quod nomen jam ante posui. Est autem in eadem urbe etiam Apollinis templum, et templum Dianae. Latonae vero templum, in quo est oraculum, quum ipsum magnum est, tum propylaea habet quadraginta cubitorum altitudine. (3) Quod vero ex his, quae ibi conspiciuntur, maxima me admiratione adfecit, hoc dicam. Est in eodem loco sacro aedes Latonae ex uno lapide confecta, quum in altitudinem, tum in longitudinem; quilibet paries aequali est longitudine et altitudine, et quidem quadragenorum cubitorum: pro tecto alius impositus est lapis, coronam quae dicitur habens in altitudinem quattuor cubitorum.

CLVI. Eorum igitur qui circa hoc templum conspiciuntur, maximae mihi admirationi fuit aedes illa: secundo autem loco, insula quae Chemmis nominatur. Sita haec est in lacu alto amploque juxta templum quod in Buto est: dicuntque aegyptii, esse eam natantem. (2) Et ego quidem eam nec nantem vidi, nec motam: sed istud audiens obstupui, insulam ullam vere esse nantem. In hac vero insula est Apollinis templum amplum, in quo tres arae erectae: nascuntur in eadem palmae magno numero, aliaeque arbores multae, tam frugiferae, quam steriles. (3) aegyptii autem, nantem esse hanc insulam dicentes, narrationem hanc adjiciunt: Latonam, unam ex octo diis qui ante reliquos exstitissent, quum urbem Buto habitaret, in qua nunc oraculum illud habet, Apollinem, ab Iside sibi creditum, in hac insula, quae olim non fuisset natans, nunc autem natare dicitur, abscondisse et salvum conservasse, tum quum omnia perquirens Typhon venisset, invenire cupiens Osiridis filium. (4) Apollinem enim et Dianam dicunt Dionyso et Iside natos: Latonam vero fuisse nutricem horum et servatricem. aegyptiaco autem sermone Apollo, Orus vocatur; Ceres, Isis; Diana, Bubastis. (5) (Et ex hac aegyptiorum traditione, nec aliunde, unus ex omnibus superioribus poetis aeschylus, Euphorionis filius, subripuit id quod ego dicam; nempe quod Dianam dixerit Cereris filiam.) Ea igitur caussa insulam illam, aiunt, nantem factam esse.

CLVII. Psammitichus in aegypto regnavit annos quattuor et quinquaginta: quorum per undetriginta Azotum circumsidens oppugnavit, magnum Syriae oppidum, donec tandem vi cepit. Atque haec Azotus omnium, quae novimus, oppidorum longissime restitit obsidentibus hostibus.

CLVIII. Psammiticho vero in aegypti regnum successit filius Necos. Hic primus fossam adgressus est ducere in Erythraeum mare ferentem, quam deinde Darius Persa iterum effodit: cujus longitudo est quattuor dierum navigatio; latitudo autem tanta, ut duae naves remis agitatae simul navigare possint. (2) Aqua ex Nilo in eam derivata; derivata autem paullo supra Bubastin urbem, juxta Patumon oppidum Arabiae. Influit autem fossa in Erythraeum mare. Fodiendi initium factum est ab ea parte planitiei aegyptiacae, quae ad Arabam pertinet, ubi planitiei superne contiguus est mons qui ex adverso Memphidis protenditur, in quo lapicidinae insunt. (3) Ad pedem igitur hujus montis acta est fossa in longum ab occidente versus orientem; deinde per fauces montis progreditur, pergitque a monte versus meridiem et austrum in sinum Arabicum. (4) Qua est autem brevissimus et compendiarius maxime a boreali mari in australe et Rubrum (nam utroque nomine idem hoc vocatur) transitus, a Casio monte, qui aegyptum a Syria disterminat, ab hoc igitur ad Arabicum sinum, sunt exacte mille stadia. (5) Haec est brevissima via: sed fossa multo est longior, quanto majores habet anfractus: in qua sub Neco fodienda perierunt aegyptiorum centum et viginti millia. (6) In medio vero labore substitit Necos, pergere prohibitus oraculi effato tali, illud opus eum pro barbaro facere. Vocant autem aegyptii barbaros, omnes qui non ipsorum lingua utuntur.

CLIX. A fodienda fossa postquam destitit Necos, ad militares expeditiones suscipiendas se convertit: triremesque aedificari jussit, alias in boreali mari, alias in Arabico sinu ad Rubrum mare; ubi vestigia adhuc navalium conspiciuntur. (2) Ac his quidem navibus usus est ubi opus erat: Syros vero pedestri exercitu adgressus, collata acie vicit ad Magdolum; post illamque pugnam Cadytin cepit, magnam Syriae urbem. Qua veste indutus has res gessit, eam deinde Apollini dedicavit, missam ad Branchidas Milesiorum. His rebus gestis Necos, postquam sedecim omnino annos regnavit, vita functus est, et filio Psammi regnum reliquit.

CLX. Hoc regnante Psammi, venerunt in aegyptum legati Eleorum, jactantes aequissime et praeclarissime omnium hominum a se Olympiae publica certamina administrari; existimantesque ne aegyptios quidem, hominum sapientissimos, aliquid quod supra illam rationem esset, praeterea posse reperire. Postquam igitur significarunt Elei, quo consilio in aegyptum venissent; convocavit rex hic eos ex aegyptiis, qui dicebantur esse sapientissimi. (2) Qui ubi convenere, audivere Eleos omnia exponentes quae ipsorum officii essent in administrando certamine; quibus expositis, dicebant se venisse sciscitaturos, an aegyptii aliquid, quod his aequius esset, possent praeterea reperire. Tum illi, collato inter se consilio, quaesiverunt ex Eleis, an cives ipsorum ad certamen admittantur. (3) Et Elei, tam suorum, aiebant, quam aliorum Graecorum quicumque vellet, ei licitum esse in certamen prodire. Responderunt aegyptii, si ita rem administrarent, multum eos ab aequitate aberrare: fieri enim nullo modo posse, quin certanti civi faveant, injuriamque faciant peregrino. (4) Quodsi ergo cum aequitate vellent certamina administrare, et hujus rei caussa in aegyptum venissent; peregrinis tantum certatoribus ponerent certamen, Eleorum autem neminem admitterent. Haec aegyptii Eleos monuerunt.

CLXI. Psammis postquam sex tantum annos regnarat, expeditionemque susceperat in aethiopiam, continuo deinde vitam finivit; cui in regnum filius successit Apries. Hic post Psammitichum, proavum suum, felicissimus superiorum omnium regum fuit per quinque et viginti quos regnavit[TR14] annos; quibus et adversus Sidonem duxit exercitum, et navali pugna cum Tyri rege conflixit. (2) Ubi vero adfuit tempus, quo in fatis erat ut malis premeretur, accidit calamitas ex occasione quam ego quidem fusius in Libycarum rerum historia exponam, paucis in praesenti contentus. Scilicet, exercitu adversus Cyrenaicam misso, ingentem cladem Apries acceperat. Quam calamitatem ipsi imputantes aegyptii, ab eo defecerunt; quum existimarent, deliberato consilio Aprien hos in manifestum misisse exitium, ut, postquam illi periissent, ipse reliquis aegyptiis tutius imperaret. Eo vehementer indignati, tum hi qui e clade redierunt, tum eorum qui perierant amici, e vestigio desciverunt.

CLXII. Qua re cognita, Apries ad eos verbis coercendos Amasin misit. Et hic, ubi ad aegyptios pervenit, inhibere illos conatus est, hortarique ut coepto desisterent: sed, dum loquitur, aegyptiorum aliquis, pone stans, galeam capiti ejus imponit, simul dicens, regni caussa se ei illam imponere. (2) Nec vero id illi invito admodum accidit, ut quidem mox ostendit. Nam postquam aegyptii hi, qui defecerant regem illum sibi posuerant, ducere eos adversus Aprien paravit. (3) Quo cognito Apries spectatum inter aegyptios qui circa ipsum erant virum, cui nomen Patarbemis, ad Amasin misit cum mandato, ut vivum illum ad se adduceret. (4) Patarbemis ut advenit, Amasinque vocavit; equo tunc forte insidens Amasis, sublato crure, flatum ventris emisit, atque hoc eum jussit Apriae reportare. Nihilo minus ab eo postulasse, aiunt, Patarbemin, ut ad regem, qui eum arcesseret, abiret. Cui respondisse Amasin, jam pridem hoc ipsum se parare, nec de se ea caussa conquesturum esse Aprien: adfuturum enim et ipsum, et alios secum ducturum. (5) Quorum verborum sententiam non ignorantem Patarbemin, quum paratum illum videret, maturasse reditum, ut quam primum regi, quid ageretur, renunciaret. Ubi autem advenerit, Aprien, quum Amasin ille non adduxisset, ira ascensum, nulla secum ratione inita, aures naresque praecidi ei jussisse. (6) Quod ubi viderunt reliqui aegyptii, qui adhuc cum rege fecerant, virum e suis spectatissimum ita contumeliose mutilari, nullam moram facientes, desciverunt et ipsi ad reliquos, et Amasi se tradiderunt.

CLXIII. Quo cognito Apries armavit auxiliares, et adversus aegyptios duxit: habuit autem secum Carum et Ionum auxiliarium triginta millia: regia autem ipsius erat in urbe Sai, amplum et spectatu dignum aedificium. Apries igitur cum suis profectus est adversus aegyptios; et Amasis cum aegyptiis adversus peregrinos regis milites: quumque ambo circa Momemphin oppidum essent, in eo erant ut pugnae discrimen experirentur.

CLXIV. Sunt in aegypto septem hominum genera. Horum alii sacerdotes, alii bellatores nominantur, alii bubulci, alii subulci, institores alii, alii interpretes, alii navium gubernatores. Tot sunt aegyptiorum genera, sive classes: quibus nomina imposita sunt ab artibus quas exercent. (2) Bellatorum rursus alii Calasiries nominantur, alii Hermotybies. Qui ex hisce sunt praefecturis (nam in praefecturas [nomos Graecis] tota distributa aegyptus est:)

CLXV. Hermotybium nomi hi sunt, Busirites, Saites, Chemmites, Papremites, insula cui nomen Prospitis, Natho ex dimidia parte. Hisce ex praefecturis sunt Hermotybies; numero, quando maximus eorum numerus, centum et sexaginta millia. Et horum nullus artem ullam sellulariam aut opificium didicit: rei militari unice vacant.

CLXVI. Calasirium alii nomi sunt, hi: Thebanus, Bubastites, Aphthites, Tanites, Mendesius, Sebennytes, Athribites, Pharbaethites, Thmuites, Onuphites, Anysius, Myecphorites, qui nomus in insula est, ex adverso Bubastis oppidi. Hi sunt nomi Calasirium; quorum numerus, quando maximus est, ducentorum quinquaginta millium est virorum. Neque hisce licet opificium ullum artemve exercere, solam rem militarem exercent, puer a patre institutus.

CLXVII. An igitur etiam hoc ab aegyptiis Graeci acceperint, non possum liquido judicare; quum et Thracas et Scythas et Persas et Lydos et omnes fere barbaros populos videam minore in honore, quam alios cives, habere hos qui artes et opificia discunt, horumque posteros; eos vero, qui opificium nullum exercent, generosos et nobiles existimare, ac praesertim hos qui rei militari unice vacant. Receptum quidem hoc est apud Graecos etiam omnes, sed maxime apud Lacedaemonios. Minime vero Corinthii eos contemnunt qui manibus artes exercent.

CLXVIII. Praemium autem bellatoribus hoc[TR15] eximium tribuitur, juxta cum sacerdotibus, prae caeteris omnibus aegyptiis: duodecim cuique arva praecipua, vectigalis immunia. Habet autem arvum centum cubitos aegyptios quaquaversum: estque aegyptius cubitus Samio aequalis. (2) Ista igitur omnes atque singuli praecipua habebant: praeterea vero per vices, neque utique cuncti simul, hisce fruebantur commodis: milleni Calasirii, totidemque Hermotybies, quotannis corporis custodes erant regis; his igitur, praeter arva illa, in singulos dies haecce tribuebantur: cocti cibi farinacei definitum pondus, quinque librae cuique; carnis bubulae librae duae, vini cyathi quattuor. Haec tribuebantur corporis custodibus qui quoque tempore in hoc munere erant.

CLXIX. Postquam igitur obviam sibi mutuo profecti, Apries auxiliares copias ducens, Amasis vero aegyptios omnes, ad Momemphin oppidum pervenere, armis congressi sutn. Et fortiter quidem pugnabant peregrini; sed, quum numero longe essent inferiores, eo victi profligati sunt. (2) Dicunt autem, Apriae hanc stetisse sententiam, ne deum quidem ullum regno exuere se posse; ita firmiter illud sibi stabilitum putabat. At tunc, quod dixi, collata acie devictus est: et, quum vivus in hostium venisset potestatem, Sain abductus est in pristinam suam domum, quae nunc Amasidis regia erat. (3) Ibi aliquamdiu in regia nutritus est; et bene eum habuit Amasis: ad extremum vero, quum exprobrarent aegyptii non recte eum facere quod alat virum et ipsis et sibi inimicissimum, tradidit Aprien aegyptiis; (4) qui eum strangularunt, ac deinde in patrio sepulcro sepeliverunt. Sepulcrum illud in Minervae templo est, proxime aedem sacram, intrantibus a laeva manu. Saitae enim cunctos ex hoc nomo oriundos reges intra templum hoc sepeliunt. (5) Nam Amasidis etiam monumentum aliquanto quidem longius ab aede sacra abest quam Apriae et ejus progenitorum; at est tamen etiam hoc in aula templi, thalamus lapideus ingens, columnis ornatus palmas arbores imitantibus alioque sumtu. In thalamo, repositorium est binis foribus clausum, atque intra has fores est regis sepulcrum.

CLXX. Sunt vero etiam sepulcra ejus, cujus nomen tali occasione edere mihi nefas, in eodem Minervae templo Saitano, post aedem sacram, toti postico parieti aedis Minervae contigua. Et in area templi stant obelisci ingentes, lapidei: juxtaque eos lacus est, lapidea crepidine ornatus et circumcirca pulcre elaboratus, eadem, ut mihi videbatur, magnitudine qua est lacus Deli, qui orbiculatus nominatur.

CLXXI. In hoc lacu exhibent noctu speciem imaginemque casuum, qui illi acciderunt, quae mysteria vocant aegyptii: de quibus mihi quidem, quamquam satis singula quo pacto se habeant norim, silentium agitor. Etiam de Cereris sacris, quae Thesmophoria Graeci vocant, silentium mihi agendum; nisi quatenus de his verba facere fas est. (2) Danai filiae sacra haec ex aegypto attulerant, et Pelasgiscas mulieres ea docuerant. Deinde, postquam tota Peloponnesus a Doribus eversa est et sedibus suis excita, perierunt hae sacra; solique Arcades, qui in Peloponneso manserunt, neque inde migrare coacti sunt, illa conservarunt.

CLXXII. Aprie ita sublato, Amasis in aegypto regnavit, ex Saitana praefectura oriundus, et quidem ex oppido cui nomen Siuph. Et primo quidem spreverunt aegyptii Amasin, nec ullo magnopere loco habuere, ut qui de plebe olim fuisset, et ex domo minime illustri. Deinde vero callido quodam invento, non asperitate, ad officium eos redegit. (2) Erant ei quum aliae res pretiosae permultae tum pelluvium aureum, in quo et Amasis ipse et conviva omnes lavare pedes consueverant: hoc pelluvium confringi,[TR16] ex eoque confici dei simulacrum jussit, quod in loco urbis[TR17] opportunissimo erexit. Et aegyptii frequentes ad simulacrum[TR18] conveniebant, illudque magna religione colebant. (3) Id ubi a civibus fieri intellexit Amasis, convocatis aegyptiis, quod res erat, declaravit; dicens, fatum esse simulacrum illud ex pelluvio, in quod paullo ante et evomuissent aegyptii et imminxissent, et pedes in eo abluissent, qui nunc illud magna religione colant. (4) Jam igitur (sic loqui pergebat) suam sortem simillimam huic pelluvio esse: etsi enim prius fuisset plebeius, at in praesentia esse illorum regem, itaque illorum esse officium, sese honorare suique respectum habere. Tali modo aegyptios eo adduxit, ut illi serviri aequum censerent.

CLXXIII. Idem in rebus agendis hoc usus est instituto: primo mane, usque ad id tempus quo celebrari forum hominibus solet, studiose peragebat negotia quaecumque obferebantur: ab illo vero tempore ad potandum et ad cavillandum cum compotoribus se dabat, jocisque petulantioribus et rebus ludicris indulgebat. Quibus rebus offensi amici, admonuerunt eum, dicentes: «Non e dignitate tua, rex, te ipse moderaris; et nimis te humiliter demittis. Debebas tu, venerando in throno venerabilis sedens, per totum diem administrationi rerum vacare. Ita scituri erant aegyptii, a magno viro se regi, tuque melius audires. Nunc quae tu agis, minime decent regem:» (2) Quibus ille his verbis respondit: «Qui arcu utuntur, hi eum, quando fert usus, nervo intendunt: postquam usi sunt, remittunt. Si enim perpetuo intentus esset, rumperetur; ut illo, ubi opus foret, non amplius possent uti. (3) Eadem nempe est hominis conditio. Quodsi quis semper vellet seriis rebus esse intentus, nec vicissim ad jocum se remittere; imprudenti huic accideret, ut vel furiosus fieret vel stupidus. Hoc ego intelligens, utrique eri suam partem tribuo.» Hoc ille amicis responsum dedit.

CLXXIV. Aiunt autem eundem Amasin, quum privatus fuisset, etiam tunc compotationes cavillationesque amasse, nec ullo modo seriis rebus fuisse intentum; et, quando potantem voluptatibusque indulgentem defecissent necessaria, circumivisse nonnunquam et furto abstulisse aliena. (2) Jam qui adfirmabant habere eum suam pecuniam, hi eum, quum negaret, ad oraculum ducebant quo quique utebantur: et a multis passim oraculis furti convincebatur, ab aliis absolvebatur. (3) Postquam autem regno potitus est, hoc fecit: quicumque dii eum furti crimine absolverant, horum templa et negligebat, neque ad reficienda illa quidquam dabat, neque sacra illis diis faciebat, ut qui nullius essent momenti, nec veracia haberent oracula; qui vero furti eum arguerant, horum praecipuam curam agebat, ut qui vere dii essent, et oracula non mendacia exhiberent.

CLXXV. Et primo quidem in Sai urbe ad Minervae templum propylaea deae exstruxit mirabilia, superiores omnes, qui talia exstruxerant, altitudine superans, et amplitudine, et ipsorum lapidum tum magnitudine tum qualitate. Statuas item magnas et ingenti mole androsphinges dedicavit, lapidesque alios immanis magnitudinis ad reficienda aedificia adgerendos curavit. (2) Horum alii ex lapicidina, quae adversus Memphin est, adgerebantur: ii vero qui immani erant magnitudine, ex Elephantine urbe, quae dierum non minus viginti navigatione abest a Sai. Quod vero ex his non minime miror sed maxime omnium, aedes est ex uno lapide, quam ex Elephantine urbe transportandam curavit: qua in transportanda per tres annos occupati erant duo millia hominum, cui ea cura commissa[TR19] erat, hique omnes erant navium gubernatores. (3) Hujus aedis longitudo extrinsecus est unius et viginti cubitorum; latitudo vero, quattuordecim; altitudo, octo cubitorum. Hae sunt mensurae aedis hujus monolithae extrinsecus. Intrinsecus longitudo est octodecim[TR20] cubitorum et viginti digitorum; latitudo, duodecim, altitudo, quinque cubitorum. (4) Posita haec est ad introitum templi. Nam intra templum aiunt hac caussa non fuisse pertractam: architectum, quum aegre promoveretur aedes, multumque temporis esset insumtum, vehementer dolentem operis molestiam, ingemuisse; idque animadvertentem et religioni habentem Amasin non permisisse ut ulterius promoveretur aedes. (5) Praeterea nonnulli narrant, quemdam ex his qui vectibus promovere aedem conabantur, esse ab illa oppressum, et ea caussa non intus esse promotam.

CLXXVI. Sed et in aliis omnibus nobilioribus templis dedicavit Amasis opera ob magnitudinem spectatu digna: in his Memphi colossum illum resupinum ante Vulcani templum, cujus longitudo septuaginta quinque pedum est: et super eadem basi duo alii stant colossi, uterque vicenûm pedum magnitudine, alter ab una aedis sacrae [nisi potius, magni colossi] parte, alter ab altera: uterque ex aethiopico lapide est perfectus. (2) Est autem etiam in Sai urbe similis colossus lapideus, eodem habitu positus quo ille Memphi. Etiam Isidi templum illud, quod Memphis est, Amasi exstruxit, magnum et spectatu dignissimum.

CLXXVII. Regnante Amasi dicunt aegyptum prosperitate maxime floruisse, tum quod ad commoda spectat quae fluvius regioni largitur, tum ad ea quae e terra homines percipiunt: et oppida habitata in ea tunc fuisse, si cuncta numeres; vicies mille. (2) Amasis etiam hic est qui legem illam aegyptiis constituit, ut aegyptiorum quisque quotannis apud nomi sui praefectum profiteretur, unde vitam sustentet: qui hoc non faceret et legitimum victum non declararet, is

morte plecteretur. Quam legem Atheniensis Solon, ab aegyptiis acceptam, Atheniensibus tulit, qui perpetuo ea utuntur, ut pote laudabili lege.

CLXXVIII. Graecorum amicus quum esset Amasis, et alia in Graecorum nonnullos beneficia contulit, et eis, qui in aegyptum venirent, Naucratin urbem habitandam concessit: qui vero sedes in aegypto figere nollent, et mercandi tantum caussa in eam navigarent, his areas adsignavit ubi aras et templa diis erigerent. (2) Maximum igitur illorum templum et celeberrimum, maximeque frequentatum, quod Hellenium nominatur, communi consilio sumtuque statuerunt hae civitates: ex Ionibus, Chius, Teos Phocaea, et Clazomenae; ex Doribus, Rhodus, Cnidus, Halicarnassus et Phaselis, ex aeolensibus, sola Mytilenaeorum civitas. (3) Horum est igitur hoc templum, haeque civitates constituunt praesides emporii. Quodsi quae aliae partem illius sibi vindicant, rem sibi vindicant nihil ad se pertinentem. Praeter istud vero templum, seorsum aeginetae statuerunt Jovis fanum; et Samii aliud Junonis, tum Milesii, Apollinis.

CLXXIX. Fuitque olim solum in aegypto emporium Naucratis, nec aliud ullum. Quodsi quis in aliorum Nili ostiorum aliquod intrasset, jurare eum oportebat, invitum eo se venisse; tum, hoc praestito jurejurando, cum navi sua in Canobicum ostium tenebatur navigare, aut, si per contrarios ventos hoc ei non licuisset, oportebat merces navigiis aegyptiis circum Delta circumvehere, donec Naucratin pervenisset. Ita Naucratis in honore erat.

CLXXX. Quum Amphictyones, postquam superius templum Delphicum fortuito casu conflagraverat, illud quod nunc e trecentis talentis elocassent aedificandum, cujus summae quartam partem Delphi pro sua portione tenebantur conferre; circumeuntes hi per civitates, dona corrogabant: quod dum faciebant haud parum ex aegypto retulerunt. Amasis enim mille eis dedit talenta aluminis; Graeci vero in aegypto habitantes, viginti libras.

CLXXXI. Idem Amasis cum Cyrenaeis mutuam amicitiam societatemque contraxit. Constituitque etiam uxorem ex eorum regione ducere, sive quod Graecam habere uxorem desideraret, sive omnino amicitiae caussa, quam cum Cyrenaeis colebat. Duxit igitur spectati inter populares suos viri, quem Battum alii, alii Arcesilam, rursusque alii Critobulum dicunt, filiam, nomine Ladicen. (2) Cum qua quoties concumberet Amasis, coire non poterat, quum tamen aliis mulieribus uteretur. Id ubi saepius ei accidit, dixit ad hanc Ladicem Amasis: «Veneficiis, o mulier, adversus me usa es: quare effugere nullo pacto potes, quominus pessime pereas mulierum omnium.» (3) Tum Ladice, postquam negando nihilo placatiorem reddere illum potuit, intra animum suum Veneri votum fecit, si ea nocte coisset cum ipsa Amasis (id enim unum esse calamitatis effugium), statuam se ei Cyrenen missuram. (4) Et post hoc conceptum votum continuo cum ea coiit Amasis; et, quoties deinde cupido eum incessit, coibat; vehementerque eam ab illo tempore diligebat. Et illa votum solvit deae: faciendam curavit imaginem, Cyrenenque misit; quae adhuc mea aetate superfuit, extra Cyrenaeorum urbem constituta. (5) Eandem Ladicen Cambyses, aegypto potitus, postquam ex ea, quaenam esset, cognosset, illaesam Cyrenen remisit.

CLXXXII. Dedicavit Amasis donaria etiam in Graeciam: et primum quidem Cyrenen Minervae statuam misit inauratam, et sui imaginem pictura adsimulatam: tum Minervae quae Lindi colitur, duas statuas lapideas, et thoracem lineum spectatu dignum; denique Junoni Samiae duas sui imagines ex ligno sculptas, quae in magno templo ad meam usque aetatem steterunt post fores. (2) Et Samum quidem dona haec miserat hospitii caussa, quod ei cum Polycrate aeacis filio intercesserat: Lindum vero, nullius quidem hospitii caussa, sed quoniam Minervae templum Lindi exstructum esse perhibetur a Danai filiabus, quae ad illam oram adpulissent, quum fugerent aegypti filios. Haec sunt donaria quae Amasis dedicavit. Idem vero etiam Cyprum, a nemine ante illum subactam, cepit, tributariamque sibi fecit.

HERODOTI HISTORIARUM LIBER TERTIUS. (THALIA.)

I. Adversus hunc igitur Amasin Cambyses, Cyri filius, quum alios quibus imperavit, tum e Graecis Ionas et aeolenses ducens, bellum movit hac de caussa. (2) Misso in aegyptum legato Cambyses filiam Amasidis petierat uxorem: petierat autem ex aegyptii cujusdam consilio, qui id ei suaserat infensus Amasidi, quod se ex cunctis, qui in aegypto erant, medicis selegisset quem ab uxore et liberis abstractum amandaret in Persas, quum Cyrus ab Amasi oculorum medicum petiisset qui esset in aegypto optimus. Eo igitur infensus aegyptius consilio suo instigaverat Cambysen ut filiam Amasidis peteret; quo ille aut moerore adficeretur data filia, aut non data odium incurreret Cambysis. (3) Amasis, Persarum potentiam graviter ferens timensque, et dare illam et negare perinde dubitaverat; quippe bene gnarus, non legitimae uxoris, sed pellicis loco, habiturum eam Cambysen. Haec secum reputans, hancce inierat rationem. (4) Erat Apriae filia, superioris regis, admodum et grandis et formosa, sola ex regia domo superstes; cui erat nomen Nitetis. Hanc igitur puellam Amasis, veste et auro exornatam, in Persas miserat tamquam suam filiam. (5) Interjecto tempore quum eam complectens Cambyses filiam Amasidis salutasset, dixerat ei puella: «Nescis, rex, deceptum te esse ab Amasi, qui me idoneo cultu ornatam ad te misit, tibique tamquam filiam dedit suam; quum revera sim Apriae gnata, quem ille, dominum suum, inita cum aegyptiis societate, interfecit.» Hoc verbum et haec incidens caussa Cambysen, Cyri filium, impulit ut vehementi ira incensus adversus aegyptum duceret. Ita quidem Persae rem narrant.

II. aegyptii vero sibi vindicant Cambysen, dicentes esse eum ex hac Apriae filia natum: Cyrum enim fuisse, non Cambysen, qui ad Amasin misisset ejusque filiam petiisset. (2) At hoc quidem non ex rei veritate dicunt. Immo vero ne ipsos quidem latet (nam Persarum instituta, si qui alii, bene norunt aegyptii), primum, ex illorum legibus filium ex pellice natum non succedere in regnum, si adfuerit legitimus; deinde, ex Cassandana, Pharnaspis filia, de Achaemenidum stirpe, natum esse Cambysen, non ex illa aegyptia. Sed invertunt historiam, intercedere sibi adfectantes cum Cyri familia cognationem. Et haec quidem ita se habent.

III. Narratur etiam alia fabula, mihi non credibilis, hujusmodi. Persicarum mulierum quampiam, ad Cyri mulieres ingressam, quum Cassandanae adstantes vidisset liberos forma et statura praestantes, admiratam illos multis laudibus extulisse. Tum ei Cassandanam, Cyri uxorem, haec dixisse: «Atqui me, quum talium mater sim puerorum, Cyrus tamen aspernatur; illam vero ex

aegypto comparatam in honore habet.» (2) Haec postquam ingemiscens ob Nitetin esset locuta, filiorum natu maximum Cambysen dixisse: «Itaque, mater, quum ego vir evasero, aegypti summa ima ponam, et ima summa.» (3) Hoc Cambysen dixisse decem circiter annos natum, mulieresque admiratione fuisse perculsas: et illum, postquam ad virilem pervenisset aetatem regnumque esset adeptus, dicti memorem, suscepisse in aegyptum expeditionem.

IV. Acciderat vero etiam aliud quidpiam hujusmodi, quod ad expeditionem illam momentum contulit. Erat in numero auxiliarum Amasidis vir genere Halicarnassensis, cui Phanes nomen, homo et consilio praestans et bellica virtute. Phanes hic, nescio qua re infensus Amasidi, navi ex aegypto profugit, cupiens in colloquium venire Cambysis. (2) At illum, ut qui inter auxiliares haud exiguo loco fuisset, et quae ad aegyptum spectabant accuratissime cognita habuisset, persecutus est Amasis, studiose dans operam ut eum caperet. Persecutus est autem misso, qua iter illi direxerat, eunuchorum fidelissimo cum triremi. Et cepit quidem hominem eunuchus in Lycia, sed captum non reduxit in aegyptum: nam astutia eum Phanes circumvenit; inebriatis enim custodibus ad Persas evasit. (3) Ibi tunc Cambysen adiit, exercitum adversus aegyptum ducere parantem, sed de itinere dubitantem quo pacto regionem aqua carentem transmitteret; eique quum alia ad res Amasidis spectantia, tum itineris faciendi rationem exposuit, sic monens, missis legatis rogaret Arabum regem, ut tutum ille transitum sibi praestaret.

V. Patet autem hac una via ingressus in aegyptum. Nam a Phoenice usque ad fines Cadytis urbis, Syrorum terra est, qui Palaestini vocantur: a Cadyti (quae est urbs haud multo minor, ut mihi videtur, Sardibus) emporia ad mare sita, usque ad Ienysum oppidum, sunt ditionis Arabici regis: ab Ienyso rursus Syrorum ditio pertinet ad Serbonidem usque lacum, juxta quem Casius mons ad mare porrigitur: a Serbonide lacu, in quo occultatum Typhonem aiunt, ab illo jam aegyptus est. (2) Jam, qui inter Ienysum oppidum et Casium montem Serbonidemque lacum interjectus tractus est, haud ille exiguus, sed tridui fere itinere in longitudinem patens, is prorsus aquarum est inops.

VI. Quod vero a paucis eorum, qui in aegyptum navigare consuerunt, animadversum est, id ego sum expositurus. In aegyptum ex universa Graecia, et praeterea ex Phoenice, bis quotannis invehuntur figlina dolia vino repleta: verumtamen ne unum quidem, ut sic dicam, vinarium dolium inane ibi possis videre. Ubinam ergo, quaerat quispiam, haec consumuntur? Hoc quoque equidem dicam. (2) Quilibet praefectus populi tenetur sua ex urbe dolia omnia colligere, Memphinque mittere: porro Memphitae, ea aqua repleta in aridum illum Syriae tractum deportare. Ita dolia quotannis in aegyptum invecta, ibique venum exposita, deinde ad priora in (?) Syriam transportantur.

VII. Ita scilicet Persae, simulatque aegypto potiti sunt, introitum illum in hanc regionem adpararunt, et ea qua dixi ratione aquis instruxerunt. At tunc temporis, quum nondum parata esset aqua, Cambyses ab Halicarnassensi hospite edoctus, missis ad Arabem nunciis, tutum transitum ab illo postulavit, et obtinuit fide data et ab illo accepta.

VIII. Colunt autem fidem Arabes, ut qui hominum maxime: dantque eam et accipiunt tali modo. Si qui volunt inter se foedus pactumve inire, vir alius, in medio stans paciscentium, acuto lapide interiorem manum utriusque illorum pope pollicem incidit: tunc sumto ex utriusque veste flocco, inungit sanguine septem lapides in medio positos; dumque id facit, Bacchum invocat et Uraniam. (2) Hoc facto, is qui foedus pepigit, commendat suis amicis hospitem illum, sive civem, si cum cive pepigit: et amici etiam ipsi aequum censent colere fidem. (3) Bacchum autem solum, et Uraniam, deos habent; aiuntque se crines suos eodem modo tondere, quo Bacchus ipse fuerit tonsus: tondentur autem in orbem, circum tempora capillos radentes. Bacchum vero, Orotal nominant; Uraniam, Alilat.

IX. Postquam igitur nunciis, qui a Cambyse venerant, fidem dederat Arabs, haec est machinatus. Utres ex camelorum pellibus, aqua repletos, vivis omnibus camelis imposuit; eisque in tractum aqua carentem actis, exspectavit ibi Cambysen. (2) Haec quidem maxime probabilis fama est: oportet vero etiam minus credibilem, quia et ipsa fertur, memorare. Fluvius est in Arabia magnus, cui Corys nomen, in Rubrum quod vocatur mare se exonerans. (3) Ab hoc igitur fluvio Arabum regem, consutis bubulis aliisque coriis, canalem duxisse aiunt ea longitudine, ut ad aridum illum tractum pertineret, et per hunc canalem derivasse aquam; in eodem autem illo tractu ingentes fodisse cisternas, quae reciperent aquam servarentque. Est autem via ab illo fluvio in hunc aridum tractum duodecim dierum: derivasseque illum, aiunt, aquam per tres canales tria diversa in loca.

X. Sed ad Pelusium quod vocatur ostium Nili castra habebat Psammenitus, Amasidis filius, Cambysen exspectans. Nec enim in vivis amplius fuit Amasis quo tempore aegyptum cum exercitu Cambyses invasit: sed vita functus erat, postquam quattuor et quadraginta annos regnarat, intra quos nullum ei magnum aut grave incommodum acciderat. Mortuus conditusque, sepultus erat in sepulcris quae in templo ipse construenda curaverat. (2) Regnante vero in aegypto Psammenito, maximum sane prodigium accidit aegyptiis: pluerat Thebis aegyptiis, quod numquam nec ante nec post id tempus ad meam usque aetatem accidit, ut ipsi dicunt Thebani. Nam in superioribus aegypti omnino non cadit pluvia: at tunc ipsis Thebis pluit stillatim.

XI. Persae, transmissa regione aquis carente, quum castra castris aegyptiorum opposuissent, ad congrediendum parati; ibi tunc auxiliares regis aegypti, Graeci homines et Cares, indignati quod Phanes externum exercitum in aegyptum duxisset, tale adversus eum facinus machinantur. (2) Filios habebat Phanes in aegypto relictos: his in castra et in conspectum patris perductis, craterem in medio posuere utrorumque castrorum, et productos singulos deinceps pueros super cratere mactarunt: (3) tunc, jugulatis cunctis, vinum et aquam in craterem ingessere, sanguinemque illorum potarunt auxiliares omnes, atque ita ad pugnandum progressi sunt. Acri deinde commisso praelio, postquam de utroque exercitu magna ceciderat multitudo, ad extremum in fugam vertuntur aegyptii.

XII. Miram vero admodum rem equidem hic vidi, monitus ab indigenis. Quum ossa utrorumque, qui in eo praelio ceciderunt, separatim congesta sint (seorsum enim jacebant Persarum ossa, sicuti initio distincta erant; et alibi, ossa aegyptiorum), Persarum crania ita sunt debilia, ut, si

unum minutum calculum in ea volueris conjicere, perfores; aegyptiorum vero ita sunt valida, ut lapide percutiens aegre diffringas. (2) Cujus rei caussam dixerunt esse, mihique facile persuaserunt, quod aegyptii a pueris statim capita radunt, unde ossa in sole fiunt compacta: qua de eadem caussa fit etiam ut non calvescant; nullus enim est populus, apud quem tam raro caput videas calvum, quam apud aegyptios. (3) His igitur haec caussa est, cur valida sint eorum crania: Persis autem cur sint debilia, caussa haec est, quod pueros in umbra educant, et pileos gestant, quos tiaras vocant. (4) Haec igitur talia, qualia dixi, equidem vidi: vidi vero etiam his similia Papremi, in illis qui cum Achaemene, Darii filio, ab Inaro Afro occisi sunt.

XIII. aegyptii ex praelio, ut terga vertere coacti sunt, effusa fuga se proripuere. Qui quum Memphin essent compulsi, ibique conclusi, misit ad eos per adversum flumen Cambyses[TR1] navem Mytilenaeam, in qua erat caduceator genere Persa, qui ad deditionem faciendam hortaretur aegyptios. At illi, ubi navem vident Memphin intrantem, de castelli muro universi effusi decurrunt, navem perdunt, hominesque in frusta discerptos in castellum deportant. (2) Et aegyptii quidem, posthac obsessi oppugnatique, ad extremum in deditionem venerunt; finitimi autem Libyes, aegypti sortem veriti, non tentato armorum periculo sese tradiderunt, tributum solvere spondentes, et dona mittentes. (3) Similiter etiam Cyrenaei et Barcaei fecerunt, eadem timentes atque Libyes. Sed Cambyses Libyum quidem dona benigne accepit: at quae a Cyrenaeis erant missa aspernatus, puto, quod exigua essent (nam quingentas argenti libras miserant Cyrenaei); has igitur, sua manu prehensas, militibus distribuendas projecit.

XIV. Decimo die, ex quo in deditionem venerat castellum quod Memphi est, regem aegyptiorum Psammenitum, qui sex menses regnaverat, Cambyses contumeliae caussa cum aliis aegyptiis residere jussit in suburbio; et animum illius tentaturus, hocce facere instituit. (2) Filiam illius, servili vestitu indutam, hydriamque gestantem, aquatum emisit, simulque cum ea alias virgines, ex principum virorum filiabus delectas, eodem cultu vestitas quo regis filia. (3) Quae ubi ingenti cum clamore et ejulatu praeteribant locum ubi considebant patres, reliqui patres, conspectis filiabus ita misere adfectis, invicem clamorem ejulatumque sustulere; Psammenitus vero, ubi respiciens cognovit, in terram defixit oculos. (4) Postquam praeterierant puellae aquatum missae, secundo loco filium regis cum aliis bis mille ejusdem aetatis aegyptiis praeter regis oculos duci jussit, fune circum cervicem vinctos et ora frenis coercitos. Ducebantur autem hi ita, poenas luituri Mytilenaeis illis, qui Memphi cum navi perierant: hanc enim sententiam pronunciaverant regii judices, ut pro unoquoque viro decem aegyptii ex principum numero invicem perirent. (5) Et ille, etiam hos praetereuntes videns, quum ad mortem duci filium suum intelligeret, reliquis aegyptiis, qui circum illum sedebant, flentibus et lamentantibus, idem fecit quod in filia fecerat. Denique quum et hi praeteriissent, accidit ut homo natu grandior, qui compotor regis olim fuerat, nunc vero bonis omnibus exciderat, nec aliud quidquam, nisi quantum mendicus, habebat, atque adeo stipem a militibus rogabat, praeteriret praeter Psammenitum, Amasidis filium, aegyptiosque qui in suburbio sedebant. (6) Hunc ubi Psammenitus conspexit, ingentem in fletum erupit, et nomine compellans sodalem, caput sibi planxit. Erant autem illi custodes adpositi, qui, quidquid quaque praetereunte pompa faceret, observarent, et renunciarent Cambysi. (7) Miratus igitur Cambyses quae ille fecerat, misso nuncio, interrogavit eum his verbis: «Dominus Cambyses ex te quaerit, Psammenite, quid sit quod conspecta filia tua male adfecta, itemque conspecto filio ad supplicium prodeunte, nec clamorem nec fletum edidisti; medicum vero illum, nihil ad te pertinentem, ut quidem ex aliis cognovit, honore hoc es prosecutus.» (8) Cui ita interroganti haec ille respondit: «O fili Cyri, domestica mala majora erant quam quae fletum

exprimerent: at sodalis hujus calamitas lacrimas meretur, qui ingentibus opibus excidit, et in senectutis limine ad mendicitatem est redactus.» Haec quum ab eodem nuncio ad Cambysen essent relata, commode dicta ei visa esse. (9) Narrant autem aegyptii, etiam Croesum (nam hunc quoque secum in aegyptum Cambyses adduxerat) et Persas, qui aderant, lacrimasse; ipsumque Cambysen misericordia quadam fuisse tactum, protinusque jussisse, ut filius ejus ex horum numero qui perire deberent eximeretur, et ipse e suburbio excitus ad se duceretur.

XV. Jam filium quidem, qui ad eum servandum missi sunt, non amplius superstitem invenerunt, ut qui primo loco fuerat caesus: sed Psammenitum ipsum, e suburbio excitum, ad Cambysen duxerunt; apud quem ille deinde vitam egit, nullam vim passus. (2) Qui si non creditus fuisset res novas moliri, recepturus erat aegyptum, ita ut tamquam praefectus eam esset administraturus. Nam honorare consueverunt Persae regum filios; quibus, licet patres ab illis defecerint, reddunt regnum. (3) Id enim ita institutum eos habere, quum ex aliis multis colligi potest, tum hoc, quod Thannyrae, Inari Afri filio, paternum regnum restitutum est, pariterque Pausiridi, Amyrtaei filio, qui et ipse paternum recepit imperium; quamvis nemo plus mali Persis fecerit, quam Inarus et Amyrtaeus. (4) Nunc Psammenitus, prava molitus, mercedem accepit: nam ad defectionem sollicitasse aegyptius deprehensus est; quod quum esset compertum Cambysi, tauri sanguinem bibere coactus e vestigio mortuus est. Talem igitur ille vitae exitum habuit.

XVI. Cambyses vero Memphi Sain urbem profectus est, ea facturus quae etiam peregit. Nam Amasidis aedes ingressus, protinus e sepulcro proferri cadaver Amasidis jussit: eoque facto, flagellis illud caedi jussit, et capillos evelli, et stimulis pungi, et aliis modis ei insultari. Quae quum multo cum labore fecissent ministri (nam resistebat cadaver, quippe conditum, ac nullo modo diffluebat), comburi illud Cambyses jussit, nefarium jubens facinus. (5) Etenim Persae deum habent ignem: itaque igne comburere mortuos, utrisque nefas est: Persis quidem, eam ipsam ob caussam quam memoravit, dicunt enim nefas esse, cadaver hominis offerre deo. aegyptii vero censent vivam belluam esse ignem, quae devoret quidquid nacta sit, tum pabulo satiata simul cum eo quod devoravit moriatur. (3) Atqui nefas illis est, bestiis tradere cadaver; ob eamque caussam illud condiunt, ne in terra jacens consumatur a vermibus. Itaque, quod utrisque nefas erat, id faciendum praecepit Cambyses. (4) Quamquam, ut quidem aegyptii aiunt, non Amasis fuit cui hoc accidit, sed alius quidam aegyptius, ejusdem cum Amasi staturae, quem ea contumelia adficientes Persae, Amasidi insultare putarunt. (5) Amasin enim aiunt, quum ex oraculo cognosset quid sibi post mortem esset patiendum, quo evaderet imminentem sortem, hominem hunc, qui nunc flagellis caesus est, tunc temporis mortuum, suo in sepulcro prope januam sepelisse,[TR2] mandasse autem filio, ut ipsum in imo sepulcri recessu deponeret. (6) At mihi quidem videtur, mandatum tale, ad suam sepulturam et ad hominem istum pertinens, nullum omnino dedisse Amasin, sed falso haec jactari ab aegyptiis.

XVII. Post haec Cambyses triplicem meditatus est expeditionem; unam adversus Carthaginienses, alteram adversus Ammonios, tertiam adversus Macrobios (id est, Longaevos) aethiopes, ad australe Libyae mare habitantes. (2) Instituta deliberatione placuit ei, adversus Carthaginienses navalem exercitum mittere; adversus Ammonios terrestrium copiarum partem; ad aethiopas vero primum speculatores, qui et Solis mensam, quae in horum aethiopum terra esse dicebatur,

viderent an revera esset, et reliqua quoque praeter hanc explorarent; in speciem autem dona ferrent regi eorum.

XVIII. Illa Solis mensa fertur esse hujusmodi. Pratum est in suburbio, coctis carnibus quadrupedum omnis generis repletum: eas carnes, aiunt, noctu ex instituto ibi deponi ab omnibus qui in dignitate essent civibus, interdiu autem accedere quemque qui vellet, eisque vesci; dicere autem indigenas, ipsam terram illas quaque nocte progignere. Talis igitur esse fertur illa Solis quae vocatur mensa.

XIX. Ut vero speculatores mittere Cambyses constituit, statim ex Elephantine urbe homines arcessivit de Ichthyophagorum genere, qui aethiopiam linguam callerent. (2) Interim vero, dum hi arcesserentur, navalem exercitum adversus Carthaginem jussit navigare. At Phoenices id se facturos negarunt: magnis quippe juramentis sese teneri, et nefas esse facturos, si contra suam sobolem militarent. (3) Nolentibus autem Phoenicibus, reliqui pares non erant viribus: atque ita Carthaginienses servitutem, quae illis a Persis imminebat, effugerunt. Etenim vim adferre Phoenicibus aequum non censuit Cambyses, ut qui se ultro Persis tradidissent, et e quibus penderent universae ipsius copiae navales. Praeter Phoenices, Cyprii quoque Persis sese tradiderant, et expeditionis in aegyptum susceptae erant socii.

XX. Postquam ad Cambysen ex Elephantine advenerunt Ichthyophagi, misit eos ad aethiopas, edoctos quid dicerent, et dona ferentes, purpureum amiculum, et aureum torquem armillasque, et unguenti alabastrum, et palmei vini cadum. (2) Dicuntur autem aethiopes hi, ad quos misit Cambyses, et statura maximi et pulcerrimi esse hominum omnium; et quum aliis institutis uti diversis ab ceterorum hominum institutis, tum hoc ad regiam dignitatem spectante: quemcumque civium statura maximum judicant et corporis viribus pro ratione praestantem, hunc regem esse aequum censent.

XXI. Ad hos igitur homines ubi advenerunt Ichthyophagi, dona porrigentes regi eorum, haec verba fecerunt: «Rex Persarum Cambyses, cupiens amicitiam tecum hospitiumque jungere, misit nos, jubens ut in colloquium tuum veniremus; et dona tibi dat haec, quarum rerum usu et ipse maxime delectatur.» (2) Quibus aethiops, intelligens venire eos ut speculatores, in hunc modum respondit: «Neque Persarum rex eo vos misit dona ferentes, quod multum ei intersit ut mecum hospitium jungat; nec vos vera dicitis (venistis enim ut regni mei speculatores); nec ille vir justus est: nam si justus esset, non concupivisset aliam terram praeter suam, nec in servitutem redegisset homines, qui nulla illum injuria adfecerant. (3) Nunc illi arcum hunc tradite, haec verba dicentes: Rex aethiopum suadet regi Persarum, ut quando ita facile arcus tendere hujus molis Persae potuerint, tunc adversus Macrobios aethiopas copiis multitudine nos superantibus moveat bellum: usque eo autem diis habeat gratiam, quod aethiopum filiis non induxerint in animum, ut praeter suam terram adquirere cupiant aliam.»

XXII. His dictis laxavit arcum, et his qui venerant tradidit. Tunc sumto purpureo amiculo quaesivit, quid esset, et quonam modo factum. Cui quum Ichthyophagi vera dixissent de purpura et de

illius tinctura, dolosos esse hos homines, inquit, et dolosa illorum amicula. (2) Deinde de aureo torque collari et de armillis quaesivit; quumque de hoc ornatu exposuissent Ichthyophagi, ridens rex, quum compedes esse putasset, ait, apud ipsos validiores hisce compedes esse. Tertio, de unguento interrogavit; et, quum illi de confectione unguenti ac de ungendi ratione disseruissent, idem illis, quod de amiculo, respondit. (3) Ubi ad vinum venit, et de hujus confectione ex illis quaesivit, valde delectatus potu, deinde interrogavit, quonam cibo utatur rex, et quodnam sit homini Persae longissimum vitae spatium. (4) Et illi pane vesci aiebant, naturamque tritici exponebant: octoginta vero annos terminum dicebant esse longissimum vitae hominis propositum. (5) Tum aethiops respondit Ichthyophagis: nihil proinde mirum esse, quum stercus comedant, tam exiguum eos vivere annorum numerum; qui ne tot quidem annos vivere possent, nisi hocce potu sese recrearent: nempe vinum dicens: hoc enim uno a Persis se superari.

XXIII. Vicissim interrogantibus regem Ichthyophagis de vitae spatio et de alimentorum genere; ad centum et viginti annos, ait pervenire ipsorum plerosque, nonnullos vero etiam hunc terminum transcendere; cibum vero esse carnes coctas; potum, lac. Quumque mirarentur speculatores quod de annorum numero dixisset, ad fontem ab illo ductos se esse referebant, e quo loti nitidiores facti essent, quasi olei fons esset; odorem autem tamquam violarum spirare illum fontem. (2) Ita levem autem, dicebant speculatores, esse fontis hujus aquam, ut nihil supernatare possit, neque lignum, neque quaecumque ligno sunt leviora; sed in fundum abire omnia. (3) Cujus aquae si revera ea natura est, quae perhibetur, fuerint illi hanc ob caussam longaevi, quod plurimum hac aqua utuntur. A fonte discedentes, ductos se esse narrabant in locum quo vincti homines custodiebantur, ibique cunctos aureis vinctos compedibus vidisse. Est enim apud hos aethiopes aes metallorum omnium rarissimum et pretiosissimum. Inspecto carcere, etiam Solis mensam, quae vocatur, spectaverunt.

XXIV. Post hanc ad extremum spectarunt sepulcra eorum, quae e vitro perhibentur esse parata, hoc modo. Postquam arefecerunt cadaver, sive eadem ratione atque aegyptii, sive quo alio modo, totum gypso oblinunt, et pictura ita exornant, ut speciem quam maxime similem vivo referat; deinde cavam columnam ei circumdant ex vitro (alabastrite lapide?) confectam, quod apud illos magna copia et manu tractabile effoditur. (2) Ita in media columna stans cadaver per eam conspicitur, nec odorem ullum spirans injucundum, nec aliud quidquam incommodi praebens: estque columna circumcirca conspicua, ut ipsum etiam cadaver omni ex parte conspicuum est. (3) Hanc columnam per anni spatium suis in aedibus servant qui cognatione proximi sunt, rerum omnium primitias illi offerentes, aliaque sacra facientes: deinde aedibus elatas columnas circa urbem collocant.

XXV. Speculatores, postquam ista omnia spectarant, reversi sunt. Qui ubi haec renunciarunt, protinus Cambyses, ira incensus, bellum inferre aethiopibus instituit, nullo de procuranda re frumentaria mandato dato, nec secum cogitans in ultima terrarum suscipi hanc expeditionem: (2) sed, ut furiosus, nec mentis compos, simulatque Ichthyophagos audierat, ad bellum faciendum profectus est; Graecos, qui cum eo erant, in aegypto manere jubens, peditatum vero universum secum ducens. Postquam agmine Thebas pervenit, ablegavit de exercitu circa quinquaginta hominum millia, quos jussit in servitutem redigere Ammonios, et oraculum Jovis incendere: ipse, reliquum ducens exercitum, adversus aethiopas perrexit. (3) Sed, priusquam quintam confecisset itineris partem, primum, quicquid cibariorum de frumenti genere

habuerant, eos defecerat; deinde, post frumentum, etiam jumenta quae comedi possent defecere. (4) Quae si Cambyses intelligens mutasset sententiam, exercitumque reduxisset; erat, vel post prius admissum peccatum, vir prudens futurus: nunc, nihil secum reputans, ulterius semper progressus est. (5) At milites quam diu e terrae solo nancisci aliquid poterant, herbas radicesque comedentes vitam sustentarunt: ubi vero in arenosa pervenere, dirum facinus nonnulli eorum instituerunt; sortiti ex se ipsis, decimum quemque comederunt. (6) Qua re cognita Cambyses, veritus mutuam militum comesturam, omissa adversus aethiopas expeditione, retrogressus est; multisque de exercitu amissis, Thebas iterum pervenit. Quumque Thebis Memphin descendisset, Graecos cum navibus domum dimisit. Talis igitur exitus fuit expeditionis adversus aethiopas susceptae.

XXVI. Qui vero ad bellum Ammoniis inferendum erant missi, hos profectos Thebis cum ducibus itineris, compertum est Oasin oppidum pervenisse, quod Samii incolunt, qui de aeschrionia tribu esse dicuntur, absuntque a Thebis septem dierum itinere per arenosa faciendo: nominatur autem ille locus Graeco sermone Beatorum insula. (2) Hunc igitur in locum pervenisse dicitur ille exercitus: inde vero quid his acciderit, nisi quod Ammonii narrant et qui ex his audiverunt, nemo alius quidquam quod dicat habet; neque enim ad Ammonios pervenerunt, neque domum reversi sunt. (3) Narrant autem soli Ammonii haec: ab hac Oasi per arenosa adversus ipsos iter facientibus, quum jam fere in medio inter ipsos et Oasin essent, incidisse illis, dum prandium capiebant, vehementem et immanem ventum Notum, sabuli acervos secum rapientem; quibus illi obruti, tali modo internecione periissent. Ammonii quidem hoc narrant exercitui illi accidisse.

XXVII. Quo tempore vero Memphin Cambyses pervenit, adparuerat aegyptiis Apis, quem Epaphum Graeci vocant. Qui ubi repertus est, continuo aegyptii, vestimentis induti pulcerrimis in lautitiis erant. (2) Quos haec agentes conspicatus Cambyses, prorsus existimans, quod ipse male rem gessisset, eo laetos illos festa haec celebrare, praefectos ad se vocat urbis; ex eisque, ubi in conspectum ipsius venere, quaerit, cur, se prius Memphi versante, nihil tale fecissent aegyptii; at nunc, quum adisset magna exercitus parte amissa? (3) Cui illi respondent, deum sibi adparuisse, qui ex multo temporis intervallo adparere identidem consuesset; et, quando adpareat, tum universos aegyptios laeta festa celebrare. Haec audiens Cambyses, mentiri eos, ait; atque, ut mendaces, ultimo supplicio adfecit.

XXVIII. His occisis, dein sacerdotes in conspectum vocavit. Qui quum eadem dixissent; intellecturum sese, ait, an deus aliquis manu tractabilis advenerit aegyptiis. (2) Quae ubi dixit, adducere ad se Apin jussit sacerdotes: et illi abierunt adducturi. Est vero Apis hic, sive Epaphus, juvencus ex vacca natus quae nullum alium dehinc concipere partum potest: dicuntque aegyptii, fulgorem de coelo in vaccam istam incumbere, ex quo illa Apin conceptum pariat. (3) Habet autem hic juvencus, quem Apin vocant, notas hujusmodi: niger colore est; sed in fronte habet quadratum album; in tergo, figuram aquilae; in cauda, pilos duplices; in lingua, scarabaeum.

XXIX. Apin ubi adduxerunt sacerdotes, Cambyses, haud satis mentis compos homo, stricto gladio, quum ventrem Apidis vellet ferire, femur feriit; ridensque sacerdotes adloquens, «O prava capita!» inquit: «tales ergo sunt dii, sanguine carneque instructi, et ferri ictum sentientes!

Dignus profecto aegyptiis hicce Deus! Caeterum vos non juvabit, ludibrio me habuisse.»[TR3] His dictis, jussit hos quibus id negotii mandatum est, flagellis caedere sacerdotes; reliquorum vero aegyptiorum quemcumque nacti fuissent festum celebrantem, occidere. (3) Ita festi dies finem habuere apud aegyptios, et sacerdotes multati sunt. Apis vero, percussus femur, contabuit in templo jacens: quem, mortuum ex vulnere, sacerdotes clam rege sepeliverunt.

XXX. Cambyses vero, ut aiunt aegyptii, e vestigio propter iniquum illud facinus furore est correptus, quum ne ante id tempus quidem satis compos fuisset mentis. Et primum quidem, post illud, flagitium in fratrem commisit Smerdin, qui eodem patre eademque matre erat natus. Hunc ex aegypto in Persas dimisit per invidiam, quod arcum, quem ab aethiope datum Ichthyophagi attulerant, ille unus ex Persis ad duos saltem fere digitos attraxisset, quum reliquorum Persarum nullus id praestare potuisset. (2) Dein, quum in Persas reversus Smerdis esset, visum Cambyses per somnum vidit hujusmodi: visus illi est nuncius ex Perside veniens nunciare, Smerdin in sella regia sedentem capite coelum tetigisse. (3) Quam ob caussam sibi timens, ne se occiso regnum occupet frater, Prexaspen in Persas mittit, qui vir Persarum ei maxime fidus erat, dato mandato ut illum occidat. Et Prexaspes Susa profectus occidit Smerdin, sive venatum eductum, ut alii aiunt; sive, ut alii, ad Rubrum deductum mare et in eo demersum.

XXXI. Ab hoc facinore initium factum esse flagitiorum a Cambyse narrant. Alterum in sororem patravit, quae illum in aegyptum erat secuta, quamque habuit uxorem, quum tam a patre, quam a matre, soror ejus esset. (2) In matrimonium autem eam tali modo duxerat, quum antea neutiquam moris fuisset apud Persas, sorores in matrimonium ducere. Unius ex sororibus suis captus erat amore: quam quum cuperet matrimonio sibi jungere, nossetque contra morem fore Persarum si id faceret, vocatos ad se regios judices interrogavit, sitne lex aliqua, jubens ut, qui vellet, in matrimonium duceret suam sororem? (3) Sunt autem regii judices probati inter Persas viri; qui eo munere funguntur quoad vivunt, aut usque dum injusti quidpiam in illis reperiatur. Hi Persis jus dicunt, et interpretes sunt patriarum legum, et ad eos omnia referuntur. (4) Ad quaestionem igitur a Cambyse propositam responderunt hi ea quae et vera et tuta essent; dicentes, nullam se legem reperire, quae jubeat ut frater in matrimonium ducat sororem; aliam vero se reperisse legem, quae statuat, licitum esse regi facere quidquid velit. (5) Itaque neque legem, metu Cambysis, abrogarunt; et, ne ipsi, tuentes legem, perirent, aliam legem invenerunt, quae illi, sorores in matrimonium ducere cupienti, patrocinabatur. Igitur tunc Cambyses, quam amabat, duxit uxorem: nec vero multo post, aliam etiam sororem sibi matrimonio junxit. Et hanc natu minorem, quae eum in aegyptum secuta erat, interfecit.

XXXII. De cujus morte duplex, perinde atque de Smerdi, fama fertur. Graeci quippe narrant, commisisse Cambysen, spectante uxore illa, catulum leonis cum canis catulo; qui quum a leonis catulo vinceretur, alium catulum caninum, qui fuisset hujus frater, rupta catena, illi opem tulisse; atque ita canes, quum duo essent, leonem superasse. Haec spectantem Cambysen delectatum esse; illam vero, adsidentem, fudisse lacrimas. (2) Id animadvertentem Cambysen quaesisse ex ea, cur fleret; et illam respondisse, flere se, quod catulum videns opem ferentem fratri, meminisset Smerdis, cogitassetque neminem esse qui illi esset opem laturus. (3) Hoc igitur ob dictum interfectam illam a Cambyse esse aiunt Graeci. aegyptii vero narrant, quum mensae ambo adsiderent, mulierem sumta lactuca folia circumcirca decerpsisse, tum ex marito quaesisse, sitne integra lactuca; an cui folia decerpta sint, pulcrior? Quumque is, integram,

dixisset; reposuisse illam, «Atqui tu hanc imitatus es lactucam, Cyri domum circumcidens.» Et illum, ira incensum, calce pedis ei, praegnans quum esset, insultasse; et illam abortu facto mortuam esse.

XXXIII. Ita in quos saeviit Cambyses, in furorem actus sive propter Apin nimirum, sive alio casu, quales multae calamitates accidere hominibus solent: nam etiam a pueris gravi morbo dicitur Cambyses adfectus fuisse, quem sacrum morbum nonnulli vocant. Itaque non erat dissentaneum, ut, corpus quum gravi morbo laboraret, ne mens quidem sana esset.

XXXIV. In reliquos vero Persas haec alia furoris edidit exempla. Prexaspen, quem maximo in honore habebat, qui nunciorum ad regem perferendorum munere fungebatur, cujus etiam filius pincerna regis erat, qui et ipse haud exiguus honor est; illum igitur sic adlocutus fertur: «Dic mihi, Prexaspes; qualem me virum esse existimant Persae? et quos de me habent sermones?» (2) Tum illum respondisse: «Domine, caetera omnia, magnifice laudaris: sed vino aiunt te nimium indulgere.» Quae quum ille de Persis dixisset, ira incensum regem haec reposuisse: «Ergo nunc me Persae dicunt vino deditum desipere, nec mentis esse compotem! igitur priores illorum sermones mendaces fuerunt.» (3) Superiore quippe tempore, quum adsiderent ei Persae atque etiam Croesus, quaesierat ex his Cambyses, qualis vir ipse videretur esse, cum patre Cyro collatus! et illi responderant, esse patre superiorem: quippe non modo possidere quaecumque Cyrus obtinuisset, sed et insuper aegyptum et mare tenere. (4) Haec Persae dixerant; Croesus vero quum adesset, nec ei placeret ista comparatio, his verbis Cambysen erat adlocutus: «Mihi quidem, o Cyro nate, non videris similis esse patri, quum filium nondum habeas qualem te ille reliquit.» Quibus auditis delectatus Cambyses erat, Croesique laudaverat judicium.

XXXV. Horum igitur tunc recordatum illum, iratum dixisse Prexaspi: «Tu nunc cognosce ipse, verumne dicant Persae, an istud dicentes desipiant ipsi: quodsi enim filii tui in atrio stantis, conjecta sagitta, medium feriero cor, constabit nugas dicere Persas; sin aberravero, dic vera loqui Persas, meque haud sana esse mente.» (2) His dictis, tetendisse arcum; sagittaque feriisse puerum: qui ut cecidit, secari corpus jussit, inspicique vulnus; et quum in cor intrasse sagittam esset repertum, ridens et supra modum gavisus, patri pueri hoc dixit: «Manifestum jam cognovisti, Prexaspes, non me insanire, sed desipere Persas. Nunc vero dic mihi, quemnam tu nosti hominum omnium, qui ita ad destinatum adigat sagittam?» (3) Prexaspes, furere hominem videns, sibique timens ipsi, respondit: «Domine, equidem ne deum quidem ipsum ita dextre ferire existimo.» Tum igitur hoc fecit Cambyses: alibi vero deinde, Persarum primoribus pares duodecim, nulla idonea caussa damnatos, vivos inverso capite terra jussit defodi.

XXXVI. Quae quum ille patraret, aequum censuit Croesus Lydus hisce illum verbis monere: «O rex, ne omnia juventuti iraeque indulgeas! sed contine atque cohibe te ipse. Bona res est providentia: et sapientis est, rectum consilium in tempore capere. (2) At tu viros occidis, cives tuos, nulla idonea caussa damnatos; idemque pueros occidis. Quodsi plura talia admiseris, vide ne a te deficiant Persae. Mihi vero pater tuus Cyrus injunxit, saepe multumque hortatus, ut te monerem, tibique consilium darem, quodcunque ex tuo commodo esse reperissem.» (3) Hoc ille, benevolentiam significans, consilium Cambysi dedit; cui his verbis rex respondit: «tu etiam mihi

consilia dare audes! qui tam praeclare tuam administrasti patriam, praeclareque patri meo consuluisti, suadens illi, ut trajecto Araxe adversus Massagetas duceret, quum illi in nostram terram vellent trajicere. Igitur et te ipsum perdidisti, patriae rebus male administratis; et Cyrum perdidisti, qui tuum secutus est consilium. Sed male tibi hoc cesserit; jam pridem enim occasionem aliquam adversus te nancisci cupiebam.» (4) His dictis, arcum prehendit, sagittam in illum emissurus. At Croesus conversus foras se proripuit et Cambyses, quum ferire illum non potuisset, famulis imperavit ut prehensum occiderent. (5) At famuli, qui ingenium illius nossent, occultant Croesum, haec secum reputantes, si dati mandati poeniteret Cambysen, et desiderium Croesi eum caperet, se producto illo praemia servati illius accepturos; sin in sententia rex persisteret, neque illum desideraret, tunc illum esse interfecturos. (6) Neque multo post (sicut illi fere existimaverant) desideravit Cambyses Croesum; quo cognito famuli, superesse illum, regi nunciarunt. (7) Tum vero, gaudere se quidem, ait Cambyses, quod Croesus supersit; at illos, qui eum servassent, non impune laturos, sed capite luituros. Quod et faciendum mandavit.

XXXVII. Talia igitur Cambyses multa, dum Memphi morabatur, et adversus Persas et adversus socios, furiosa patravit; praeterea vetusta sepulcra aperuit, et cadavera inspexit; atque etiam templum Vulcani ingressus, simulacrum dei multis modis ludibrio habuit. Vulcani illud simulacrum simillimum est Phoeniciis Pataecis, quos Phoenices in proris triremium circumferunt. Quos qui non vidit, ei ego significabo: est imitatio viri pygmaei. (2) Ingressus vero etiam est Cabirorum templum, quod neminem fas est ingredi, nisi sacerdotem: atque horum simulacra igne etiam cremavit, multis ludificatus. Sunt autem haec quoque similia Vulcani, cujus filios aiunt esse Cabiros.

XXXVIII. Quibus ex omnibus fit mihi manifestum, furore magnopere actum fuisse Cambysen: alioqui templis sacrisque populi ritibus non erat illusurus. Nam si quis hominibus omnibus optionem proponeret sibi eligendi ex omnibus institutis ea quae optima viderentur, quilibet eorum, re deliberata, domestica esset praelaturus: adeo quisque populus suas leges longe esse optimas judicat. (2) Itaque verisimile non est, alium hominem, nisi furiosum, talia ludibrio habere. Statuere autem ita de suis legibus et institutis homines omnes, quum aliis multis intelligi documentis potest, tum hocce. (3) Darius, postquam imperio est potitus, convocatus Graecos qui ei aderant, interrogavit, quanam pecuniae proposita summa vellent mortuos parentes comedere. Et illi, nulla conditione se id facturos, responderunt. (4) Idem deinde ex Indis hos qui Calatiae nominantur, qui parentes comedunt, ad se vocatos, praesentibus Graecis, et per interpretes quid ageretur intelligentibus, interrogavit, qua mercede in se reciperent, igne cremare mortuos parentes. Et illi, alta voce exclamantes, meliora eum ominari jusserunt. (5) Ita igitur haec constituta sunt; recteque mihi Pindarus videtur cecinisse, Morem majorum dicens regem esse omnium.

XXXIX. Quo tempore Cambyses aegyptum bello adgressus est, per idem tempus Lacedaemonii adversus Samum, et Polycratem, aeacis filium, expeditionem susceperunt. Is quum insurrectione facta Samum occupasset, primum trifariam distributam civitatem simul cum fratribus, Pantagnoto et Sylosonte, administraverat: dein, altero occiso, et natu minore Sylosonte insula ejecto, universam Samum imperio tenebat. Quo in imperio cum Amasi, aegypti rege, hospitium contraxit, dona ei mittens, et vicissim ab illo accipiens. (2) Brevique tempore ita auctae res erant Polycratis, ut per universam Ioniam reliquamque Graeciam celebrarentur. Etenim quocumque

cum exercitu proficisceretur, omnia ei feliciter cedebant. Habebat autem centum actuarias naves quinquaginta remorum, et mille sagittarios (satellites). (3) Cunctos circumcirca, nullo discrimine facto, invadens, agebat ferebatque omnia. Nam amico, aiebat, magis se gratificaturum, si ea, quae eripuisset, eidem restitueret, quam si initio nihil eripuisset. Multas igitur insulas ceperat, multa item continentis oppida: in his Lesbios, quum omnibus viribus Milesiis auxilio essent profecti, navali pugna superatos cepit; qui deinde universam fossam, murum Sami ambientem, vincti foderunt.

XL. Amasin non latebat, ingenti felicitate uti Polycratem; sed ea res illi curae erat. Quum vero etiam multo magis augeretur prospera illius fortuna, misso libello haec ad eum perscripsit: (2) «Amasis Polycrati haec dicit. Jucundum utique est intelligere, virum amicum et hospitem bene agere. At mihi non placent tuae res nimium secundae, ut qui norim, invidum esse numen: ac fere cupio, ut et ego et hi qui mihi curae sunt, partim quidem prospero utamur rerum successu, partim vero etiam nonnihil offendamus; atque ita potius vitam transigamus, variante fortuna, quam usquequaque simus felices. (3) Neminem enim novi aut fando audivi, quin, postquam usquequaque prospera usus est fortuna, postremo pessimum funditus finem habuerit. Tu ergo, meum secutus consilium, adversus illam tuam nimiam felicitatem fac hocce: cogita quid sit quod habeas quod maximi tibi sit pretii, et quo amisso summa animi aegritudine adfectum te iri existimes; atque ita illud abjice, ut inter homines non amplius compareat. (4) Quodsi posthac tibi res secundae jam non per vices, cum ipsis infortuniis eventurae sunt, fac ut rebus tuis hac ratione, quam tibi proposui, medearis.»

XLI. His perlectis Polycrates, intelligens bene se monere Amasin, quaesivit quidnam esset ex suis cimeliis, cujus jactura maximam animo suo aegritudinem, esset adlatura; et, rerum suarum inita ratione, hoc reperit: erat ei annulus signatorius, quem gestabat, auro vinctus, e smaragdo lapide, Theodori opus Samii, Teleclis filii. (2) Hunc annulum abjicere secum constituens, fecit haecce: actuariam navem quinquaginta remorum hominibus complevit; quam postquam et ipse conscendit, jussit illos in altum enavigare: quumque procul ab insula abessent, detractum de manu annulum, conspicientibus cunctis qui in navi erant, in mare projecit. Hoc facto, retro navigavit: et postquam domum rediit, in moerore versatus est.

XLII. At quinto aut sexto exinde die res ei accidit hujusmodi. Homo piscatoriam exercens, quum ingentem pulcrumque cepisset piscem, Polycrati eum voluit dono dare: itaque ad fores regis illum ferens, ait velle se Polycrati in conspectum venire. Quod ubi illi contigit, offerens piscem dixit: «Hunc, rex, postquam ego cepi, non judicavi in forum rerum venalium esse ferendum, quamvis simo homo manu mea victum quaerens; sed visus est mihi te tuoque imperio dignus: tibi igitur illum adfero donoque.» (2) His verbis delectatus Polycrates, in hunc modum homini respondit: «Recte utique fecisti, ac duplicem tibi habeo gratiam, et orationis tuae, et doni caussa: teque ad coenam vocamus.» Piscator, magni haec faciens, domum abiit: famuli vero, dum piscem dissecant, reperiunt in ejus ventre annulum Polycratis. (3) Quem ut viderunt, protinus correptum, gaudio perfusi, ad Polycratem deferunt, dant nunciantque quo pacto repertus sit annulus. Tum Polycrates, quum subiret mentem ejus cogitatio rem esse divinam, conscripsit in libello omnia, quae et ipse fecisset, et quae sibi inde accidissent: libellumque illum in aegyptum dedit perferendum.

XLIII. Amasis, lecto libello quem ad illum Polycrates miserat, intellexit, fieri non posse ut homo hominem e casu futuro eripiat, et male vitam finiturum esse Polycratem, cui feliciter omnia cedant, quique etiam, quae abjecit, rursus inveniat. (2) Itaque misso Samum praecone, dissolvere se dixit hospitium. Id autem ea caussa fecit, ne, si ingens et gravis calamitas Polycrati accidisset, ipse moerore adficeretur hospitis caussa.

XLIV. Adversus hunc igitur Polycratem, rebus omnibus felicem, bellum moverunt Lacedaemonii, auxilio vocati a Samiis illis, qui deinde Cydoniam in Creta insula coloniam condiderunt. (2) Scilicet, quo tempore Cambyses, Cyri filius, copias adversus aegyptum comparavit, miserat Polycrates ad Cambysen, rogans ut etiam ad se Samum mitteret, a seque copias peteret. (3) Quo audito, libenter Cambyses Samum miserat, petens a Polycrate ut navales copias secum mitteret adversus aegyptum. Et ille e civibus selectos hos, quos novandarum domi rerum maxime suspectos habebat, miserat cum quadraginta triremibus; mandans Cambysi, ne hos remitteret.

XLV. Jam dicunt alii, Samios hos a Polycrate missos, in aegyptum non pervenisse; sed quum ad Carpathum navibus venissent, re deliberata statuisse non ulterius navigare: alii aiunt, venisse eos in aegyptum, ibique fuisse observatos, sed fuga inde evasisse. (2) Qui ubi Samum renavigarunt, Polycrates cum navibus obviam profectus, praelium cum eis commisit: qua ex pugna quum superiores discessissent hi reduces, in insulam exscenderunt; at tunc, pedestri commisso praelio, victi fugatique sunt, atque ita Lacedaemonem navigarunt. (3) Ac sunt quidem qui dicant, hos ex aegypto redeuntes devicisse Polycratem: quod, mea quidem sententia, falsum est. Nihil enim opus fuisset Lacedaemonios auxilio vocare, si satis virium ipsi habuissent, quibus Polycratem ad deditionem compellerent. (4) Ad haec minime est consentaneum rationi, ut, cui et auxiliarium mercenariorum et propriorum satellitum magna multitudo praesto erat, hic a redeuntibus Samiis, paucis numero, esset devictus. (5) Praeterea civium sibi subjectorum uxores et liberos, navalibus inclusos, in promptu habuerat Polycrates, si illi cum redeuntibus de proditione egissent, simul cum navalibus igne crematurus.

XLVI. Samii, a Polycrate ejecti, ut Spartam venerunt, deducti ad magistratus, multa fecerunt verba, ut qui sollicite admodum orarent. At illi, primo hoc eis dato concilio, responderunt: quae prima dixissent, ea se esse oblitos; quae deinde, ea non intelligere. (2) Post haec, iterum admissi, saccum ferentes, nihil aliud dixerunt, nisi haec verba, Saccus farina indiget. Quibus Spartani responderunt, vocabulo Saccus supersedere eos potuisse: opem vero ferre decreverunt.

XLVII. Deinde Lacedaemonii, rebus omnibus paratis, exercitum Samum miserunt: idque, ut quidem Samii dicunt, fecerunt remuneraturi beneficium, quandoquidem ipsis superiore tempore Samii navibus opem tulissent adversus Messenios: ut vero Lacedaemonii aiunt, non tam Samiis precantibus opem laturi expeditionem hanc susceperunt, quam punire illos cupientes, quod craterem rapuissent, ad Croesum a se missum, itemque thoracem, quem Lacedaemoniis dono miserat Amasis, rex aegypti. (2) Nam et thoracem illum, superiore anno quam craterem, Samii rapuerant. Lineus is thorax erat, multis intextis figuris ornatus ex auro et lana xylina (sive gossypio): quod vero miratu dignum est, filum thoracis quodlibet, quum tenue

ipsum sit, in se continet fila trecenta et sexaginta, conspicua cuncta. Alius huic simillimus est, quem Lindi idem Amasis Minervae dedicavit.

XLVIII. Operam autem suam ad hanc contra Samum expeditionem, ut susciperetur, studiose etiam contulerunt Corinthii. Etenim adversus hos quoque contumeliam admiserant Samii proxima ante hanc expeditionem aetate, per idem tempus quo crater raptus est. (2) Periander, Cypseli filius, trecentos pueros principum ex Corcyraeis virorum Sardes at Alyatten miserat castrandos. Quos pueros qui ducebant Corinthii quum ad Samum adpulissent, cognita caussa Samii cur Sardes illi ducerentur, primum monuerunt pueros, ut templum tangerent Dianae: deinde, quum a templo abstrahi supplices hos non paterentur, Corinthii autem eisdem alimenta negarent, festos dies instituerunt Samii, quos etiam nunc eodem modo celebrant: (3) ingruente nocte, quam diu aderant supplices pueri, choros agebant virginum juvenumque, constituta lege, ut, illis qui choris interessent, bellaria secum ferrent ex sesamo et melle confecta, ut ea pueri Corcyraeis rapta comederent. (4) Idque tam diu ita fecerunt, donec custodes puerorum Corinthii, illis relictis, abierunt: tunc vero pueros Corcyram Samii reduxerunt.

XLIX. Jam, si mortuo Periandro amicitiam Corinthii cum Corcyraeis coluissent, non illi hanc ob causam socii erant futuri expeditionis contra Samum susceptae. Nunc, ex quo coloniam in insulam illam deduxerant, perpetuo mutuae inter utrosque durant dissensiones. (2) Itaque illam ob caussam Samiis Corinthii succensebant. Miserat autem Sardes Periander castrandos pueros ex principum Corcyraeorum familiis lectos, poenam ab illis sumpturus: nam priores Corcyraei nefarium facinus in ipsum admiserant.

L. Scilicet postquam uxorem suam Melissam Periander occidit, ad priorem hanc calamitatem alia ei supervenit hujusmodi. Erant ei ex Melissa duo filii, alter septemdecim annos natus, alter octodecim. (2) Hos avus maternus Procles, Epidauri tyrannus, ad se vocatus, benigne excepit, uti par erat ex ipsius filia natos. Quos ubi a se dimisit; dum illos deducit, ait: «Nostis ne, filii, quis matrem vestram occiderit?» (3)[TR4] Hujus verbi frater natur major nullam habuit rationem: minor vero, cuinomen erat Lycophron, hoc audito, tanto est moerore adfectus, ut, quum Corinthum rediisset, patrem, ut qui matrem suam occidisset, nec salutaret, nec compellantem vicissim adloqueretur, nec interroganti responderet quidquam. Ad extremum, ira incensus Periander domo eum ejecit.

LI. Hoc ejecto, quaesivit ex majore natu, quid cum ipsis avus disseruisset. Et ille exposuit, quam benigne ipsos excepisset; verbi autem illius, quod Procles eis, quum dimitteret, dixerat, nullam fecit mentionem, ut qui illud in animum non admodum admisisset. (2) At pater, fieri prorsus non posse, ait, quin aliquid ipsis avus suggesserit; et percontari instititit. Tum recordatus juvenis, id quoque dixit. (3) Quod quum advertisset Periandri animum, nulla porro indulgentia uti decrevit; et ubicumque vitam agebat puer a se ejectus, ad eos misit nuncium, qui ipsius verbis illis diceret, ne aedibus puerum reciperent. (4) Itaque inde ejectus quoties in aliam se domum recepisset, ex hac pariter expellebatur, quum recipientibus Periander minaretur imperaretque ut domo illum prohiberent. Pulsus igitur ex alia, ad aliam sodalium domum confugiebat: hique eum, ut qui Periandri filius esset, quamvis timentes, tamen receperunt.

LII. Ad extremum publico praeconio Periander edixit, quisquis eum domo recepisset, aut sermones cum eo miscuisset, eum sacram mulctam (quam eodem edicto definiebat) Apollini debiturum. Ex hoc igitur edicto nemo amplius vel colloqui cum eo vel in domum recipere voluit: atque etiam ipse ne tentare quidem dignatus est rem vetitam; sed manens in proposito, volutabatur in porticibus. (2) Quarto dein die conspicatus illum Periander illuvie et inedia male adfectum, miseratus est puerum, et propius accedens, remissa ira, his verbis est adlocutus: «Utrum, o fili, optabilius est tibi, hic status quo nunc es, an ut regnum et reliqua bona, quibus ego fruor, accipias, ea conditione ut te patris animo adcommodes? (3) Quum sis filius meus et opulentae Corinthi rex, vitam elegisti errabundi mendici, obsistens et irascens ei cui minime fas erat. Quodsi in domo nostra accidit calamitas, ex qua suspicionem adversus me concepisti; mihi illa accidit, et in me cadit maxima ejus pars, quandoquidem ipse illam interfeci. (4) Tu vero, cogitans quanto praestet invidiam movere quam misericordiam, simulque quale sit succensere parentibus et superioribus, domum abi.» His verbis eum inhibere conanti patri nihil alius puer respondit, nisi debere illum sacram mulctam deo, ut qui ipsum sit adlocutus. (5) Tum intelligens Periander, insanabile et invictum esse pueri malum, instructa navi e conspectu suo illum Corcyram misit, quae et ipsa imperio ejus erat subjecta. (6) Dimisso vero puero, Proclem socerum bello petiit, ut qui praecipuus praesentium rerum auctor fuisset: cepitque Epidaurum, et ipsum Proclem, eumque vivum in custodia tenuit.

LIII. Procedente tempore, postquam consenuit Periander, animadvertitque non posse se amplius res publicas inspicere et administrare, Corcyram misit, et Lycophronem ad suscipiendum regnum vocavit; nam majori natu filiorum videbat non inesse ejus rei facultatem, sed manifesto hebetius in eo ingenium agnoscebat.(2) At Lycophron hominem, qui ei hunc nuncium adferebat, ne responsione quidem ulla dignatus est. Tum Periander, magna cura juvenem amplectens, iterum ad eum misit sororem, filiam suam, ratus huic illum maxime obsecuturum. (3) Quae quum advenisset, dixissetque: «Visne, juvenis, aliorum in manus venire regnum, et dissolvi domum patris tui potuis, quam ut ipse abeas, atque haec teneas? Abi domum, et desine te ipsum punire. (4) Sinistra res est obstinatio: ne malum malo sanare coneris. Multi praeponunt justioribus aequiora lenioraque: multi jam item, materna quaerentes, paterna perdiderunt. (5) Lubrica res regnum est; multos tamen habet amatores, et ille jam senex est et vigorem aetatis praetergressus: ne tua bona tradas aliis.» (6) Sic illa, a patre edocta, verbis ad persuadendum maxime ideoneis fratrem est adlocuta. At ille, nequaquam, ait, Corinthum se esse venturum, quam diu patrem superesse cognovisset. (7) Quae postquam illa renunciavit, tertio Periander praeconem misit, qui diceret, ipsum in Corcyram venturum, illum autem Corinthum abire juberet ad regnum capessendum. (8) Quam in conditionem quum consensisset adolescens, Periander parabat Corcyram navibus proficisci, et filius Corinthum. At Corcyraei, his rebus omnibus cognitis, ne in terram ipsorum Periander veniret, interfecerunt juvenem. Hanc igitur ob causam de Corcyraeis ultionem Periander ceperat.

LIV. Jam Lacedaemonii, magna cum classe Samum profecti, urbem oppugnarunt. Et murum adgressi, turrim in suburbio mari imminentem jam transcenderant, quum, succurrente ipso Polycrate magna cum manu, repulsi sunt. (2) Simul vero a superiore turri, quae in dorso montis erat, egressi sunt auxiliares, et ipsorum Samiorum ingens numerus: qui postquam per exiguum

tempus sustinuissent Lacedaemonios, fuga se recipiunt; et illi insecuti, magnam caedem fecerunt.

LV. Quodsi, qui tunc adfuerunt Lacedaemonii, cuncti similes eo die fuissent Archiae et Lycopae, capta fuisset Samus. Archias enim et Lycopas, quum soli cum fugientibus Samiis intra moenia irrupissent, intercluso reditu, in urbe a Samiis interfecti sunt. (2) Equidem cum tertio ab hoc Archia, cui et ipsi Archiae nomen erat, Samii filio, Archiae nepoti, congressus sum Pitanae, quo de populo erat: qui omnium hospitum maxime Samios colebat, mihique dixit, patri suo nomen Samii hac caussa fuisse impositum, quod illius pater Archias Sami fortissime pugnans occubuisset: colere se autem Samios, aiebat, quoniam avus ipsius publice a Samiis fuisset sepultus.

LVI. Sed Lacedaemonii, quum per quadraginta dies oppugnassent Samum, neque quidquam profecissent, in Peloponnesum sunt reversi. (2) Fertur autem fama, temere quidem sparsa, quae ait, Polycratem magnum numerum patriae monetae ex plumbo cusae, sed deauratae, illis dedisse; quo accepto eos discessisse. Haec prima est expeditio, quam in Asiam Lacedaemonii, Doricae stirpis populus, susceperunt.

LVII. Hi autem ex Samiis qui Polycratem bello erant adgressi, quum in eo essent Lacedaemonii ut illos desererent, ipsi quoque abierunt et Siphnum navigarunt. Pecunia enim indigebant: et florentes per id tempus erant res Siphniorum, ut qui prae caeteris insulanis divitiis maxime valebant; quippe in eorum insula metalla erant auri argentique, ita quidem ut ex decima pecuniae illius, quae ibi conficitur, thesaurus Delphis sit dedicatus, qui nihil cedit opulentissimis: ipsi vero, quae quotannis ex metallis redibant, ea inter se distribuebant. (2) Iidem, quo tempore thesaurum illum struendum curarunt, quaesiverunt ex oraculo, an praesentia bona per longum temporis spatium ipsis sint duratura. Quibus Pythia haec respondit:

At quando in Siphno fuerint prytaneia cana,

cana fori facies; tunc vir vafer adsit oportet,

e ligno insidias caveatque rubrum praeconem.

Erat autem tunc [quum advenere Samii] et forum et prytaneum Siphniorum Pario lapide excultum.

LVIII. Hoc oraculum Siphnii, nec tunc statim quum datum est, quo pertineret intellexerant, nec deinde, quum Samii advenerunt. Nam simul atque ad Siphnum Samii adpulerunt, navium unam in urbem cum legatis miserunt. (2) Erant autem olim naves omnes minio tinctae: idque fuit quod

Siphniis Pythia edixerat, quum cavere illos jussisset ligneas insidias et rubrum praeconem. (3) Advenientes igitur Samiorum legati postularunt a Saphniis, ut decem talenta ipsis mutuo darent. Quod quum se facturos Siphnii negassent, agros eorum depopulati sunt Samii. (4) Ea re cognita, protinus Siphnii egressi sunt, rebus suis opem laturi: sed commisso praelio inferiores discesserunt, multique eorum urbe a Samiis sunt interclusi: quo facto, centum talenta ab illis Samii exegerunt.

LIX. Ab Hermionensibus vero, data pecunia, Hydream acceperunt insulam, Peloponneso obversam, eamque Troezeniis in depositum dederunt; ipsi vero Cydoniam in Creta condiderunt coloniam, quum non hoc consilio navigassent, sed Zacynthios insula ejecturi. (2) Mansere autem ibi et opibus florere per quinquennium; ita quidem, ut, quae nunc templa sunt Cydoniae, ab his extructa sint, atque etiam Dictynnes fanum. (3) Sexto autem anno aeginetae eosdem, Cretensibus juncti, praelio navali superatos, in servitutem redigerunt, resectasque navium proras, quibus apri pro insignibus erant, aeginae in Minervae templo dedicarunt. (4) Id fecerunt aeginetae, quia infensi Samiis erant: hi enim priores, regnante Sami Amphicrate, bello aeginae illato multis malis aeginetas adfecerant, sed et ipsi multa erant passi.

LX. Caussa quidem illius odii haec est: verum ego longiorem de Samiis sermonem feci, quoniam ab his tria maxima opera, prae reliquis omnibus Graecis, effecta sunt. Primum, in monte ad centum et quinquaginta orgyias edito, in hoc fossa ab imo monte incipiens, et per totum ita acta, ut in oppositum montis latus pateat alterum fossae orificium. (2) Longitudo fossae septem stadiorum est: altitudo ac latitudo, octo pedum utraque. Per totam autem illius longitudinem excavata est alia fossa, viginti ulnas alta, tres pedes lata, per quam aqua, ex ingenti fonte derivata, per tubos in urbem deducitur. Architectus hujus fossae Eupalinus fuit Megarensis, Naustrophi filius. (3) Hoc unum ex tribus illis. Alterum est opus, agger in mari ductus circa portum, in altitudinem viginti orgyiarum; longitudo autem aggeris, major duobus stadiis. (4) Tertio, templum habent exstructum maximum omnium, quae nos novimus, templorum: cujus primus architectus fuit Rhoecus, Philae filius, Samius. Horum caussa sermonem de Samiis paulo longiorem instituimus.

LXI. Jam adversus Cambysen, diutius in aegypto morantem insanientemque, insurrexerunt duo fratres Magi, quorum alterum Cambyses procuratorem domus suae reliquerat. (2) Hic igitur adversus illum insurrexit, quum intelligeret, occultari Smerdis caedem, paucosque esse Persarum ad quos notitia illius pervenisset, plerosque vero illum credere superesse: haec ille reputans, regiam occupare hoc modo instituit. (3) Erat ei frater, quem simul cum eo insurrexisse dixi, corporis specie similis admodum Smerdi, Cyri filio, quem Cambyses, quum ipsius frater esset, interfecerat. Erat igitur hic et facie Smerdi similis, et ipsi nomen quoque idem Smerdis erat. (4) Hunc hominem Patizithes Magus, postquam ei persuaserat ut sibi omnia conficeret, regio in solio collocavit. Quo facto, praecones dimisit quum alias in partes, tum et in aegyptum misit qui ediceret exercitui, Smerdi dehinc esse parendum, Cyri filio, non Cambysi.

LXII. Itaque quum caeteri praecones hoc edixerunt, tum qui in aegyptum erat missus, ubi Cambysen cum exercitu Ecbatanis Syriae invenerat, stans in medio proclamavit ea quae a Mago

mandata habebat. (2) Quae ut a praecone edicta Cambyses cognovit, quum vera esse ea et proditum se a Prexaspe existimaret (hunc enim, ad interficiendum Smerdin missum, non exsecutum esse mandatum), respiciens Prexaspen, ait: «Prexaspes, ita igitur mandatum mihi es exsecutus, quod tibi injunxeram!» (3) Tum ille: «Non est hoc verum, domine, ut Smerdis frater tuus adversus te insurrexerit, aut ut ulla tibi a viro illo contentio, sive magna, sive parva existere possit. Nam ego ipse tuum mandatum exsecutus, mea manu eum sepelivi. (4) Itaque, si resurgunt mortui, exspecta ut etiam Astyages Medus adversus te sit insurrecturus: sin erit ut olim, nihil quidquam novarum rerum ab illo tibi nascetur. Quare mihi videtur, insequi nos debere praeconem, et ex eo perquirere interrogando, a quonam missus edixerit, Smerdi regi esse parendum.»

LXIII. Haec a Praxaspe dicta quum placuissent Cambysi, protinus missi sunt qui praeconem insequerentur reducerentque. Qui ut rediit, his verbis eum interrogavit Prexaspes: «Tu, homo, quum dicas a Smerdi Cyri filio te nuncium venire, nunc, si mihi verum dixeris, salvus abito. Ipsumne Smerdin oculis tuis vidisti, qui tibi hoc mandatum dederit; an ab aliquo ex ejus ministris illud accepisti?» (2) Tum ille, «Ego, inquit, Smerdin Cyri filium, ex quo rex Cambyses cum exercitu in aegyptum est profectus, nondum vidi: sed Magus, quem domus suae procuratorem Cambyses constituit, hic mihi mandata haec dedit, dicens Smerdin esse, Cyri filium, qui, ut ea ad vos perferrem, imperasset.» (3) Haec illis homo iste dixit, a veritate nihil discedens. Tum Cambyses: «Tu quidem, Prexaspes, ait, ut vir bonus mandata mea exsecutus, culpam effugisti: at quis tandem ille fuerit Persarum, qui Smerdis nomen invadens, adversus me insurrexit?» (4) Cui ille, «Equidem, rex, mihi videor, inquit, intelligere quid hoc rei sit. Magi sunt qui tibi insurrexerunt, tum is quem tu procuratorem domus tuae reliquisti, Patizithes, tum hujus frater Smerdis.»

LXIV. Ibi tunc, audito Smerdis nomine, veritas quum dictorum tum insomnii animum percutit Cambysis, cui per somnum visum erat nunciare aliquem sibi, Smerdin, regio in solio sedentem, capite coelum tetigisse. (2) Itaque intelligens, frustra se perdidisse fratrem, deploravit Smerdin: et postquam universam suam calamitatem deplorarat lamentatusque erat, in equum insiliit; in animo habens quam celerrime posset, Susa adversus Magum ducere exercitum. (3) At, dum in equum insilit, de vagina gladii fungus (extremae vaginae claustrum) decidit; et nudatus gladius femur feriit. (4) Vulneratus igitur Cambyses eadem parte, qua ipse antea deum aegyptiorum Apin percusserat, quum letale vulnus accepisse sibi videretur, quaesivit quodnam nomen esset oppido. Et illi Ecbatana dixerunt. (5) Erat ei autem superiori tempore oraculi responsum ex Buto urbe adlatum, Ecbatanis illum moriturum: unde sibi persuaserat, Ecbatanis Mediae, ubi ei rerum omnium summa erat, senem sese vita functurum; at nimirum Ecbatana Syriae dixerat oraculum. (6) Itaque, postquam tunc percunctatus oppidi nomen cognovit, consternatus calamitate quae et ex Mago ei imminebat, et ex vulnere, resipuit; intelligensque oraculi responsum, ait: «Hic loci fatale est vitam finire Cambysen, Cyri filium.»

LXV. Neque tunc plura; sed deinde, interjectis fere viginti diebus, convocatis ad se spectatissimis qui aderant Persarum, haec ad eos verba fecit: Eo redactus sum, o Persae, ut rem vobis eam, quam omnium maxime occultavi, debeam aperire. (2) Quum in aegypto essem, vidi nocturnam visionem, quam utinam numquam vidissem! Visum erat mihi, venientem domo nuncium renunciare, Smerdin, regio in solio sedentem, capite coelum tetigisse. (3) Itaque veritus, ne imperium mihi a fratre raperetur, properantiora feci quam prudentiora: nec enim naturae

hominis datum est, avertere id quod sit eventurum: ego vero fatuus Prexaspen Susa mitto, qui Smerdin interficiat. (4) Quo tanto admisso facinore, securus vitam egi, nullo pacto cogitans fore, ut, sublato Smerdi, alius quisquam hominum mihi insurgat. Sed ab ejus quod futurum erat notione prorsus aberrans, praeter jus et fas fratrem occidi, et nihilo minus regno sum privatus. Smerdis enim Magus fuit, quem contra me insurrecturum esse deus insomnii viso mihi significaverat. (5) Patratum igitur a me facinus est; vosque sic existimate, non amplius in vivis esse Smerdin, Cyri filium: sed Magi vobis regiam occuparunt, is quem ego procuratorem domus meae reliqui, et frater eius Smerdis. (6) Jam, quem maxime oportuerat vicem meam, qui haec indigna a Magis patior, ulcisci; is nefaria caede, a proximis suis patrata, vitam finivit. Qui quum amplius non sit, secundo loco, id quod reliquum est, ut vos, Persae, quae nunc, quum vitam finio, mihi a vobis fieri volo, moneam summa me necessitas urget. (7) Nempe hoc vobis, deos regios obtestatus, injungo, quum in universum cunctis, tum maxime his qui ex Achaemenidum stirpe adestis, ne principatum ad Medos iterum redire patiamini; sed, sive illi dolo eum obtinuerunt, dolo eis eripiatis; sin vi quadam illum sibi pararunt, vi et armis recuperetis. (8) Atque, hoc quidem si feceritis, et terra vobis fructum ferat, et uxores et greges uberem edant prolem, et libertate in omne futurum tempus fruamini! Sin non recuperaveritis principatum nec conati fueritis recuperare, contraria horum vobis ut fiant precor, et hoc amplius, ut Persarum unicuique finis vitae, qualis mihi, eveniat.» Simul haec locutus Cambyses universam suam sortem deploravit.

LXVI. Tum Persae, regem videntes edere ploratum, universi quidquid vestium habebant, discerpere, immensumque edere ejulatum coeperunt. (2) Et haud multo post, carie corroso osse, et in putredinem abeunte femore, e vivis ereptus est Cambyses, Cyri filius, postquam annos omnino septem et quinque menses regnaverat, nec ullam prolem, neque masculam, neque femineam, reliquerat. (3) At qui aderant Persae persuadere sibi nullo pacto potuerunt, Magos rerum esse potitos; sed Cambysen existimarunt calumniae caussa haec dixisse quae de morte Smerdis dixerat, quo Persicum omne genus ad bellum adversus illum concitaretur. (4) Hi igitur existimabant, Smerdin Cyri filium regnum occupasse: nam praefracte etiam negabat Pexaspes, a se interfectum esse Smerdin; nec enim tutum ei erat, mortuo Cambyse fateri, Cyri filium ipsius manu periisse.

LXVII. Magus igitur, mortuo Cambyse, secure regnavit, usurpans cognominis Cyri filii nomen Smerdis, per septem menses, qui Cambysi ad complendum octavum annum defuerunt: intra quod tempus cunctos imperio Persarum subjectos ingentibus adfecit beneficiis, ita ut eumdem mortuum desiderarent omnes Asiae populi, ipsis Persis exceptis. Dimissis enim per omnes, quibus imperavit, populos praeconibus Magus edixerat, per triennium immunes fore omnes, quum a milita, tum a tributo. Atque hoc edictum protinus promulgaverat, simulatque insurrectione facta iniit regnum.

LXVIII. At octavo mense, quisnam esset, tali modo compertum est. Fuit Otanes, Pharnaspis filius, genere et opibus par ei qui primus esset inter Persas. Hic Otanes primus suspectum habuit Magum; non esse Smerdin Cyri filium, sed eum qui erat, inde conjiciens, quod numquam ex arce egrederetur, nec ullum ex nobilibus Persis in conspectum suum vocaret. (2) Ea suspicione ductus, hocce instituit facere. Filiam ejus, cui Phaedyma nomen erat, in uxoribus habuerat Cambyses: eamdemque perinde tunc Magus habebat, cum eaque pariter atque cum aliis Cambysis uxoribus consuetudinem habebat. (3) Ad hanc igitur filiam suam misit Otanes, quaerens ex ea, quisnam

homo esset cum quo concumberet: utrum Smerdis Cyri filius, an alius quispiam? Cui illa responsum remisit, nescire se; neque enim Cyri filium Smerdin umquam vidisse, nec scire quis sit cum quo concumbat. (4) Tum iterum ad eamdem mittens Otanes, ait: «Si Smerdin Cyri filium non nosti, at tu ab Atossa percunctare, quonam cum viro et illa concumbat et tu! nam illa utique fatrem novit suum.» (5) Respondit ad haec filia: «Neque Atossae ego possum in colloquium venire, neque alii ulli mulieri ex his quae mecum hic una habitant: nam simulatque hic homo, quisquis est, occupavit regnum, disseminavit nos, alii aliam sedem adsignans.»

LXIX. Haec audienti Otani magis etiam manifesta facta res est. Itaque tertio ad illam nuncium mittit, his verbis: «Oportet te, filia, quum bene nata sis, periculum suscipere quodcumque pater te jubet. Quodsi enim hic non est Cyri filius Smerdis, sed is quem ego esse existimo; non debet ille, quod tecum concumbat et Persarum teneat imperium, impune ferre, sed meritam luere poenam. (2) Nunc igitur fac hocce: quando tecum cubuerit, tuque eum somno sopitum intellexeris, palpa ejus aures. Quodsi compertus fuerit aures habere, puta te cum Cyri Smerdi concumbere: sin aures eum non habere deprehendes, magus Smerdis est quicum concumbis.» (3) Ad haec renunciari Phaedyma jubet, ingens se adire periculum, si id faciat. Si forte enim aures ille non habeat, ipsa autem deprehendatur palpans, satis se scire, fore ut ab illo trucidetur: attamen imperata facturam. (4) Sic illa, hoc se effecturam, patri recepit. Mago autem huic Smerdi Cyrus, Cambysis filius, tum regnans, graviorem quamdam ob culpam praecidi aures jusserat. (5) Haec igitur Phaedyma, Otanis filia, cuncta exsequens quae patri receperat, quum ad illam rediisset ordo intrandi ad Magum (per vices enim apud Persas uxores ad maritum intrant), cubiculum ingressa cum eo concubuit: et postquam gravi somno Magus sopitus erat, aures ejus palpavit. (6) Utque haud aegre, sed facillime, cognovit auribus carere hominem, simulatque dies adfuit, ad patrem misit, remque ei significavit.

LXX. Tum Otanes, adsumpto Aspathine et Gobrya, primariis inter Persas viris, maximeque idoneis quibus fidem haberet, totam rem his enarravit: atque hi etiam ipsi suspicati erant, ita se rem habere. Quibus quum deinde rationes suas exposuisset, adsentati sunt ambo. (2) Constitueruntque hi tres, ut ipsorum quisque unum virum Persam, cui maxime fidem haberet, sibi legeret socium. Adsciscit igitur Otanes pro sua parte Intaphernem; Gobryas, Magabazum; Aspathines, Hydarnen. Ita quum sex essent, advenit Susa Darius, Hystaspis filius, ex Perside veniens, cui regioni pater ipsius erat praefectus. Qui ubi advenit, placuit reliquis sex Persis Darium etiam socium sibi adsciscere.

LXXI. Hi septem igitur congressi, fidem sibi dant invicem, et sermones conferunt. Ubi ad Darium venit ordo sententiae dicendae, ait ille: «Ego hoc solus cognitum habere putabam, regnare Magum, et vita excessisse Smerdin, Cyri filium: atque ad hoc ipsum dedita opera huc me contuli, ut mortem Mago pararem. Quandoquidem vero accidit, ut et vos rem compertam habeatis, non ego solus; videtur mihi res e vestigio peragenda, neque differenda: nec enim hoc melius fuerit.» (2) Ad haec Otanes: «O fili Hystaspis, ait, forti viro patre genitus es; et videris ostendere, te nihil esse patre inferiorem. Verumtamen hanc rem noli ita praepropere et inconsulto adgredi; sed consideratius illam capesse. Plures simus oportet, et sic demum rem adgredi.» (3) Tum Darius: «Viri qui hic adestis, inquit, si ea ratione utemini quae ab Otane est proposita, scitote pessime vos esse perituros. Deferet enim aliquis rem ad Magum, privatim sibi lucrum quaerens. (4) Debebatis quidem maxime vos soli, re inter vos deliberata, haec conficere: quoniam vero ad

alios plures eam referre placuit vobis et mecum quoque communicastis, aut hoc ipso die rem exsequamur, aut scitote, si hunc unum diem siveritis elabi, non alium accusatorem me praeventurum esse, sed me ipsum nomina vestra ad Magum esse delaturum.»

LXXII. Ita ardentem Darium videns Otanes: «Quoniam igitur, inquit, adeo propere rem nos exsequi cogis, nec differre pateris; age dic nobis ipse, quonam pacto intrabimus regiam, illosque adgrediemur? Custodias enim esse dispositas tu etiam ipse (puto) nosti, si non visu, auditu certe: quas quo pacto superabimus?» (2) Cui Darius respondit: «Multa sunt, Otanes, quae verbis non facile est demonstrare, sed re ipsa atque opere: sunt rursus alia, verbis quidem expeditu facilia, sed unde factum nullum praeclarum exsistit. (3) Nostis autem vos, per dispositas illas custodias non ulla posse difficultate transiri. Quum enim simus hac dignitate viri, nemo non transire nos patietur, partim reverentia nostri ductus, partim forte etiam timore. Praeterea vero ego ipse praetextum maxime speciosum habeo, quo intremus; dicens ex Perside me adesse, velleque quidpiam, quod a patre mihi mandatum sit, regi significare. (4) Etenim, ubi mendacium aliquod dicendum est, dicatur. Eodem enim tendimus, et mendaces, et veraces: hi falsum dicunt, quando falsa persuadendo commodum aliquod sunt percepturi; illi vera loquuntur, ut per veritatem lucrum quoddam faciant, utque majus aliquid illis dehinc committatur. (5) Ita, diversas vias sequentibus, idem nobis finis propositus est. Si nihil commodi exspectaretur; eadem ratione alter (homo mendax) qui verum loquitur (lucri caussa), mentiretur; alter (verax) qui mentitur (commodi caussa), verum dicturus erat. (6) Quisquis ergo ex portarum custodibus ultro nos admiserit, is posthac fructum facti percipiet; qui vero se nobis opponere conabitur, is eo ipso hostis declaratus esto, nosque deinde vi penetrabimus intus, et opus adgrediemur.»

LXXIII. Post haec Gobryas, «Umquamne, inquit, viri amici, honestius possemus recuperare imperium, aut, si recipere illud non licuerit nobis, honestius mori, quam nunc, ubi nobis, viris Persis, Medus homo Magus imperat, isque mutilatus auribus? (2) Et quicumque vestrûm aegrotanti adfuistis Cambysi, utique meministis, puto, quae ille, quum finiret vitam, injunxit Persis imprecatusque est non connitentibus recuperare imperium: quae nos tunc quidem non admittebamus, sed per calumniam dici a Cambyse putabamus. (3) Nunc igitur censeo, Dario esse obtemperandum, neque ex hoc coetu aliorsum discedendum, nisi recta adversus Magum.» Haec[TR5] dicenti Gobryae omnes sunt adsensi.

LXXIV. Dum hi ita deliberabant, per idem tempus accidit forte hocce. Placuerat deliberantibus Magis, amicum sibi conciliare Prexaspen, tum quoniam indigna ille erat passus a Cambyse, qui filium ejus sagitta transfixum interfecerat; tum quod unus idem mortem noverat Smerdis, Cyri filii, quippe qui sua manu eum occidisset; praeterea quod summo in honore erat apud Persas. (2) His igitur rationibus inducti, vocatum ad se Prexaspen, operam dederunt ut amicum sibi adjungerent, fide data et juramentis eum obstringentes, apud se habiturum nec ulli homini aperturum malam fraudem qua illi adversus Persas uterentur; pollicentes ei, infinitis modis cumulate se eum remuneraturos. (3) Id quum se facturum Prexaspes recepisset, sicut ei persuadere conati erant Magi, secundo loco aliud ei proposuerunt: convocaturos se, aiebant, universos Persas sub regiae muris, illumque jusserunt conscensa turri concionari, regi illos a Smerdi, Cyri filio, nec ab alio. (4) Hoc ei mandabant, ut qui summa fide esset apud Persas, quique saepe professus esset vivere Smerdin, Cyri filium, caedemque illius pernegasset.

LXXV. Postquam et hoc se facturum Prexaspes dixit, Magi, convocatis Persis, jusserunt eum conscendere turrim, et concionari. (2) At ille quidem, quae ab his rogatus erat, eorum ultro oblitus, exordio sumpto ab Achaemene, genus recensuit Cyri; et postquam ad hunc descendit oratio, ad extremum beneficia omnia a Cyro in Persas collata commemoravit. (3) Quibus expositis, aperuit veritatem, quam adhuc a se occultatam esse, ait, quum non tutum sibi fuisset, id quod factum sit edicere; in praesentia autem necessitate se cogi, ut verum declaret. Dixit igitur, se ipsum, coactum a Cambyse, Smerdin Cyri filium necasse, et Magos esse qui nunc regnum teneant. (4) Denique multa imprecatus Persis, ni regnum recuperarent, poenasque a Magis sumerent, de turri se praecipitem dejecit. Hunc finem Prexaspes habuit, quum per totam vitam spectata fide vir fuisset.

LXXVI. Septem quos dixi Persae, postquam decreverunt protinus adgredi Magos, neque rem differre, perrexerunt deos precati, prorsus ignari eorum quae circa Prexaspen acta erant. Sed dimidium viae progressi, rem illam comperiunt. (2) Itaque de via declinantes, quid faciendum sit iterum inter se deliberant: et Otanes quidem cum sociis, omnino differendum inceptum censuit, neque in hac rerum perturbatione adgrediendum: Darius vero cum suis, protinus eundum esse et exsequendum decretum sine dilatione ulla. (3) Qui dum inter se altercantur, adparent septem accipitrum paria, insectantium duo paria vulturum, vellicantiumque ea et fodicantium. Quibus conspectis, septemviri cuncti collaudant Darii sententiam et ad regiam pergunt, hoc augurio freti.

LXXVII. Qui ubi ad portas venerunt, accidit id quod Darius pro sententia dixerat: custodes reveriti primarios ex Persis viros, ac nihil ejusmodi ab eis factum iri suspicati, transire eos passi sunt, veluti divinitus missos; neque quisquam eos interrogavit. (2) Postquam vero in aulam progressi sunt, incidunt in eunuchos quorum munus est nuncios ad regem deferre: hique ex eis, quid velint, cujus rei caussa veniant, quaerunt; simulque portae custodibus, quod eos admiserint, minas intentant, denique progredi volentes septemviros prohibent. (3) At illi, sese invicem cohortati, strictis gladiis, hos qui illo ipsos loco prohibere conantur, e vestigio transfigunt, et cursu in virorum conclave contendunt.

LXXVIII. Erant forte tunc intus Magi ambo; et de his quae a Prexaspe acta erant consultabant. Qui ubi eunuchos viderunt consternatos clamantesque, vicissim et ipsi exsiluerunt ambo; et, postquam cognoverunt quid rei esset, ad vim et impetum se convertêre. (2) Alter raptim arcum capit, hastam alter prehendit: committiturque ibi pugna. Et is quidem, qui arcum sumpserat, cominus instantibus hostibus, nihil in eo praesidii invenit: alter vero, hasta se defendens, primum Asphathinen percussit in femur, tum Intaphernem in oculum; et oculum quidem ex vulnere amisit Intaphernes, nec tamen mortuus est. (3) Dum alter ex Magis hos vulnerat, interim alter, quum ei arcus nihil prodesset, esset autem cubiculum conclavi contiguum, in hoc confugit, januam clausurus. Sed duo ex septemviris, Darius et Gobryas, simul irrumpunt, et Magum Gobryas medium corripit: quo facto colluctantibus adstans Darius, ferire cunctatur, quippe in tenebris res gerebatur, cavens ne Gobryam feriat. (4) Quem ille ita otiosum videns adstantem, «Quidni manu, inquit, uteris?» cui Darius, «Tibi, ait, consulens, ne te feriam.» Et Gobryas, «Etiam per ambo adige, inquit, ferrum!» Cui parens Darius ferrum adegit, et forte fortuna Magum transfixit.

LXXIX. Interfectis Magis, abscissisque eorum capitibus, duo vulnerati ex septemviris ibi relinquuntur, quum infirmitatis caussa, tum arcis custodiendae: reliqui quinque, capita Magorum gestantes, foras currunt, ingentem clamorem strepitumque cientes; convocatisque Persis, quid gestum sit, exponunt, capitaque ostendunt; simul, quicumque eis obvius fit de Magorum genere, hunc interficiunt. (2) Tum Persae, cognita Magorum fraude et re a septemviris gesta, aequum et ipsi censuere paria facere; strictisque gladiis, ubicumque Magum quemdam offenderent, hunc trucidabant: ac, nisi superveniens nox eos inhibuisset, nullum Magum reliquum erant facturi. (3) Hunc diem publice colunt Persae maxime dierum omnium, eoque die ingens celebrant festum, quod Magophonia (quasi dicas Magicidium) a Persis vocatur; quo die nulli Mago licet in publicum prodire, sed intra domos suas Magi cuncti se continent illo die.

LXXX. Sedato tumultu, quum nondum quinque dies essent praeterlapsi, hi qui Magos per seditionem invaserant, de summa rerum deliberarunt: habitique sunt sermones, incredibiles quidem Graecis nonnullis, habiti tamen utique. (2) Et Otanes quidem, imperium summum Persis in medio deponendum censens, haec verba fecit: «Mihi videtur, inquit, non amplius debere unum e nobis summa imperii potiri: nec enim jucundum hoc fuerit, nec bonum. (3) Videtis enim, Cambysis contumelia quousque progressa sit, et Magi insolentiam estis experti. Et quo pacto bene composita res fuerit unius imperium? cui licet, nulli rationi reddendae obnoxio, facere quidquid libuerit. Tale quidem imperium, si viro etiam omnium optimo committatur, extra consuetos animi sensus facile eum abripiet. (4) Nam praesentes opes insolentiam ei ingenerant; invidia autem principio innata est homini. Et haec duo habens, omnem habet pravitatem: alia enim scelesta multa, insolentia repletus, faciet; alia, invidia. (5) Quamquam virum in regia dignitate constitutum oportebat utique invidia vacare, quippe bonis rebus omnibus abundantem. At contrarium hujus ei accidere adversus cives solet: invidet enim optimis quibusque, quod supersint vivantque; et gaudet pessimis, horumque adversus illos calumnias facillime admittit. (6) Quod vero maxime omnium incongruum est: si modice eum admiraris, aegre fert quod non summopere colatur; si quis eum summopere colit, offenditur, adulatorem esse existimans. Denique, ut dicam quae sunt maxima: instituta mutat patria, vim adfert mulieribus, occidit injudicatos. (7) At populi imperium, primum, nomen habet omnium honestissimum, juris aequalitatem; deinde, eorum quae patrat is qui unus imperat, nihil facit. Sorte gerit imperia et magistratus; potestatem habet ratio reddendae obnoxiam; consilia omnia ad commune civium refert. (8) Quare sic ego censeo, misso facto unius imperio, multitudini imperium potestatemque esse permittendam: nam in multitudine insunt omnia.» Hanc Otanes sententiam dixit.

LXXXI. Tum Megabazus, censens paucorum imperio res esse permittendas, in hunc modum est locutus: «Quae Otanes de abolenda regia potestate dixit, eadem mihi quoque dicta sunto: quod vero ad multitudinem deferri jussit imperium, ab optima sententia aberravit. Nam inutili turba nihil est insipientius, nihilque insolentius. (2) Atqui hoc neutiquam ferendum, ut, qui regis contumeliam effugere cupimus, iidem in plebis indomitae incidamus contumeliam. Nam ille, si quid facit, intelligit tamen quid sit quod facit: at plebi ne hoc quidem inest, ut intelligat. Quo enim pacto intelligat, quum nec didicerit nec noverit honestum aut conveniens quidquam, et deproperet negotia, cum impetu sine mente irruens, torrenti flumini similis? (3) Populari igitur statu hi utantur, qui Persis male cupiunt: nos vero optimorum virorum seligamus societatem, et

his imperium deferamus; quorum nempe in numero nos quoque erimus ipsi. Optimorum autem virorum consentaneum est optima etiam esse consilia.» Haec est sententia a Megabazo in medium proposita.

LXXXII. Tertio loco Darius dixit sententiam, his usus verbis: «Mihi vero, quae Megabazus dixit ad multitudinem spectantia, ea recte dixisse videtur; quae vero ad oligarchiam spectant, non recte. (2) Nam si tria proposita sint, et quodque eorum, quae dico, in suo genere optimum, optimus status popularis, optima oligarchia, et monarcha optimus; horum trium hoc postremum reliquis longe praeferendum esse autumo. Etenim unius viri imperio qui sit optimus nihil profecto melius queat reperiri: optimo quippe consilio utens, inculpatus administrabit res multitudinis, et ea ratione consilia adversus male animatos capta, tacita maxime habebuntur. (3) In oligarchia vero, quum plures sint virtutem in commune exercentes, validae privatim inimicitiae exsistere amant: etenim, dum quisque cupit esse princeps, vultque ut sua sententia vincat, in magnas incidunt inimicitias: tum ex inimicitiis exsistunt seditiones, ex seditionibus caedes, et ex caedibus ad unius imperium res redit: atque ita adparet, quanto sit hic status melior. (4) Rursus, imperante plebe, fieri non potest quia pravitas se insinuet: pravitate vero in republica gliscente, inimicitiae quidem inter pravos non exsistunt, sed validae amicitiae: nam, qui reipublicae male faciunt, conspirantes agunt quod agunt: (5) atque hoc ita succedit, usque dum exsistat aliquis populi patronus, qui hisce finem imponat. Eo fit igitur, ut hunc talem miretur populus; et mox eidem, quem populus miratur, summa imperii defertur: atque ita rursus hic idem ostendit, unius imperium esse optimum. (6) Ut autem uno verbo omnia complectar, unde nobis libertas exstitit? quis nobis eam dedit? populusne, an oligarchia, an unus imperans? Est igitur mea haec sententia, quum per unum virum in libertatem simus vindicati, ut hanc imperii formam tueamur, adhaec patria ne aboleamus instituta bene habentia nec enim hoc utile nobis fuerit.»

LXXXIII. Tres igitur istae sententiae fuerunt propositae; et reliqui quattuor ex septemviris huic postremae adhaeserunt. Ut vero succumbere suam sententia vidit Otanes, qui juris aequitatem inter Persas studuerat stabilire, ita in collegarum medio locutus est: «Viri socii, adparet igitur necesse esse, ut unus aliquis e nobis rex creetur, sive is sorte lectus, sive Persarum populo permittamus arbitrium eligendi quem voluerit, sive qua alia ratione. (2) At equidem vobiscum in contentionem non descendam, nec enim imperare volo, nec parere imperio. Itaque hac conditione ego vobis cedo imperio, ut nullius vestrûm imperio sim subjectus, nec ego ipse, nec ex meis posteris quisquam.» (3) Quae quum ille dixisset, reliqui sex postulatis ejus sunt adsensi; et ille cum his in contentionem non descendit, sed ex eorum medio secessit. Atque ad hunc diem familia haec, una ex cunctis Persis, sui juris esse perseverat, neque paret imperio nisi quatenus vult ipsa, caeterum leges non transgrediens Persarum.

LXXXIV. Inde reliqui ex septemviris consultantes de rege aequissima conditione constituendo, decreverunt, ut Otanes, ejusque in omne futurum tempus posteri, si alia cuipiam ex septemviris regia obtingeret dignitas, eminenter prae caeteris Medica veste quotannis, omnibusque muneribus quae apud Persas honorificentissima habentur, donaretur. (2) Haec Otani extra ordinem conferenda decreverunt eo, quod is primus rem proposuerat, et ad deliberandum illos convocaverat. In commune vero haec placuere: cuique ex septemviris, qui vellet, licitum fore intrare regiam sine internuncio, nisi forte cum uxore rex concumberet: praeterea, non licere regi aliunde uxorem ducere nisi ex conjuratorum familia. (3) De ratione vero constituendi regis hoc

decreverunt, ut, cujus equus oriente sole primus hinnitum edidisset in suburbio, ipsis insidentibus, is regnum obtineret.

LXXXV. Erat Dario equorum custos, callidus homo, cui nomen oebares. Huic homini, postquam e concilio discesserunt, dixit Darius: «oebares, quod ad regnum spectat, hoc facere decrevimus: cujus equus inter solis ortum, nobis insidentibus, primus hinnitum ediderit, illum regem fore. Tu igitur si quod nosti artificium, machinare ut nobis obtingat haec dignitas, non alii cuipiam.» (2) Cui oebares respondit: «Si in hoc situm est, here, ut tu rex sis aut non sis, confide hujus rei caussa, et bono animo esto: nec enim alius prae te rex erit; talia habeo medicamenta.» (3) Reponit Darius: «Quodsi ergo tale quoddam habes commentum, adest tempus quo illud pares, nec differas; in crastinum enim certamen nobis est propositum.» (4) Quibus auditis, haec facit oebares. Ut ingruit nox, ex equabus unam, quam prae caeteris amabat Darii equus, in suburbium ductam adligat; dein adductum Darii equum aliquamdiu circa illam circumducit, paulatim adpropinquans equae; ad extremum, ut illam ineat, admittit.

LXXXVI. Simul atque dies illuxit, aderant sex viri equis insidentes, sicut inter eos convenerat. Qui dum per suburbium vehuntur, ubi ad eum locum venerunt quo proxima nocte adligata fuerat equa, ibi adcurrens Darii equus hinnitum edidit: et eodem temporis momento fulgur atque tonitru sereno de coelo exstitit. (2) Atque haec, Dario veluti ex composito quodam supervenientia, auspicium consummarunt: et reliqui quinque, ex equis desilientes, ut regem Darium adoraverunt.

LXXXVII. De oebare duplex apud Persas fama fertur; aliis id eum, quod dixi, fecisse narrantibus; aliis hocce: genitalia equae illius sua eum manu attrectasse, manumque in braccis occultasse; deinde, quum oriente sole in eo essent equi ut procederent, oebarem hunc exsertam manum naribus equi Darii admovisse; moxque hunc, ad odoris sensum, infremuisse hinnitumque edidisse.

LXXXVIII. Darius igitur, Hystaspis filius, rex renunciatus est: omnesque Asiae populi, Arabibus exceptis, imperio ejus paruerunt, a Cyro primo subacti, ac dein rursus a Cambyse. (2) Arabes vero nunquam a Persis in servitutem sunt redacti, sed hospites erant et amici, qui Cambysi transitum in aegyptum praestiterunt; nam invitis Arabibus numquam in aegyptum penetrare Persae potuissent. (3) Matrimoniaque Darius iniit nobilissima inter Persas, cum duabus Cyri filiabus, Atossa et Artystone; quarum illa quidem ante Cambysis uxor fuerat, fratris sui, deinde rursus Magi; Artystone vero virgo erat: (4) praeterea Smerdis filiam, Cyri filii, uxorem duxit, cui nomen erat Parmys: habuitque etiam Otanis filiam, quae Magum prodiderat. Quumque jam omni ex parte stabilita esset ejus potentia, primum monumentum statuit lapideum, cui figura haec insculpta erat, vir equo insidens, cum inscriptione hujusmodi: DARIUS HYSTASPIS FILIUS EQUI VIRTUTE (nomen equi hic erat adscriptum) ET OEBARIS EQUORUM CUSTODIS REGNUM PERSARUM OBTINUIT.

LXXXIX. His peractis, Persicum imperium in praefecturas distribuit, viginti numero, quas satrapias illi vocant. Quibus constitutis praefecturis, nominatisque singularum praefectis, tributa ordinavit, quae ei singulis e populis redirent; ita quidem ut aliis populis finitimos populos adjungeret, nonnunquam finitimos hos praetermittens aliis rursus populis alios remotiores attribueret. (2) Praefecturas autem et annua tributa hoc modo constituit: quibus imperatum erat argentum adferre, his praedictum erat, ut Babylonico pondere talentum adferrent; quibus aurum imperatum, hi Euboicum adferrent talentum: valet autem Babylonium talentum Euboicas libras septuaginta. (3) Nam Cyro imperante, atque etiam deinde Cambyse, de tributo pendendo nihil erat constitutum, sed dona adferebant. Itaque propter hanc tributorum impositionem, et alia huic similia instituta, aiunt Persae, institorem fuisse Darium; Cambysen vero, dominum; Cyrum, patrem fuisse. Darium enim, ut institorem administrasse regnum; Cambysen durum fuisse et superbum; Cyrum vero mitem et qui omne bonorum genus ipsis parasset.

XC. Ab Ionibus igitur, et Magnetibus Asiam incolentibus, et aeolensibus, et Caribus, et Lyciis, et Milyensibus, et Pamphylis (quibus in commune unum erat tributum impositum), quadringenta redibant argenti talenta: haec prima erat praefectura. (2) A Mysis vero, et Lydis, et Lasoniis, et Cabaliis, et Hygennensibus, quingenta talenta: altera haec praefectura. (3) Ab Hellespontiis ad dextram intro naviganti sitis, et Phrygibus, et Thracibus Asiam incolentibus, et Paphlagonibus, et Mariandynis, et Syriis, trecenta et sexaginta talenta tributi nomine redibant: tertia haec praefectura. (4) A Cilicibus trecenti et sexaginta equi candidi, unus in diem, et quingenta argenti talenta; quorum talentorum centum et quadraginta in equitatum insumebantur, qui Ciliciam provinciam custodiebat, reliqua trecenta et sexaginta ad Darium mittebatur: quarta haec praefectura.

XCI. A Posideo urbe, quam Amphilochus condidit, Amphiarai filius, in Cilicum et Syrorum confinibus, ab hac incipiendo usque ad aegyptum (excepta Arabum ditione, quae tributi erat immunis), tributum impositum erat trecentorum et quinquaginta talentorum. Est autem in hac praefectura Phoenice omnis, et Palaestina quae vocatur Syria, et Cyprus: quinta haec praefectura. (2) Ex aegypto vero, et Afris aegypti finitimis, et ex Cyrene et Barce (nam et hae aegyptiacae praefecturae erant attributae) septingenta redibant talenta, praeter pecuniam quae ex Moeridis lacu redibat; fiebat autem ea ex piscibus, praeter hanc, inquam, pecuniam, ac praeter demensum frumentum, septingenta inde redibant talenta; nam frumenti duodecim myriadas medimnorum admetiuntur aegyptii Persarum iis qui in Alba arce Memphi habitant, horumque auxiliariis: sexta haec praefectura. (3) Sattagydae, Gandarii, Dadicae et Aparytae, in unam praefecturam, quae septima est, contributi, centum et septuaginta conferebant talenta. (4) Ex Suis et reliqua Cissiorum regione, trecenta talenta redibant: octava haec praefectura.

XCII. Ex Babylone reliquaque Assyria mille argenti talenta redibant Dario, et castrati pueri quingenti: nona haec praefectura. (2) Ex Ecbatanis et reliqua Medica provincia, et Paricaniis et Orthocorybantiis, quadringenta et quinquaginta talenta: decima haec praefectura. (3) Caspii et Pausi, tum Pantimathi et Daritae, in unum conferentes, talenta contribuebant ducenta; undecima haec praefectura. (4) A Bactrianis ad aeglos usque tributum pendebatur trecentorum et sexaginta talentorum: duodecima haec praefectura.

XCIII. Ex Pactyica et ex Armeniis horumque finitimis usque ad Euxinum Pontum, quadringenta talenta: decima tertia haec praefectura. (2) A Sagartiis, et Sarangis, et Thamanaeis, et Utiis, et Mycis, et ex Rubri maris insularum incolis, in quas eos, qui abstracti sive relegati vocantur, rex habitatum mittit, ex his omnibus sexcenta talenta tributi nomine cogebantur: decima quarta haec praefectura. (3) Sacae et Caspii ducenta et quinquaginta conferebant talenta: praefectura haec decima quinta. (4) Parthi vero et Chorasmii, et Sogdi et Arii, trecenta talenta: decima sexta praefectura.

XCIV. Paricanii et aethiopes Asiam incolentes, quadringenta conferebant talenta: praefectura haec decima septima. (2) Matienis, Saspiribus et Alarodiis ducenta imposita talenta erant: praefectura haec decima octava. (3) Moschis, e Tibarenis, et Macronibus, et Mosynoecis et Maribus trecenta imperata erant talenta: praefectura haec decima nona. (4) Indorum populus longe frequentissimus omnium quos novimus hominum est, et tributum hi pendebant prae reliquis omnibus trecenta et sexaginta talenta ramentorum auri: vicesima haec praefectura.

XCV. Jam Babylonicum argentum si cum Euboico conferatur, fuerint talenta novies mille quingenta et quadraginta. Aurum vero si tredecuplum aestimetur, reperitur ramentum illud valere talenta Euboica quater mille sexcenta et octoginta. (2) Quibus cunctis in unam summam collectis, tributi nomine colligebantur Dario quotannis Euboicorum talentorum quattuordecim millia cum quingentis et sexaginta; ut minorem numerum mittam, qui hanc summam excedit.

XCVI. Hoc tributum Dario ex Asia redibat, et ex exigua Africae parte. Sed procedente tempore etiam aliud ei tributum ex insulis rediit, ab his qui Europam incolunt usque ad Thessaliam. (2) Hoc tributum tali modo rex in thesauris recondit: liquefactum metallum in dolia fictilia infundit, et repleto vase frangit testam. Dein, quando pecunia indiget, tantumdem cudendum curat, quantum usus postulat.

XCVII. Hae igitur sunt praefecturae, et taxationes tributorum. Persidem vero regionem solam in tributariarum numero non nominavi; hanc enim a tributis immunem incolunt Persae. (2) Porro impositum quidem tributum non pendebant, sed dona ferebant hi: aethiopes aegypto contermini, quos Cambyses, quum adversus Macrobios aethiopas arma ferret, subegit; qui circa sacram Nysam habitant, et Baccho dies festos celebrant. (3) Hi aethiopes, et horum finitimi, semine utuntur eodem quo Calatiae Indi (milio?), domos autem habent subterraneas. (4) Hi simul ambo tertio quoque anno adferebant, adferuntque etiam ad meam usque aetatem, duo choenices auri ignem non experti, et ducentos truncos ebeni, et quinque pueros aethiopes, et viginti magnos dentes elephantorum. (5) Colchi vero pacti sunt de dono ferendo, et horum finitimi usque ad Caucasum montem: nam usque ad hunc montem pertinet Persarum imperium; qui vero ad septemtrionem sunt Caucasi, hi nil amplius curant Persas. (6) Hi igitur dona, de quibus pacti sunt, ad meam usque memoriam quinto quoque anno adferebant, centenos pueros, virginesque centenas. Arabes vero quotannis mille adferebant thuris talenta. Haec igitur, praeter tributum, dona hi regi ferebant.

XCVIII. Auri autem copiam illam, ex qua regi ramenta, quae dixi, adferunt Indi, tali modo nanciscuntur: (2) quae terra inde ab India versus orientem solem porrigitur, ea prorsus sabulosa est. Nam eorum, quos nos novimus, populorum, de quibus certi quidpiam traditur, primi versus orientem solem Indi sunt: post Indos enim orientem versus deserta terra est propter sabulum. (3) Sunt autem multi Indorum populi, diversis linguis utentes. Et eorum alii nomades sunt; alii non sunt. Nonnulli etiam in paludibus habitant fluminis, vescunturque crudis piscibus; quos capiunt, navigiis ex arundine confectis insectantes: quodlibet navigium ex uno genu sive internodio arundinis conficitur. (4) Hi Indi vestem gestant ex scirpo; quam, postquam scirpum e flumine demessuerunt tuderuntque, [sic] plectunt deinde in storae modum, et tamquam thoracem induunt.

XCIX. Alii ex Indis, his ab oriente habitantes, nomades sunt; cruda carne vescentes, qui Padaei vocantur. Institutis hi utuntur hujusmodi: quando quis morbo laborat civium, sive mulier, sive vir, tunc virum viri maxime familiares occidunt, dicentes, si morbo consumeretur, carnem ipsis corruptum iri. At ille negat se aegrotare; hi, viro non adsentientes, interficiunt eum epulanturque. (2) Quando mulier aegrotat, similiter mulieres maxime necessariae idem faciunt quod viris viri. Nam etiam qui ad senectutem pervenit, eum mactant, carneque ejus vescuntur: haud multi autem illorum ad eum numerum annorum perveniunt; nam antea quemcumque morbo quodam correptum interficiunt.

C. Aliorum Indorum alius mos est hujusmodi: nec occidunt animatum quidquam, nec sementem faciunt, nec domos solent possidere: herbis vescuntur; estque eis semen quoddam, milii fere magnitudine, folliculo inclusum, sponte e terra nascens, quod colligunt, et cum folliculo elixum comedunt. Si quis ex eis in morbum incidit, abit in desertum, ibique jacet; neque quisquam aut mortuum curat, aut aegrotum.

CI. Omnes hi, quos commemoravi, Indi feminis miscentur palam, veluti pecudes; et colorem habent similem maxime aethiopibus. (2) Semen autem ipsorum genitale non, quemadmodum caeterorum hominum, album est, sed nigrum, sicut corporis color: tale vero etiam semen genitale aethiopes edunt. (3) Hi Indi longius a Persis habitant, meridiem versus; neque umquam Darii paruerunt imperio.

CII. Alii vero Indi Caspatyro urbi et Pactyicae regioni sunt finitimi, a septemtrione reliquorum Indorum habitantes, qui vitae ratione utuntur Bactrianis simili. Hi sunt Indorum bellicosissimi, iidemque qui ad conquirendum aurum proficiscuntur: est enim ibi deserta regio propter sabulum. (2) In hoc nimirum deserto atque sabulo sunt formicae, magnitudine non quidem tanta quanta canum, sed tamen majores vulpibus: quarum nonnullae aluntur apud regem Persarum, in illa regione a venatoribus captae. (3) Hae igitur formicae, sub terra habitacula sibi parantes, egerunt sabulum eodem modo sicut in Graecia formicae; quibus etiam specie corporis simillimae sunt. Sabulum autem, quod ab illis egeritur, auriferum est. (4) Ad hoc igitur colligendum sabulum profecturi Indi jungunt quisque tres camelos, funalem utrimque marem, qui a latere trahant; in medio feminam, dans operam ut a pullis quam recentissime natis abstractam jungat: hanc ipse

conscendit. Sunt enim cameli equis velocitate non inferiores, insuper vero ad onera ferenda multo validiores.

CIII. Jam, species quidem qualis sit cameli, Graecis sat gnaris non describo quod vero de eo ignoratur vulgo, hoc dicam. Camelus in posterioribus cruribus quattuor habet femora (ossa inter articulos vel genua) et quattuor genua; veretrum vero inter posteriora crura caudam versus spectans.

CIV. Hoc igitur modo, talique utentes vectura, ad colligendum aurum proficiscuntur Indi, temporis rationem ita ineuntes, ut ea diei hora, qua ferventissimi sunt aestus, illud rapiant: fervente enim aestu sub terra conduntur formicae. (2) Ardentissimus autem his hominibus sol est tempore matutino, non, ut caeteris hominibus, medio die; sed ab eo tempore quo ad aliquam altitudinem in coelo pervenit, usque dum tempus est a foro discedendi [quod fiebat medio fere die]. Per id tempus multo magis ibi ardet sol, quam in Graecia medio ipso die; ita ut dicantur illi tunc aqua se aspergere. (3) Medio vero die similiter fere sol ardet caeteros homines atque Indos. Postquam de medio coelo declinavit sol, talem ibi vim habet, qualem apud caeteros matutinus. Reliquum coeli spatium percurrens, magis magisque friget, donec, ubi ad occasum pervenit, admodum etiam friget.

CV. Postquam ad locum Indi pervenerunt, culeos, quos secum attulere, sabulo complent, et quam primum sese recipiunt. Protinus enim formicae, odore, ut aiunt Persae, illos sentientes, persequuntur. (2) Velocitate autem hanc bestiam alias omnes ita aiunt superare, ut nisi, dum congregantur formicae, viam interim Indi praeciperent, nullus eorum salvus esset evasurus. (3) Jam mares quidem camelos, quum sint ad currendum feminis inferiores, viribus aiunt deficere et segnius sequi utrumque; feminas vero, recordantes pullorum domi relictorum, nihil molliter de cursu remittere. (4) Majorem igitur auri partem hac ratione, ut quidem Persae narrant, nanciscuntur Indi: aliud rarius est aurum, quod ex metallis effoditur.

CVI. Extremae terrarum partes, nescio quo pacto, res praestantissimas sunt sortitae, quemadmodum Graecia coeli temperiem longe praestantissimam sortita est. Est enim ab una parte, orientem versus, extrema regionum habitatarum Indica, ut paulo ante dixi. (2) In hac igitur, partim, animantes quadrupedes atque volucres insunt longe quam in reliquis regionibus grandiores, equis exceptis; nam magnitudine superantur Indorum equi a Medicis, qui Nisaei vocantur. Partim vero, auri immensa ibi copia est; aliud effossum terra, aliud per flumina devectum, aliud ita ut memoravi subreptum. (3) Ibidem porro arbores agrestes pro fructu lanam edunt, pulcritudine et reliqua virtute ovinam lanam superantem: et vestimentis Indi ex his arboribus utuntur.

CVII. Rursus, meridiem versus, extrema habitatarum regionum Arabia est. In hac vero una regionum omnium thus nascitur, et myrrha, et casia, et cinnamomum, et ladanum. Haec quidem omnia, myrrham si excipias, non sine labore nanciscuntur Arabes. (2) Thus quidem colligunt, styracem adolentes, quae in Graeciam a Phoenicibus importatur. Styrace, inquam, incensa thus

nanciscuntur: arbores enim thuriferas custodiunt alati serpentes, exiguo corpore, variegata specie, ingenti numero arborem quamque circumsedentes; iidem qui aegyptum veluti hostile agmen invadunt. Nulla vero alia re, nisi styracis fumo, hi ab arboribus illis abiguntur.

CVIII. Aiunt vero etiam Arabes, universam terram his serpentibus oppletum iri, nisi illis accideret id quod compertum habeo viperis accidere. Et recte puto dixerim: numinis providentia, ut est consentaneum, quum sit sapiens, quaecumque et timidae indolis sunt animalia, et quae esculenta, ea omnia foecunda admodum fecit, ne adsiduo esu genus eorum intereat; quae vero prava et malefica, parum foecunda. (2) Sic, ut hoc utar, lepus, quem venatur fera omnis et avis et homo, ita foecundus est, ut leporis femina una sit ex omnibus animantibus quae superfoetet, et alium foetum jam pilis vestitum in utero gerat, alium nudum, alium eodem tempore in matrice formet, et alium concipiat. (3) Et haec quidem hujus natura est. E contrario leaena, quum sit animalium validissimum, idemque ferocissimum, non nisi semel parit in vita: nam, dum partum edit, simul uterum ejicit. Cujus rei haec caussa est: quando catulus in utero sese incipit movere, tum vero, quoniam ungues habet longe omnium acutissimos, fodicat matricem, augescensque multo etiam magis penetrat lacerando; ad extremum, quando partus instat, nihil amplius sani in utero superest.

CIX. Similiter vero etiam viperae et alati in Arabia serpentes, si tanta copia nascerentur quanta per suam naturam possent, non possent vivere homines. Nunc, quando per paria ad coitum libidine concitantur, dum in eo mas est ut genitale semen emittat, collum ejus prehendit femina, et innixa non prius dimittit quam perroserit. (2) Atque ita quidem mas moritur; femina autem talem mari dat poenam: patrem parvuli ulciscentes, dum adhuc in utero sunt, matricem corrodunt, atque etiam ipsum ventrem corrodentes, ita in lucem prodeunt. (3) At caeteri serpentes, qui hominibus non sunt noxii, ova pariunt, et magnam foetuum copiam excludunt. Jam viperae quidem ubivis terrarum reperiuntur: alati vero serpentes universi in Arabia sunt, nec usquam alibi; ea ratione frequentes esse videntur.

CX. Thus igitur, de quo dixi, ista ratione Arabes nanciscuntur; casiam vero hoc modo: toto corpore atque facie, solis oculis exceptis, bubulis aliisve coriis tecti, ad colligendam casiam exeunt. Nascitur haec autem in palude non admodum alta, circa quam et in qua stabulantur bestiae alatae, vespertilionibus maxime similes, diro modo stridentes, et viribus praevalentes. Has ab oculis abigere oportet, atque ita casiam metere.

CXI. Cinnamomum vero mirabiliori etiam quam illa modo colligunt. Etenim, quo loco illud nascatur, quaeve terra illud alat, ignorant; nisi quod, probabilem sequentes rationem, in eis regionibus nasci illud aiunt, in quibus Bacchus educatus est. (2) Narrant autem, ingentes aves adferre hos bacillos, quos nos a Phoenicibus edocti cinnamomum vocamus: inferri eos autem ab illis avibus in nidos, e luto adstructos ad montium praecipitia, ad quae nullus homini accessus pateat. (3) Adversus haec igitur tali artificio uti Arabes: mortuorum boum et asinorum aliorumque jumentorum cadavera, in frusta quam maximae molis dissecta, congerere eos in haec loca; eisque in vicinia nidorum depositis, procul inde recedere: (4) tum volucres illae descendentes, jumentorum istorum membra tollere et in nidos suos comportare; hos autem,

quum sustinere onus non possint, rumpi et in terram decidere: tunc adcurrentes homines, cinnamomum colligere; quod, ab his ita collectum, dein in alias regiones transportetur.

CXII. Ledanum vero quod ladanum Arabes nominant, mirabiliore etiam, quam cinnamonum, modo comparatur. Reperitur in loco teterrime olente, ipsum suavissime olens: in hircorum enim barbis reperitur, veluti viscum adhaerens e frondibus. Est autem utile ad multa unguentorum genera; et ad suffitum hoc maxime utuntur Arabes.

CXIII. Haec quidem de aromatibus et suffimentis dicta sunto: spirat autem terra Arabia suavissimum et divinum quemdam odorem. (2) Duo sunt ibidem ovium genera miratu digna, quae nulla in alia regione reperiuntur. Alterum genus caudas habet praelongas, tribus non breviores cubitis: quas si illae sinerentur post se trahere, ulcera haberent, caudis ad terram attritis. Nunc pastorum quisque artem fabrilem in tantum callet, ut exiguum plaustrum fabricetur, quod caudae subligatur: cujusque pecudis caudae suum subligatur plaustellum. (3) Alterum genus ovium caudas gerit latas, usque ad cubiti latitudinem.

CXIV. Ubi meridiana coeli plaga versus occidentem solem inclinat, ibi protenditur aethiopia, ab hac parte regio extrema terrarum. Haec aurum fert frequens, et vastos elephantos, et arborum agrestium omne genus, et ebenum, et homines statura maximos et pulcerrimos et maxime longaevos.

CXV. Hae[TR6] sunt igitur in Asia et in Libya extremae terrarum regiones. Jam de Europae quidem versus occidentem extremis, quod pro adcurate comperto dicam, non habeo. Neque enim adsentior, Eridanum aliquem fluvium nominari a barbaris, qui in mare boreale influat, a quo ad nos electrum venire fama est; neque insulae mihi cognitae sunt Cassiterides nomine, unde stannum ad nos venit. (2) Partim enim ipsum hoc nomen Eridanus se prodit graecum esse ac neutiquam barbaricum, nempe a poeta aliquo fictum: partim, quamvis studiose id egerim, tamen a nemine, qui ipse suis oculis vidisset, comperire potui, ultra Europam septemtrionem versus esse mare. Ab extrema quidem certe Europa et stannum nobis venit et electrum.

CXVI. In septemtrionalibus vero Europae partibus maximam quamdam reperiri auri copiam, satis compertum est: at, id quo pacto adquiratur, ne hoc quidem certo dicere valeo: fama est autem, gryphibus illud subripere Arimaspos, homines unoculos. At mihi ne hoc quidem persuadetur, esse homines natura unoculos, reliquam naturam caeteris hominibus similem habentes. (2) Sed, quod initio dixi, videntur utique extremitates terrae, quae reliquam omnem terram circumdant et intus intercludunt, eas res possidere, quae et praestantissimae esse vulgo putantur, et rarissimae.

CXVII. Est in Asia campus, monte undique clausus; montis autem ejus quinque sunt divortia. Hic campus olim Chorasmiorum erat, estque in confinibus ipsorum Chorasmiorum et Hyrcaniorum et Parthorum et Sarangarum et Thamanaeorum: ex quo vero Persae obtinuere imperium, rex

eum possidet. Ex eo monte campum claudente profluit ingens fluvius, cui nomen Aces. (2) Is fluvius prius in quinque alveos divisus populorum quos dixi irrigabat agros, ad singulos populos per singulas montis fauces derivatus: ex quo vero sub Persa est haec regio, calamitas illis accidit hujusmodi; montium fauces obstruxit rex, et ad singulas fauces portam construxit: ita, exitu aquae intercluso, ex campo intra montes patente factum est pelagus, influente quidem fluvio, sed exitum nusquam habente. (3) Hi igitur populi, antea aquis illius fluvii soliti uti, nunc ubi non amplius illis uti possunt, ingenti premuntur incommodo. Nam hieme quidem pluit ibi, sicut in aliorum populorum regionibus: at aestate, postquam panicum et sesamum severunt, aqua illa indigebant. (4) Igitur, quandoquidem eis nunc haec intercluditur, veniunt ad Persas, viri et mulieres, stantesque ad regis portas, ingenti clamore ululant. Et rex eis, qui aqua maxime indigent, jubet aperiri portam ad hos ducentem. (5) Quorum postquam satis aquarum terra bibit, claudi eam portam jubet, et alia aperiri his qui e reliquorum numero maxime aqua indigent. Ut vero auditu equidem cognovi, nonnisi ingenti pecunia, praeter tributum exacta, aperiri jubet. Et haec quidem ita se habent.

CXVIII. Uni e septemviris, qui adversus Magum conspiraverunt, Intapherni, accidit ut periret brevi post oppressos Magos, tali patrato facinore insolentiae pleno. (2) Voluit hic regiam ingredi, cum rege collocuturus: quippe, ut dixi, ita convenerat inter conjuratos, ut ad regem ingredi eis liceret absque internuncio, nisi forte cum uxore rex concumberet. (3) Itaque aequum censuerat Intaphernes, ut absque internuncio intraret, utpote qui e septem virorum numero esset. Sed janitor atque internuncius prohibuerunt, dicentes, cum uxore concumbere regem. (4) Tum Intaphernes, falso id ab his dici ratus, haecce patravit: stricto acinace, aures utrique et nares praecidit, easque circa frenum equi adnexas cervicibus eorum adligavit, atque ita homines dimisit.

CXIX. At illi se regi ostendunt, caussamque cur hoc essent passi exposuerunt. Tum Darius, veritus ne communi consilio sex viri hoc fecissent, singulos ad se vocavit, sententiamque eorum, probarentne id factum, exploravit. (2) Ubi cognovit, non communicato cum illis consilio rem factam esse, ipsum Intaphernem ejusque filios et familiares omnes prehendit; non fere dubitans, illum cum suis propinquis rebellionem esse moliturum: prehensos in vincula conjecit, extremoque supplicio destinavit. (3) Tunc uxor Intaphernis, ad fores regis idemtidem accedens, plorabat lamentabaturque; idque continenter faciens, ad misericordiam commovit Darium; qui misso ad eam nuncio haec ei nunciari jussit: «Mulier, rex Darius unum ex vinctis propinquis tibi concedit eximendum, quem tu ex omnibus selegeris.» (4) Et illa, re deliberata, haec respondit: «Quoniam mihi rex unius vitam concedit, seligo ex omnibus meum fratrem.» Quo cognito responso, miratus Darius eam optionem remisit ad eam qui diceret: «Mulier, quaerit ex te rex quidnam tibi consilii sit, quod omisso marito filiisque fratrem elegeris, cujus tibi vita donaretur; quum tibi ille sit minus propinquus quam filii, et minus jucundus quam maritus.» (5) Respondit illa: «Rex, maritus mihi alius esse poterit, si deus voluerit, filiique alii, quando hos amisero. At, quum pater meus materque non amplius sint in vivis, frater mihi alius nullo pacto esse poterit. Hac usa sententia, istud dixi.» (6) Quae quum regi visa essent commode ab illa dicta, delectatus condonavit ei fratrem quem deprecata erat, insuperque filiorum natu maximum; reliquos vero universos interfecit. Unus igitur e septemviris mox eo, quo dixi, modo periit.

CXX. Quo tempore Cambyses morbo laboravit, eodem fere tempore accidit hocce. Oroetes Persa, Sardium praeses constitutus a Cyro, facinus animo agitavit nefarium: etenim Polycratem Samium, a quo nec facto ullo, nec dicto quopiam injurioso fuerat laesus, quemque nec viderat umquam antea, hunc capiendi interficiendique cupido eum incesserat; idque, ut plerique tradunt, talem ob caussam: (2) ad regis portas quum sedisset hic Oroetes, et alius Persa, cui Mitrobates nomen, praeses praefecturae cujus caput Dascyleum oppidum est; hi ambo ex familiaribus sermonibus in contentionem dicuntur incidisse. Et Mitrobaten quidem, quum de virtute inter se disceptarent, Oroetae cum exprobratione dixisse: «Tu vero in virorum numero habeare, qui Samum insulam, tuae praefecturae proximam, in regis potestatem non redegisti, quum sit subactu ita facilis, ut indigenarum aliquis, cum quindecim armatis insurgens, ea potitus sit, atque etiam nunc in ea dominetur!» (3) Dicunt igitur hunc, his auditis, aegre ferentem exprobrationem, cupivisse non tam vindictam capere de eo qui haec illi dixisset, quam omnino Polycratem perdere, propter quem male audisset.

CXXI. Sunt pauciores nonnulli qui tradant, misisse Oroeten praeconem Samum, nescio quid petiturum (nec enim hoc memoriae proditur); Polycratem autem tunc in exhedra forte decubuisse, adfuisseque ei Anacreontem Teium: (2) atque, sive consulto res Oroetae aspernatus sit, sive casu ita acciderit, tum quum accedens Oroetae praeco verba fecisset, Polycratem versus murum forte conversum, nec sese versus illum paulisper convertisse, nec responsum homini dedisse.

CXXII. Sic caussa mortis Polycratis duplici modo traditur: licetque cuilibet eam, quam voluerit, probare. (2) Oroets igitur, Magnesiae residens ad Maeandrum fluvium sitae, Myrsum Gygae filium, Lydum hominem, Samum misit, nuncium ferentem, quo animum Polycratis exploraret. (3) Etenim Polycrates primus fuit, quem novimus, ex Graecis, qui maris obtinere imperium molitus sit; Minoem si excipias Cnossium, et si quis alius ante hunc mari dominatus est. Ex hominum quidem, quae vocatur, aetate primus Polycrates est, qui magnam spem habuerit fore ut Ioniae et insularum obtineat imperium. (4) Hoc eum animo agitare intelligens Oroetes, misso nuncio, haec ei dixit: «Oroetes Polycrati haec dicit. Intellexi te magnas res moliri, nec vero pro talibus consiliis satis instructum esse pecunia. Nunc tu, si hocce feceris, et tuas res augebis, et me quoque servabis. Mortem mihi meditatur Cambyses, et hoc satis pro certo mihi renunciatur. (5) Tu ergo et me ipsum fac ex hac terra educas, et pecunias meas exportes; et harum quidem partem tu tene, partem me patere habere harum pecuniarum ope universae Graeciae obtinebis imperium. Quodsi pecuniarum caussa fidem mihi non habueris, mitte qui tibi erit fidissimus, cui ego monstrabo.»

CXXIII. His auditis gavisus Polycrates accepit conditionem; quumque pecuniarum admodum esset cupidus, misit primum speculandi caussa Maeandrium, Maeandrii filium, ex civium numero, qui scriba ejus erat; eumdem qui haud multo post ornamenta omnia exhedrae Polycratis, spectatu utique digna, in Junonis templo dedicavit. (2) Oroetes postquam cognovit exspectari speculatorem, hoc egit: cistas octo lapidibus complevit, valde brevi spatio excepto circa oras, super lapides vero aurum conjecit: tum obligatas cistas in parato habuit. Et Maeandrius ubi advenit spectavitque, renunciavit Polycrati.

CXXIV. Tum ille, quantumvis dehortantibus vatibus, atque etiam amicis, ipse eo proficisci paravit. Adhaec filia ejus per quietem tale viderat insomnium: visus ei erat pater in aere sublimis esse, et lavari a Jove, inungi vero a sole. (2) Hoc quum ei oblatum esset visum, quovis modo contendebat, ne ad Oroeten pater proficisceretur: atque etiam, dum ille actuariam navem conscendebat, ominosis illum verbis est prosecuta. (3) Tum ille ei minatus est, quando salvus rediisset, bene multos annos illam virginem mansuram: et illa precata est, ut rata haec fiant; malle se enim perdiu virginitatem sevare, quam a patre privari.

CXXV. Polycrates itaque, spreto omni consilio, ad Oroeten navigavit, quum alios multos amicorum comites secum ducens, tum in his Democedem, Calliphontis filium, Croniatam, professione medicum, qui artem dexterrime prae caeteris per eam aetatem exercebat. (2) Postquam vero Magnesiam Polycrates pervenit, misere periit, supplicio et persona ipsius indigno, et ingenio: nam, exceptis Syracusiorum tyrannis, ne unius quidem ex aliis Graeci generis tyrannis magnificentia cum Polycrate conferri meretur. (3) Foedo modo et narratu indigno occisum, cruci Oroetes adfixit: quicumque vero ex comitibus illius Samii erant, hos dimisit, gratiam sibi habere jubens, quod libertatem servarent: quotquot vero peregrini aut servi in comitatu ejus fuerant, hos mancipiorum loco habuit. (4) Sic Polycrates ex cruce suspensus universam filiae visionem explevit: lavabatur enim ab Jove, quando pluebat; et inungebatur a sole, humorem ipse e corpore emittens. (5) Igitur cumulatae Polycratis felicitates hunc habuere finem, quemadmodum ei Amasis aegypti rex ominatus erat.

CXXVI. Haud vero multo post etiam Oroeten dirae Polycratis ultrices sunt persecutae. Nam mortuo Cambyse, regnantibus Magis, Sardibus manens Oroetes, nihil juverat rem Persarum, quum eis imperium esset a Medis ademptum: (2) sed in illa rerum perturbatione Mitrobaten interfecit, Dascylei praefectum, qui ei istud de Polycrate exprobraverat; Mitrobatae item filium Cranaspen occidit, ambo spectatos inter Persas viros; tum et alia multa insolentius gessit, et Darii quendam equitem nuncium, quum parum grata ipsi essent quae ille nunciaverat, redeuntem collocatis in via insidiatoribus occidit, et cadaver cum ipso equo ex hominum conspectu removit.

CXXVII. Darius vero, postquam imperium obtinuit, poenas cupiebat ab Oroete sumere, quum reliquorum omnium flagitiorum caussa, tum maxime propter Mitrobatae ejusque filii caedem. (2) Ex aperto vero copias contra eum mittere parum consultum ei videbatur, quippe rebus domi nondum satis tranquillis, et imperio recens inito; tum quod magnam Oroetae esse potentiam cognoverat, ut cui mille praesto essent Persici generis satellites, quique Phrygiam, Lydiam atque Ioniam provincias obtineret. (3) Quae reputans Darius, hancce iniit rationem. Convocatis Persarum spectatissimis, his verbis eos est adlocutus: «Quis mihi e vobis, Persae, recipiet astu se hoc effecturum, non vi et armatorum manu? Nam ubi prudentia opus est, ibi vim adhibere nihil attinet. (4) Vestrûm igitur quis mihi Oroeten aut vivum adduxerit, aut interfecerit? qui de Persis adhuc nihil bene meruit, sed magnis eos malis adfecit; qui et duos e nobis, Mitrobaten ejusque filium, trucidavit, et nuncios a me ad illum evocandum missos interimit, denique insolentiam nullo modo ferendam ostentat. Quare, priusquam majus aliquod malum Persis infligat, caede nobis occupandus est.»

CXXVIII. Hoc quum Darius ab illis quaesisset, triginta viri se offerebant, quorum unusquisque recipiebat, velle se solum rem effectam dare. Quos inter se contendentes cohibuit Darius, sortiri jubens: quod ubi illi fecere, sors prae omnibus Bagaeum designat, Artontae filium. Is igitur sorte ad rem suscipiendam designatus, hanc rationem iniit: (2) libellos plures conscripsit, variis de rebus agentes, quibus sigillum imposuit Darii: dein cum his libellis[TR7] Sardes proficiscitur. Quo postquam advenit, in conspectum Oroetae progressus, singulos deinceps libellos, detracto sigillo, scribae regio tradidit praelegendos: omnibus quippe provinciarum praefectis adsunt regii scribae. (3) Libellos istos Bagaeus tradebat explorandae sententiae caussa satellitum, an ad deficiendum ab Oroeta parati essent futuri. Quos ubi vidit magna veneratione prosequi libellos, majorique etiam veneratione prosequi ea quae e libellis praelegebantur, alium tradidit libellum, in quo haec erant scripta: «Persae, rex Darius vobis edicit, ne amplius apud Oroeten satellitum fungamini officio.» (4) Et illi, his auditis, lanceas coram eo deposuerunt. Tum vero Bagaeus, videns illos in hac re obtemperantes libello, fidenter postremum libellorum scribae tradidit, in quo scriptum erat: «Rex Darius Persas, qui Sardibus sunt, jubet occidere Oroeten.» (5) Quo audito, protinus satellites strinxerunt acinaces, illumque interfecerunt. Tali igitur modo Oroeten persecutae sunt dirae Polycratis Samii ultrices.

CXXIX. Postquam Oroetae res familiaris Susa esset transportata, ibique jam aderat, accidit haud multo post, ut Dario regi, inter venandum ex equo desilienti, pes distorqueretur. Et graviori quodam modo distortus est; nam astragalus ex articulis exierat. (2) Itaque, quum etiam antea existimasset adesse sibi medicorum aegyptiorum eos qui primarii essent in arte medicandi, hisce usus est. At illi torquentes pedem vimque magnam adferentes, malum auxerunt. (3) Postquam igitur totos septem dies septemque noctes per morbum quo conflictabatur insomnes egisset Darius, octavo die graviter admodum laboranti nunciat quispiam, se olim Sardibus Crotoniatae Democedis artem forte audivisse laudari: rexque illum quam primum ad se adduci jussit. (4) Qui ut inter Oroetae mancipia repertus est nescio ubi neglectus, producitur in medium, compedes trahens, et laceros pannos indutus.

CXXX. In medio stantem interrogat Darius, an artem calleret: at ille negavit, veritus ne, si cognosceretur, nulla ipsi spes reliqua foret in Graeciam umquam redeundi. Darius vero satis intelligens dissimulare hominem, et gnarum esse artis; qui adduxerunt eum, flagella et stimulos jussit in medium proferre. (3) Tum ille professus ait, adcurate quidem se artem non callere, sed aliquantulam ejus notitiam habere ex consuetudine quam cum medico quodam habuisset. Deinde, quum rex se illi permisisset, Graecanicis adhibitis medicamentis, et lenibus post vehementiora admotis, effecit ut et somnum caperet rex, et brevi tempore sanum incolumemque praestitit, quum numquam ille rectum pedis usum se recepturum sperasset. (3) Inde duobus paribus aurearum compedum donatus a Dario Democedes, quaerit ex rege, an consulto duplex malum ipsi reddat propterea, quod sanum illum praestitisset. Quo verbo delectatus Darius, ad uxores suas eum ablegavit. (4) Quibus eunuchi, eum producentes, dicebant, esse hunc qui vitam regi reddidisset. Et earum unaquaeque, phialam in auri cistam vi demittens et hauriens, Democeden donavit, adeo quidem largo munere, ut famulus, qui eum sequebatur, cui nomen erat Sciton, ex sublectis stateribus (aureis viginti drachmarum) qui de phialis in terram deciderant, ingentem auri vim sibi collegerit.

CXXXI. Democedes hic tali ratione, relicta Crotone, in Polycratis pervenerat familiaritatem: Crotone premebatur a patre difficili et iracundo; quem quum ferre non posset, relicto eo aeginam abiit. (2) Ibi quum sedem suam fixisset, primo anno alios omnes superavit medicos, imparatus licet, et instrumentis omnibus carens quibus ad eam artem exercendam vulgo utuntur. Itaque secundo anno aeginetae publice eum talento conduxerunt; tertio anno Athenienses, centum minis; quarto vero anno Polycrates duobus talentis. 3) Hoc modo Samum venerat. Et inde ab hoc viro maxime inclaruerunt Crotoniatae medici. Fuit enim tempus quum primarii in Graecia medici dicerentur esse Crotoniatae; tum secundi ordinis, Cyrenaei. Per idem tempus Argivi primarii inter Graecos musici ferebantur.

CXXXII. Tunc vero Democedes, postquam Darium persanavit, maximam Susis domum habuit, et regis fuit commensalis: denique, praeterquam quod in Graeciam redire non licuit, omnium rerum copia adfluebat. (2) Idem aegyptios medicos, qui regem prius curaverant, et nunc in eo erant ut regis jussu palis transfigerentur, quoniam a Graeco medico fuissent superati, hos a rege deprecatus conservavit: item Eleum vatem, qui, Polycratem secutus, nunc inter mancipia neglectus latebat, servitute liberavit. Plurimum enim apud regem Democedes valebat.

CXXXIII. Haud vero ita multo post, aliud quidpiam forte fortuna accidit hujusmodi. Atossae, Cyri filiae, uxori Darii, ortus erat in mamma tumor; qui postquam erupit, latius serpebat. Quam diu minor erat tumor, occultabat eum Atossa, prae pudore nemini indicans: ubi vero jam male erat affecta, accersito Democedi tumorem monstravit. (2) Et ille, sanitati se eam restituturum professus, persuadet reginae, ut interposito jurejurando ipsi promitteret, vicissim ipsam illi in eo quod oraturus esset (nihil autem se petiturum adfirmat quod dedecus adferre possit), operam suam esse collaturam.

CXXXIV. Deinde, quum adhibitis remediis, sanam Democedes praestitisset, tum ab illo edocta Atossa his verbis Darium, dum cubitum eunt, adlocuta est: «Tantis, o rex, quum sis viribus instructus, otiosus sedes; nec populum ullum aut potentiam adquiris Persis. (2) aequum est tamen, ut vir et aetate florens, et magnarum opum dominus, aliquod factum a se gestum ostendat, quo Persae etiam intelligant, a viro se regi. Duobus autem modis tibi hoc facere conducet, ut et Persae sciant virum esse qui illis praesit, et ut ipsi bellis occupentur, ne, dum otium agunt, tibi insidientur. (3) Nunc enim praeclarum aliquod edere facinus licet, dum viget tibi aetas; nam augescente corpore augentur et animi vires; senescente autem corpore, etiam ingenium senescit, et ad res omnes hebetatur.» (4) Quae quum illa, ut erat edocta, dixisset, in hunc modum Darius respondit: «Quae ego ipse facere destinaveram, ea tu omnia, uxor, dixisti. Constitutum enim habeo, duabus continentibus ponte junctis, ex nostra continente in alteram transgredi, et Scythis bellum inferre: atque haec brevi effecta dabo.» (5) Tum Atossa, «Ecce nunc! ait, adversus Scythas primum proficisci omitte: hi enim, quandocumque volueris, in tua erunt potestate: at tu mihi in Graeciam suscipe expeditionem: cupio enim, de quibus fando audivi, Lacaenas et Argivas et Atticas atque Corinthias habere famulas. (6) Est autem tibi praesto vir omnium maxime idoneus, qui cuncta tibi in Graecia demonstret et viae dux sit; is qui tuum pedem sanavit.» (7) Respondit Darius: «Quoniam igitur tibi placet, mulier, ut Graeciam statim experiamur, consultius mihi videtur ex Persis exploratores primum, una cum hoc quem tu dicis, eo mittere; qui, postquam res Graecorum cunctas cognoverint spectaverintque, nobis sint renunciaturi. Ac deinde, rebus omnibus recte cognitis, arma contra illos convertam.»

CXXXV. Haec ille dixit: et dictum factum. Simul ac enim dies illuxit, quindecim probatos ex Persis viros vocat, eisque dat mandatum, ut Democedem comitantes maritima Graeciae loca lustrent, nec vero committant ut ab ipsis profugiat Democedes, sed omnino illum reducant. (2) Haec postquam his mandata dedit, dein ipsum vocat Democedem, illumque orat, ut, postquam itineris dux in Graeciam Persis illis fuisset, totamque eis demonstrasset, ad se revertatur; jubetque eum, ut sua omnia quae moveri possent secum sumat, et dono adferat patri fratribusque; quorum loco se illi alia multis partibus copiosiora in vicem daturum confirmat; praeterea ad dona illa onerariam navem se ei adjecturum, ait, omnigenis bonis refertam, quae simul cum eo sit navigatura. (3) Darius igitur, ut mihi videtur, nullo doloso consilio haec ei est pollicitus. Democedes vero, veritus ne se rex tentaret, haudquaquam cupide oblata omnia arripuit; se, res suas, ait, Susis se relicturum, ut post reditum eas haberet; onerariam autem navem, quam ei promitteret Darius ad dona fratribus perferenda, accipere se, ait. Huic igitur postquam eadem mandata quae Persis dederat Darius, ad mare eos dimisit.

CXXXVI. Itaque hi quum in Phoenicen et Phoenices urbem Sidonem descendissent, protinus duas triremes instruxerunt, simulque cum his ingentem gaulum (onerariam navem) omni bonorum genere impleverunt; rebusque cunctis praeparatis, in Graeciam navigarunt. Quo ubi adpulerunt, oras omnes contemplati sunt descripseruntque; donec, pleraque ejus et maxime notabilia speculati, Tarentum in Italiam pervenerunt. (2) Ibi vero Democedi indulgens Aristophilides, rex Tarentinorum, et gubernacula navium Medicarum solvi jussit, et ipsos Persas detinuit, tamquam speculatores: (3) interimque, dum illis hoc accidit, Democedes Crotonem abiit. Qui postquam domum ad suos pervenit, Persas Aristophilides custodia emisit, et, quae de navibus eorum demerat, illis restituit.

CXXXVII. Inde Persae navibus profecti, Democedem persequentes, Crotonem pervenerunt:[TR8] ubi quum eum in foro versantem invenissent, manus ei injecerunt. (2) Ibi tum Crotoniatarum alii, Persarum opes veriti, tradere illum parati erant; alii vero Persis vicissim manus injicientes, fustibus eos percutiebant. Quibus illi haec verba proferebant: «Viri Crotoniatae, videte quid faciatis! hominem, qui regis servus fugitivus est, eripitis. Quomodo rex Darius patienter feret tali contumelia adfici? et quo pacto vobis impune abibit facinus, si nobis illum eripueritis? Cui prius, quam huic civitati, bellum inferemus? quam priorem sub jugum mittere conabimur?» (3) Haec illi dicentes non moverunt Crotoniatas: sed, erepto sibi Democede, atque etiam gaulo spoliati, quem adduxerant, in Asiam sunt reversi; neque porro Graeciam adire aliasque Graeciae partes cognoscere cupivere, duce privati. Hoc tamen eis abeuntibus mandatum Democedes dedit, nunciarent Dario, Democedem filiam Milonis sibi despondisse uxorem. (4) Erat enim apud regem celebre Milonis nomen luctatoris: atque hac nimirum de caussa videtur mihi Democedes, magna vi pecuniae erogata, properasse hoc matrimonium, ut adpareret Dario, esse ipsum etiam in patria spectatum virum.

CXXXVIII. Crotone profecti Persae, cum navibus in Iapygiam ejecti sunt: ubi quum in servitutem essent redacti, Gillus eos liberavit, exsul Tarentinus, et ad regem Darium reduxit. (2) Pro quo beneficio quum ei, quidquid postulasset, dare paratus rex esset; Gillus, exposita sua calamitate, petiit ut in patriam Tarentum ex exsilio restitueretur. Ne autem Graeciam conturbaret, si propter

ipsum magna classis in Italiam navigaret, Cnidios solos, ait, ad se reducendum sufficere; ratus, ab his maxime, quippe Tarentinorum amicis, reditum sibi procuratum iri. (3) Id Darius recepit ei, et promisso stetit: misso enim ad Cnidios nuncio, imperavit his ut Tarentum reducerent Gillum. Sed Cnidii, Dario obsequentes, Tarentinis ut eum reciperent non persuaserunt; ad vim vero adhibendam parum validi erant. (4) Ita igitur hae res gestae sunt: hique primi fuere Persae, qui ex Asia in Graeciam venere, et talem ob caussam speculatum erant missi.

CXXXIX. Post haec Samum cepit rex Darius: estque haec prima ex urbibus vel Graecorum vel barbarorum, quae sub illius imperio vi capta est. Capta est autem tali ex caussa. Quo tempore Cambyses expeditionem in aegyptum suscepit, frequentes Graeci in aegyptum venerant; alii, ut consentaneum est, negotiandi caussa, alii militandi, alii solummodo spectandae gratia regionis. Horum in numero Syloson erat, aeacis filius, frater Polycratis, Samo exsulans. (2) Huic Sylosonti, talis quaedam oblata fortuna est: sumpto rutilo pallio, hoc circumdatus obambulabat Memphi in foro: quem ubi conspexit Darius, qui satelles tunc erat Cambysis, nec ullodum nomine clarus; cupidine pallii captus, adit Sylosontem, illud mercaturus. (3) Syloson, vehementer cupidum amiculi videns Darium, divino quodam instinctu ait: «Equidem hoc pallium nullo vendo pretio: do tibi vero gratis, si omnino ita tuum illud fieri cupis.» Quo laudato responso, accipit pallium Darius.

CXL. Jamque existimabat Syloson, se propter nimiam animi bonitatem amiculum hoc perdidisse. Interjecto vero tempore, postquam mortuo Cambyse adversus Magum conjuraverant septemviri, et ex septemvirorum numero Darius regnum obtinuerat; rescivit Syloson, in manus ejusdem viri transiisse regnum, cui olim ipse in aegypto amiculum, quod ille petiisset, dedisset dono. (2) Itaque Susa adscendit, sedensque in vestibulo aedium regiarum, ait, se de Dario bene meruisse. Id ubi audivit portae custos, renunciavit regi; et ille miratus, ait ad eum: «Quis tandem Graecus est, qui bene de me meruerit, cui ego gratiam debeam, qui nuper modo regnum obtinui. Vix unus aut nullus adhuc ex illa gente ad me adscendit: neque quidquam dicere possum quod Graeco cuiquam homini debeam. Verumtamen producite eum intro, ut sciam quid sibi velit homo, quod istud dicat.» (3) Introducit janitor Sylosontem; stantemque in medio interrogant interpretes, quis sit, et quo facto bene se de Rege meruisse dicat. Exponit igitur ille rem omnem ad amiculum spectantem; adfirmatque se illum esse qui ei illud dono dederit. (4) Tum rex, «O liberalissime hominum, ait, tu ergo ille es, qui mihi nullamdum potestatem habenti donum dedisti! quod etsi exiguum, tamen prorsus aequale est beneficium, ac si nunc magnum quidpiam alicunde accipiam. Pro quo tibi ego ingens auri argentique pondus reddo, ne umquam te poeniteat, Dario Hystaspis filio beneficium contulisse.» (2) Ad haec Syloson: «Nec auro me, rex, nec argento dona; sed patriam meam Samum serva, mihique redde; quam nunc, postquam frater meus Polycrates ab Oroete interfectus est, tenet servus noster. Hanc mihi da, a caedibus et servitute liberatam.»

CXLI. His auditis, Darius exercitum misit ducemque Otanen, unum e numero septemvirorum, cui mandat ut omnia effecta det quae Syloson petiisset. Itaque ad mare descendit Otanes, exercitumque contraxit.

CXLII. Sami tunc imperium tenebat Maeandrius, Maeandrii filius, cui cura regni a Polycrate fuerat commissa. Hic, quum voluisset vir esse omnium justissimus, perficere propositum non potuerat. Postquam enim nunciatus ei interitus erat Polycratis, haecce fecit. (2) Primum, Jovis Liberatoris aram constituit, et templum circa illam designavit, hoc ipsum quod etiam nunc est in suburbio. Dein, hoc perfecto, concione convocata civium omnium, haec apud eos verba fecit: «Mihi, ut etiam nostis ipsi, sceptrum Polycratis atque potestas omnis commissa est: nihilque nunc prohibet, quominus regnum in vos capessam. (3) At, quod in aliis ego reprehendo, id quantum in me est, non faciam ipse: nec enim mihi Polycrates placuit, in viros sibi pares dominium exercens; nec alius quisquam, qui hoc facit. Polycrates igitur nunc fatum suum explevit: ego vero, regnum in medio deponens, juris aequabilitatem vobis pronuncio. (4) aequum tamen censeo, ut haecce mihi praemia honoresque tribuantur: ex pecuniis Polycratis praecipua sex talenta: tum sacerdotium mihi meisque in omne tempus posteris postulo Jovis Liberatoris, cui et templum ego dedicavi, et cujus nomine libertatem vobis trado.» (5) Haec quum a Samiis Maeandrius postulasset, surgens aliquis ait: «At non tu dignus es qui nobis imperes, pravus qui fuisti et pestifer homo; quin potius pecuniarum, quas administrasti, facito reddas rationem.»

CXLIII. Haec dixit homo spectatus inter cives, cui erat nomen Telesarchus. Tum vero Maeandrius, secum reputans, si dominatum ipse deponeret, fore ut alius quispiam in ipsius locum tyrannus constituatur, non jam amplius deponere potestatem decrevit: sed, postquam in arcem est reversus, singulos deinceps ad se vocavit, quasi rationem redditurus administratae pecuniae; eosque comprehensos in vincula conjecit. (2) Qui dum ita in custodia servantur, posthaec Maeandrius in morbum incidit. Tunc frater ejus, cui nomen erat Lycaretus, moriturum illum ratus, quo facilius ipse rerum Sami potiretur, vinctos cunctos interfecit. Nec enim, ut videtur, voluerant illi ea conditione quam eis Lycaretus proposuit liberari.

CXLIV. Jam postquam Persae Samum venerunt, Sylosontem in regnum restituturi, nemo manus contra eos sustulit: sed, qui Maeandrio favebant, atque ipse etiam Maeandrius, professi sunt, paratos se esse data fide excedere insula. Quam conditionem quum probasset Otanes, fidemque dedisset et accepisset; Persarum nobilissimi, positis sellis, ex adverso arcis residebant.

CXLV. Erat Maeandrio tyranno frater haud satis compos mentis, nomine Charilaus; qui, quod nescio quid deliquerat, in subterraneo carcere vinctus erat. Hic tunc, postquam quae gerebantur audivit, et per carceris fenestram prospectans Persas vidit tranquille sedentes, clamavit, dicens velle se in colloquium venire Maeandrio. (2) Quo audito, Maeandrius vinculis eum solvi jussit, ad seque adduci. Et ille, simulatque adductus est, increpans fratrem et ignavum adpellans, persuadere ei conatus est, ut in Persas impetum faceret, his usus verbis: «me vero, inquit, o hominum pessime, tuum fratrem, qui nihil deliqui quod vinculis dignum esset, ad vincula et subterraneum carcerem condemnasti: (3) Persas vero quum videas te ejicientes et in exsilium agentes, non audes poenam ab illis repetere, licet ita facile opprimi possint! Quodsi tu illos perhorrescis, at mihi da auxiliares, et ego ab illis ob terrae nostrae invasionem poenam sumam: teque ipsum paratus sum ex insula deducere.»

CXLVI. Haec ab Charilao dicta probavit Maeandrius; ut mihi quidem videtur, non quod eo stultitiae venisset, ut existimaret suas copias superiores futuras copiis regis; sed potius invidens Sylosonti, si civitatem salvam et integram nullo labore obtinuisset. (2) Itaque, irritando Persas, voluit res Samiorum quammaxime infirmas reddere, atque ita urbem tradere: bene quippe gnarus, si male acciperentur Persae, tanto magis eos exasperatum iri adversus Samios; et notum sibi exitum habens, per quem tuto ex insula evadere, simulatque voluisset, posset; effodiendum enim sibi curaverat occultum cuniculum, ex arce ad mare ducentem. (3) Ipse igitur Maeandrius Samo navi egreditur: Charilaus vero auxiliares cunctos armis instructos, apertis portis, adversus Persas educit, nihil tale exspectantes, omniaque convenisse existimantes. (4) Et auxiliares, impetu facto, Persarum eos qui sellis gestabantur et nobilissimi erant, interficiebant. Dum vero hi id faciunt, suppetias interim adcurrunt reliquae Persarum copiae: a quibus repulsi auxiliares, in arce sunt conclusi.

CXLVII. Otanes vero dux, ingentem videns calamitatem, quam passi erant Persae, neque mandata ignorans, quae illi Darius, quum eum Samum mitteret, dederat, ne Samiorum quemquam vel occideret vel in servitutem redigeret, sed immunem malorum insulam traderet Sylosonti; mandata ista lubens volens oblitus est, edixitque exercitui, quemcumque nacti essent, sive virum, sive puerum, eum perinde interficerent. (2) Ibi tum militum alii oppugnarunt arcem, alii vero obvium quemque interfecerunt, nullo discrimine sive sacro in loco, sive in profano.

CXLVIII. Maeandrius, Samo ubi profugerat, Lacedaemonem navigavit. Quo postquam pervenit, resque, quas secum advexerat, in hospitium transferendas curavit, hocce instituit facere. Pocula subinde exponebat argentea et aurea, eaque extergebant famuli: et ille per idem tempus cum Cleomene, Anaxandridae filio, rege Spartanorum, sermones miscens, secum in hospitium illum ducebat; ubi quum pocula videns Cleomenes admiratione stuperet, ille eum jubebat ex his secum auferre quaecumque voluisset. (2) Id quum bis aut ter Maeandrius dixisset, justissimus vir fuit Cleomenes, qui accipere oblata dedignatus, quum animadverteret, si aliis civium eadem offerret, auxilia eum inventurum, ephoros adiit, dixitque, ex usu esse Spartae, ut Samius hospes Peloponneso egrediatur; ne aut se aut alium ex Spartanis corrumpat. Qua re audita, ephori per praeconem abire Maeandrium jusserunt.

CXLIX. Persae vero Samum, veluti verriculo captam, hominibusque nudatam, Sylosonti tradiderunt. Insequente vero tempore dux Otanes eamdem incolis rursus frequentavit, viso nocturno monitus, et morbo laborans, quo pudenda ejus erant adfecta.

CL. Postquam navalis exercitus Samum erat profectus, Babylonii a Persis defecerunt, rebus omnibus bene admodum praeparatis. Nam quo tempore Magus regnavit, et adversus eum septem viri insurrexerunt, per omne id tempus, per illamque rerum perturbationem, ad tolerandam obsidionem sese praeparaverunt. Et initio quidem occulte quodammodo id fecerant. (2) Ex quo autem de professo descivere, haecce fecerunt: matribus exceptis, et una ex uxoribus quam quisque sua e domo exemptam voluerat, reliquas omnes mulieres congregatas suffocarunt; unam autem, quam dixi, eximebat quisque quae panem conficeret. Suffocarunt autem illas, ne frumentum ipsorum consumerent.

CLI. His rebus cognitis Darius, contractis universis suis copiis, adversus eos profectus est; admotoque exercitu, obsedit urbem. At obsidionem pro nihilo habebant Babylonii; nam in propugnacula muri adscendentes tripudiando insultabant irridebantque Darium et ejus exercitum; unusque eorum hoc verbum emisit: «Quid hic sedetis, Persae? quidni abitis? tunc enim nos capietis, quando mulae pepererint.» Hoc dixit Babyloniorum aliquis, existimans numquam mulam parituram.

CLII. Integer annus jam et septem menses erant elapsi, taedioque adfectus erat Darius ejusque exercitus, quod expugnare Babylonem non valerent. (2) Nam omnibus licet artificiis omnibusque machinamentis adversus eos adhibitis, non tamen poterat Darius eos expugnare, id quod tentaverat et aliis artificiorum generibus, et illo etiam quo Cyrus urbem ceperat: sed ita diligenter custodias agebant Babylonii, ut capi nullo pacto potuerint.

CLIII. Ibi tum, quum vicesimus ageretur mensis, Zopyro Megabazi filio hujus, qui e septem virorum numero fuit a quibus Magus interemptus est, huic, inquam, Megabazi filio Zopyro tale obtigit prodigium: una ex ipsius mulis frumentum vehentibus peperit. (2) Quod quum Zopyro esset renunciatum, et ille, ut qui fidem nuncio non adhiberet, pullum ipse spectasset, imperavit servis ut nemini edicerent factum, secumque deliberavit. (3) Recordatus igitur Babylonii illius verbum, qui initio dixerat, tunc Babylonem captum iri, quum mulae pepererint, ex hujus verbis omen colligebat Zopyrus, capi nunc Babylonem posse: nec enim illum sine dei numine id dixisse, et sibi nunc mulam peperisse.

CLIV. Quum igitur in fatis esse illi videretur, ut nunc Babylon caperetur, Darium adiens quaesivit ex eo, an utique maximi faceret capi Babylonem. Accepto responso, maximi id facere regem; secundo loco secum deliberavit, quo pacto ipse esset qui illam caperet, ipsiusque hoc facinus esset futurum: nam apud Persas praecipue res praeclare gestae maximis honoribus rependuntur. (2) Nulla vero alia ratione fieri posse, ut illam in potestatem redigeret, judicavit, nisi si se ipse mutilasset, atque ita ad illos transfugisset. Ibi tum, parvi hoc pendens, insanabili mutilatione se ipse adficit: quippe abscissis naribus auribusque, coma male tonsa, flagellis item laceratus, Darium adit.

CLV. Darius, ubi virum nobilissimum ita vidit mutilatum, gravissime adfectus, e solio subsiliens exclamat, ex eoque quaerit, quis eum ita mutilaverit, quave de caussa. (2) Cui Zopyrus respondit: «Non est is alius nisi tu, qui tantam habes potestatem, ut ego hoc modo sim adfectus. Nec vero alienus quispiam, o rex, me ita adfecit, sed ego ipse me, indignatus Assyriis Persas deridentibus.» (3) Tum Darius, «O miserrime hominum, ait, foedissimo facto pulcerrimum nomen imposuisti, quum te profitearis propter hos, quos obsidemus, te ipsum tam insanabili modo adfecisse. Quo vero pacto, stulte, quod tu ita mutilatus sis, eo citius in potestatem redigentur hostes? Anne mente es alienatus, qui te ita perdidisti?» (4) Respondit ille: «Atqui, si tecum communicassem quae facturus eram, tu me prohibuisses: nunc privato id feci consilio. Jam ergo, nisi tu iis quae tui muneris sunt defueris, capiemus Babylonem. Nam ego, ita ut sum adfectus, ad murum pro transfuga me conferam, dicens illis, a te me haec esse passum: et puto, quum rem ita se habere

iis persuasero, exercitum mihi commissum iri. (5) Tu vero, a quo die ego murum ero ingressus, decimo inde die de illa copiarum tuarum parte, cujus jacturam minime aegre laturus sis, mille homines contra portam colloca quae Semiramidis vocatur. Deinde rursus septimo ab illo decimo, alios bis mille contra Niniam, quae vocatur, colloca portam. Ab hoc vero septimo die intermitte dies viginti, deinde alios contra Chaldaeam, quam vocant, duc portam, ibique locum capere jube quater mille numero. (6) Nec vero priores, neque hi, aliud quo se tueantur habeant praeter gladios: his tamen armatos esse sinito. Post illum vero vicesimum diem continuo reliquum exercitum jube murum circumcirca adgredi: Persas autem mihi ad Belidem, quam vocant, et ad Cissiam colloca portam. Nam, ut equidem puto, postquam praeclara edidero facta, et reliqua meae fidei committent Babylonii, et portarum obices. Exinde meum erit et Persarum, curare ut quae ex usu sint faciamus.»

CLVI. Haec postquam mandavit, ad portam perrexit; subinde retro se convertens, tamquam vere transfuga. Quem ubi conspexerunt qui in turribus speculandi caussa stationem habebant, raptim descendunt, et paululum reclinata altera portae ala interrogant, quis sit, et qua caussa advenerit. (2) Et ille, Zopyrum se esse, dixit, et ut transfugam ad eos venire. Quo audito, portae custodes in curiam Babyloniorum eum duxerunt: ubi coram senatu constitutus, sortem suam deplorans, ait, a Dario se haec (quae sibi ipse inflixerat) esse passum, eo quod illi suasisset abducere exercitum, quandoquidem nulla via capiendae urbis ostenderetur. (3) «Et nunc ego (sic dicere perrexit) ad vos, Babylonii, veni, maximo vobis commodo futurus, Dario atuem ejusque exercitui et Persis maximo detrimento. Nec enim nimirum impune ille feret, qui hoc me modo mutilaverit: exploratas autem habeo omnes consiliorum ipsius vias.»

CLVII. Quae ubi ille locutus est, videntes Babylonii virum inter Persas nobilissimum naribus auribusque mutilatum, et cruore ex flagellis inquinatum, prorsus existimaverunt vera eum dicere, et ut socium sibi advenisse. Itaque parati erant ei indulgere quae ab ipsis postulasset; postulabat autem armatorum manum. (2) Tum vero ille, postquam copias ab iis impetravit, ea facere instituit de quibus illi cum Dario convenerat. Decimo die, educto Babyloniorum exercitu, mille illos, quos primos certo loco locare mandaverat Dario, circumdatos interfecit. (3) Jamque intelligentes Babylonii, factis eum verba aequare, maximo gaudio perfusi, in omnibus ei parere erant parati. Tum ille, interjecto dierum numero de quo convenerat, iterum selectos Babyloniorum eduxit, et bis mille illos, quos supra dixi, Darii milites interfecit. (4) Igitur hoc etiam factum ubi viderunt Babylonii, omnium ore Zopyrus celebrabatur laudibus. At ille rursus, intermisso definito dierum numero, in locum constitutum copias eduxit, et circumdatos quater mille interfecit. (5) Qua denuo re gesta, jam omnia Zopyrus apud Babylonios erat, et imperii summa et muri custodia eidem permissa est.

CLVIII. Deinde vero, ut ex composito Darius murum circumcirca oppugnare est adgressus, ibi tum Zopyrus dolum universum nudavit. Nam, dum Babylonii conscenso muro repellere oppugnantem Darii exercitum conantur, Zopyrus interim aperta Cissia et Belide porta Persas intra murum recepit. (2) Quod factum qui viderunt Babylonii, hi in Jovis Beli templum confugerunt: qui vero non viderunt, in suo quisque manserunt ordine, donec et hi proditos se esse intellexerunt.

CLIX. Igitur hoc modo capta iterum Babylon est. Darius vero, urbe potitus, et murum ejus diruit, et portas omnes detraxit; quorum neutrum Cyrus fecerat, postquam primum Babylonem cepit. Adhuc ex primariis civibus ter mille admodum e palis suspendi Darius jussit, reliquis vero Babyloniis urbem reddidit habitandam. (2) Quo vero mulieres haberent Babylonii, et soboles eis subnasceretur (quandoquidem, ut initio expositum est, suas suffocaverant Babylonii, rei frumentariae consulentes), tali ratione inita Darius providit: circum habitantibus populis imperavit, ut mulieres Babylonem, certum cuique populo numerum definiens, mitterent. Ita mulierum summa, quae convenerunt, fuit quinquaginta millium; quibus e mulieribus prognati sunt qui nunc sunt Babylonii.

CLX. Dario vero judice, nemo Persarum, nec eorum qui ante, nec qui post fuerunt, melius de Persis meritus est quam Zopyrus, uno Cyro excepto: nam cum hoc se conferre nemo adhuc Persarum ausus est. (2) Fertur autem saepius hanc sententiam declarasse Darius, malle se, Zopyrum indigna illa mutilatione non esse adfectum, quam viginti Babylones sibi ad eam quae nunc est accedere. Magnifice autem illum honoravit: nam et munera illi quotannis tribuit ea, quae honorificentissima sunt apud Persas, et Babylonem eidem, quoad victurus esset, administrandam concessit, ita ut nullum tributum regi penderet; et alia multa insuper munera ei contulit. (3) Zopyri hujus filius fuit Megabyzus ille, qui in aegypto dux exercitus fuit adversus Athenienses atque socios: hujusque Megabyzi filius fuit Zopyrus is, qui ad Athenienses transfugit a Persis.

HERODOTI HISTORIARUM LIBER QUARTUS. (MELPOMENE.)

I. Capta Babylone, jam adversus Scythas expeditionem Darius suscepit. Quum enim viris floreret Asia, et magnae redirent pecuniae, cupido incessit Darium poenas sumendi ab Scythis, quod illi, incursione facta in Medicam terram, et praelio victis adversariis, priores initium fecissent injuriarum. (2) Etenim, ut supra dixi, per duodetriginta annos Scythae superioris Asiae tenuerant imperium: quippe persequentes Cimmerios, irruptione in Asiam facta, Medos imperio exuerant, qui ante Scytharum adventum imperaverant Asiae. (3) Scythas autem, postquam octo et viginti annos domo abfuerant, et tam longo interjecto tempore in patriam erant reversuri, excepit non minor, quam Medicus fuerat, labor: offenderunt enim occurrentem sibi exercitum haud exiguum. Scilicet uxores Scytharum, dum per longum temporis spatium domo aberant viri, cum servis habuerunt consuetudinem.

II. Servos autem cunctos excaecant Scythae, lactis caussa, cujus potu utuntur. Emulgent vero lac hoc modo: fistulas sumunt osseas, tibiis simillimas; quibus in equarum genitalia insertis, sufflant ore; et dum alter sufflat, alter mulget. Id ea caussa se facere aiunt, quod venae equarum ita inflatae repleantur, et deprimantur ubera. (2) Postquam emulsere lac, in cava vasa lignea infundunt, illudque caecorum operâ, continua serie circum vasa collocatorum, agitant: tum, quod supernatat, id desuper exhauriunt, exquisitius aestimantes; quod subsidit, minoris aestimant altero. (3) Hujus operae caussa, quemcumque bello capiunt Scythae, eum excaecant: nec enim aratores sunt, sed pastores.

III. Ex his igitur servis et ex Scytharum uxoribus prognata erat juventus: qui, cognita sua origine, illis ex Media redeuntibus sese opposuerunt. Ac primum quidem regionem interceperunt lata ducta fossa, quae a Tauricis montibus ad Maeotin paludem, vastissimam illam, pertinebat. Deinde conantibus irrumpere Scythis, oppositis castris, repugnarunt. (2) Frequentibus commissis praeliis, quum nihil Scythae pugnando proficerent, unus ex eis haec verba fecit: «Quidnam rei facimus, Scythae! cum servis nostris pugnantes interficimur ipsi minuimurque; et, illos si interficimus, paucioribus deinde imperabimus. (3) Videtur igitur mihi, omissis hastis et sagittis, unumquemque nostrûm debere flagellum sumere equi sui, atque ita adversus istos pergere. Quam diu enim nos illi viderunt arma gestantes, similes esse nostrûm et ex similibus se genitos putarunt: qui si nos viderint armorum loco flagellis instructos, intelligent servos se esse nostros; et conditionis suae conscii, nos non sustinebunt.»

IV. Haec ubi audiverunt Scythae, effecta dederunt: et illi, perculsi facto, omissa pugna, fugam arripuere. Ita Scythae, Asiae imperio potiti, rursusque a Medis ejecti, suam in terram isto modo rediere: eaque caussa poenas ab illis sumere cupiens Darius exercitum adversus eos contraxit.

V. Scythae, ut ipsi aiunt, gens sunt novissima omnium, originemque gentis hanc fuisse narrant. Primum hominem in illa terra, quae deserta tunc fuisset, natum esse, cui nomen fuerit Targitaus. Hujus Targitai parentes fuisse aiunt, parum mihi credibilia narrantes, aiunt vero utique, Jovem et Borysthenis fluvii filiam. Tali igitur genere ortum esse Targitaum: huic autem filios fuisse tres, Lipoxain, et Arpoxain, minimumque natu Colaxain. (2) His regnantibus, de coelo delapsa aurea instrumenta, aratrum et jugum et bipennem et phialam, decidisse in Scythicam terram. Et illorum natu maximum, qui primus conspexisset, propius accedentem capere ista voluisse; sed, eo accedente, aurum arsisse. (3) Quo digresso, accessisse alterum, et itidem arsisse aurum. Hos igitur ardens aurum repudiasse; accedente vero natu minimo fuisse exstinctum, huncque illud domum suam contulisse: qua re intellecta, majores fratres ultro universum regnum minimo natu tradidisse.

VI. Jam a Lipoxai progenitum esse aiunt illum Scythicum populum, qui Auchatae vocantur: a medio vero fratrum Arpoxai hos, qui Catiari et Traspies: a natu minimo vero Reges [sive Regios], qui Paralatae nominantur: universis vero commune nomen esse Scolotos, de regis nomine. Scythas vero Graeci nominarunt.

VII. Hac igitur origine se ortos aiunt Scythae: annos autem, ex quo ortum cepissent, a primo rege Targitao usque ad Darii in Scythiam transitum, in universum elapsos aiunt mille admodum, non amplius, sed hunc ipsum annorum numerum. (2) Sacrum autem illud aurum custodiunt Reges summa cura; et quotannis ibi conveniunt ubi asservatur, majoribus sacrificiis placantes. (3) Dicuntque Scythae, quicumque festis illis diebus aurum hoc sacrum tenens obdormiverit sub dio, hunc non transigere illum annum; ob eamque caussam dono ei dari tantum, quantum ille uno die equo vectus circumire potuisset. (4) Quum sit autem ampla terra, tria regna aiunt Colaxain filiis suis constituisse; ex eisque unum regnum fecisse maximum, in quo aurum illud servetur. (5) Quae vero loca versus septemtrionem sita sunt supra eos qui superiores Scythiae partes incolunt,

ea ulterius spectari aut peragrari non posse aiunt, propter diffusas plumas: plumis enim et terram et aerem esse oppletum, hisque intercludi prospectum.

VIII. Ista quidem Scythae de se ipsis, et de regione quae supra ipsorum ditione sita est, narrant: Graeci vero ad Pontum Euxinum habitantes haecce. Herculem, aiunt, Geryonis boves agentem, in hanc terram venisse, tunc desertam, quam nunc Scythae habitant; Geryonem autem extra Pontum habitasse insulam illam, quam Erytheam Graeci vocant, prope Gadira (sive Gades) extra Herculis columnas in Oceano. (2) Oceanum autem, ab ortu solis initium capientem, universam circumfluere terram, verbis quidem adfirmant, re autem ipsa non demonstrant. Inde igitur Herculem in eam regionem, quae Scythia nunc vocatur pervenisse. (3) Nempe, ingruente tempestate geluque, quum adducta super se pelle leonina obdormivisset, equas de curru ipsius, interim pascentes, divina quadam sorte evanuisse.

IX. Tum Herculem, ubi expergefactus esset, quaesisse equas; et, peragrata universa regione, postremo in Hylaeam (Silvosam) quae vocatur terram pervenisse, ibique in antro semivirginem quamdam Echidnam (viperam) invenisse mixtae naturae: superiora quippe, inde a natibus, feminae fuisse, inferiora vero serpentis. (2) Hanc quum conspexisset miratusque esset, quaesisse ab ea, an equas alicubi vidisset oberrantes. Cui illam, se ipsam eas habere, respondisse; nec vero illi reddituram, nisi secum concubuisset. Et Herculem hac mercede cum illa coiisse: (3) at illam distulisse equarum redditionem, quum cuperet quam diutissime consuetudinem cum Hercule habere; hunc vero receptis equabus voluisse abire. Ad extremum redditis illis dixisse Echidnam: «Jam has equas, quum huc venissent, ego tibi servavi; tuque servatarum solvisti pretium; concepi enim ex te tres filios: (4) qui quando adoleverint, quid iis faciam, tu doce; hacne in terra, cujus ego sola teneo imperium, sedes illis tribuam; an ad te dimittam.» Cui haec interroganti illum in hunc modum aiunt respondisse: «Postquam eos videris aetatem ingressos, recte feceris si haecce institueris (5) quem tu illorum videris arcum hunc modo tendentem, et hoc cingulo sese ita cingentem, ei hanc terram tribue habitandam; qui vero opera haec, quae praescribo, facere non potuerit, eum ex hac terra emitte. Hoc ubi feceris, et ipsa laetaberis, et mandata mea peregeris.»

X. Herculem igitur alterum ex arcubus (duos enim ad id tempus gestasse) adduxisse, et aptandi cinguli rationem praemonstrasse: traditoque dein et arcu et cingulo, quod in extrema commissura auream habuisset phialam, abiisse. (2) Tum illam, postquam filii ex ea nati ad virilem pervenissent aetatem, nomina primum eis imposuisse; uni, Agathyrso; alteri, Gelono; novissimo, Scythae: deinde dati mandati memorem, exsecutam esse mandata. (3) Et duos quidem ex filiis, Agathyrsum et Gelonum, quum proposito certamini impares inventi fuissent, terra excessisse, a matre expulsos. Natu vero minimum eorum, Scytham, qui rem perfecisset, in terra illa mansisse: (4) ab illoque Scytha, Herculis filio, genus ducere quicumque dein reges fuerint Scytharum; et ab illa phiala Scythas ad hanc usque aetatem phialas gestare ex cingulo suspensas. Hoc igitur solummodo matrem huic Scythae parasse. Et haec quidem Graeci narrant Pontum adcolentes.

XI. Est vero etiam alia narratio, ita habens; cui potissimum equidem adsentior. Scilicet, Scythas Nomades (pastores) Asiam incolentes, bello pressos a Massagetis, trajecto Araxe fluvio in terram

abiisse Cimmeriorum: quam enim nunc terram Scythae tenent, ea olim Cimmeriorum fuisse traditur. (2) Cimmerios autem, invadentibus terram ipsorum Scythis, quum deliberarent, utpote ingente irruente exercitu, diversas abiisse in sententias; fortiter quidem propugnatam utramque, fortiorem vero eam pro qua reges stabant. Populi enim fuisse sententiam, excedendum esse terra, neque manendum et adversus plures adeundum periculum: regum vero, pro terra utique dimicandum cum invadentibus. (3) Atqui nec regibus populum voluisse parere, nec reges populo. Itaque his fuisse constitutum, non tentata pugna abire, et invadentibus permittere terram: regibus vero placuisse, sua potius in patria occumbentes sepeliri, quam cum plebe aufugere; reputantes quantis bonis essent fruiti, et quantis malis se pressum iri consentaneum esset, si ex patria profugissent. (4) Talis quum fuisset utrorumque sententia divisis agminibus, numero utrimque paribus, inter se mutuo pugnam civisse; et hos quidem, qui a regum partibus stetissent, a popularibus suis interfectos esse cunctos, sepultosque a plebe Cimmeriorum ad Tyram fluvium, ubi ad hunc diem conspicitur illorum sepulcrum; quibus sepultis, plebem terra excessisse; supervenientes vero Scythas desertam terram occupasse.

XII. Est autem ad hunc diem in Scythica terra Cimmerium castellum; sunt et Porthmea Cimmeria (in ostio Maeotidis paludis); est item regio cui Cimmeria nomen; est Bosporus, Cimmerius cognominatus. (2) Satis vero etiam constat, Cimmerios, quum a Scythis expulsi in Asia se reciperent, peninsulam illam colonis frequentasse, in qua nunc Sinope, Graeca civitas, condita est; (3) constatque etiam, Scythas, quum illos persequerentur, et Medicam terram invaderent, a via aberrasse: Cimmerii enim fugientes, semper secundum mare progressi sunt; Scythae vero Caucaso ad dextram relicto eos sunt persecuti, itinere in mediterranea converso. Haec est altera narratio, in qua referenda Graecis convenit cum barbaris.

XIII. Sed Aristeas, Caystrobii filius, Proconnesius, in epico carmine ait, Phoebi instinctu se ad Issedonas pervenisse; super Issedonibus vero habitare Arimaspos, homines unoculos; super his auri custodes Grypas; ulterius Hyperboreos, ad mare pertinentes. (2) Hos igitur cunctos, exceptis Hyperboreis, initio facto ab Arimaspis, bellum constanter inferre finitimis: et ab Arimaspis quidem sedibus suis pelli Issedonas, ab Issedonibus vero Scythas; Cimmerios vero, ad australe mare habitantes, pressos a Scythis, terram suam deseruisse. Ita ne huic quidem de hac regione convenit cum Scythis.

XIV. Quae patria fuerit hujus Aristeae, qui ista versibus descripsit, dictum est: commemorabo vero etiam id, quod de eodem in Proconneso et Cyzico narratum audivi. Aristeam, narrant, nulli civium nobilitate generis secundum, quum fullonis ingressus esset officinam in Proconneso, ibidem mortuum esse; et fullonem, occlusa officina, ad propinquos mortui perrexisse, rem nunciaturum. (2) Quumque jam rumor pervulgatus esset per urbem, mortuum esse Aristeam; controversiam his qui id dicebant movisse civem Cyzicenum, ex Artaca oppido venientem, adfirmantemque obviam se illi venisse Cyzicum versus eunti, cum eoque sermones miscuisse. (3) Dum hic ita cum contentione disceptat, interim propinquos mortui ad fullonis adfuisse officinam, secum adferentes quae usui essent ad tollendum mortuum: sed aperto conclavi, nec mortuum Aristeam, nec vivum, comparuisse. (4) Septimo vero post anno rursus Proconnesum venisse, et carmen illud composuisse, quod a Graecis nunc Arimaspea nominatur: id autem postquam composuerit, iterum e conspectu hominum evanuisse. Ista quidem narrant illae civitates.

XV. Hoc vero scio Metapontinis in Italia accidisse, anno postquam iterum evanuerat Aristeas trecentesimo quadragesimo, quemadmodum conferendo quae et Proconnesi et Metaponti narrentur reperi. (2) Aiunt Metapontini, Aristeam sibi sua in terra adparuisse, jussisseque ipsos aram statuere Apollini, et statuam juxta illam aram ponere, quae nominaretur Aristeae Proconnesii. Dixisse enim, in solam ipsorum, ex omnibus Italiotis, regionem venisse Apollinem; et se, qui nunc Aristeas sit, illum esse comitatum; fuisse autem tunc, quum illum sequeretur, corvum. (3) His dictis, illum evanuisse. Aiunt autem Metapontini, se Delphos misisse qui consulerent oraculum, quodnam illud esset hominis spectrum; respondisseque Pythiam, ipsis parendum esse spectri mandatis; id si fecissent, bene eis cessurum. Se igitur, accepto hoc responso, exsecutos esse mandata. (4) Atque nunc stat Metapontii in foro statua, quam Aristeae statuam vocant, juxta ipsam Apollinis statuam collocata, et lauri arbores illam circumstant. Sed haec de Aristea hactenus dicta sunto.

XVI. Regione ea, de qua hunc sermonem facere institui, quid sit superne ulterius, nemo adcurate novit. Neminem quippe, qui suis id oculis conspexisse adfirmaret, potui reperire: etenim ne Aristeas quidem, cujus modo mentionem feci, ne hic quidem ultra Issedonas pervenit, ut in carmine suo ipse profitetur; sed, quae de eis narrat qui supra hos habitant, ea fando accepta narravit, dicens Issedonas esse qui id tradant. Sed nos quidem, quoad longissime auditu cognoscere adcurate potuimus, omnia referemus.

XVII. A Borysthenitarum emporio, quod in medio maxime universae orae maritimae Scythiae situm est; ab hoc, inquam, primi Callippidae habitant, qui sunt Graeci Scythae: tum super his alius populus, qui vocantur Alazônes. (2) Hi atque Callippidae in caeteris quidem Scytharum instituta sequuntur, frumentum vero et serunt et comedunt, itemque cepas et allium et lentem et milium. (3) Supra Alazones habitant Scythae Aratores; qui frumentum serunt, non in cibi usum, sed vendendi caussa. (4) Super his Neuri habitant. A Neuris vero septemtrionem versus deserta hominibus terra est, quoad nos novimus. Hi sunt populi juxta Hypanin fluvium, ab occidente Borysthenis.

XVIII. Trans Borysthenem, prima mari regio Hylaea est. Ab hac proximi habitant Scythae Agricolae, quos Graeci Hypanin fluvium adcolentes Borysthenitas nominant, ipsi autem se Olbiopolitas. (2) Hi igitur Scythae Agricolae ad orientem Borysthenis habitant ad trium iter dierum, pertinentque usque ad fluvium cui nomen Panticapes; versus septemtrionem vero, undecim dierum iter adverso flumine navigantibus. (3) Jam supra hos longe lateque deserta regio est. Post desertum vero Androphagi habitant, proprius populus, neutiquam Scythicus. Supra hos vero jam verum desertum, nec ullus hominum populus, quoad novimus.

XIX. Ab oriente vero Agricolarum istorum Scytharum, trans Panticapen fluvium, Nomades Scythae degunt, qui neque serunt quidquam, nec arant: estque arboribus nuda universa haec regio, excepta Hylaea. Nomades autem hi, orientem versus, terram tenent per quattuordecim dierum iter patentem ad Gerrhum usque fluvium.

XX. Trans Gerrhum haec est quae Regia terra vocatur, quam Scythae nobilissimi tenent et numerosissimi, qui reliquos Scythas servos suos esse reputant. (2) Pertinentque hi, meridiem versus, ad Tauricam, versus orientem vero, ad fossam illam quam caecorum filii duxerunt, et ad emporium Maeotidis paludis quod Cremni vocatur; partim eorum etiam ad Tanain flumen. (3) Quae supra Regios Scythas ad septemtrionem vergunt, ea Melanchlaeni tenent, diversae stirpis populus, non Scythicus. Supra Melanchlaenos vero, paludes sunt, et terra hominibus vacua, quantum nos quidem novimus.

XXI. Trans Tanain fluvium non amplius Scythica terra, sed partium in quas illa regio divisa, prima est Sauromatarum; qui ab intimo Maeotidis paludis recessu initium capientes, tenent, septemtrionem versus, terram in quindecim dierum iter patentem, arboribus omnibus, tam cultis, quam agrestibus, nudam. Tum supra hos insequentem partem habitant Budini, terram tenentes arborum omni genere usquequaque frequentem.

XXII. Supra Budinos, versus septemtrionem, primo desertum est, per quinque dierum iter: post desertum vero, magis orientem versus, Thyssagetae habitant, numerosa gens et propria, venatione victitans. (2) His contigui eodem in tractu habitant qui Iyrcae vocantur, et ipsi venatione victitantes tali modo: (3) arborem conscendit venator, ibique in insidiis latet; frequentes autem per totam illam regionem arbores sunt: sub arbore praesto cuique venatori est equus in ventrem procumbere edoctus, quo quam minime e terra emineat, et juxta equum canis. Ubi[TR1] ex arbore feram homo conspexit, arcu ferit, moxque illam conscenso equo persequitur, et canis inhaeret vestigiis. (4) Supra hos rursus, si orientem versus declines,[TR2] habitant alii Scythae, qui ab Regiis Scythis defecerunt, et ea caussa haec in loca migrarunt.

XXIII. Ad horum igitur usque Scytharum regionem universa quam descripsimus terra plana est et humilis: abinde vero petrosa et aspera. (2) Peragrato autem hujus asperae terrae longo tractu, radices altorum montium habitant homines, qui narrantur inde a nativitate calvi esse omnes, mares pariter atque feminae, et simo naso mentoque magno. Peculiari lingua utuntur, vestem autem gestant Scythicam, caeterum arborum fructu vitam sustentant. (3) Ponticum nomen arboris est, qua victitant, fici admodum magnitudine: fructum fert autem fabae similem, nucleum intus habentem. Hunc fructum, postquam maturuit, pannis excolant; et, quod ab eo defluit crassum et nigrum, quod aschy adpellant, (4) id et lingunt, et lacte mixtum potant: ex faecum vero ejus crassitudine massas conficiunt, quibus item vescuntur. Pecorum enim non magna illis copia est, quippe pascua ibi parum sunt eximia. (5) Quilibet paterfamilias sub arbore habitat; hieme quidem, arborem tegens tegmine ex lana coactili; aestate vero, absque tegmine. His hominibus nemo mortalium injuriam infert; sacri enim habentur; nec arma ulla bellica habent. (6) Iidem et finitimorum dirimunt controversias; et, si quis patria profugiens ad hos confugit, a nemine laeditur. Nomen his est Orgiempaei.

XXIV. Jam usque ad calvos hos satis cognita haec terra est; et, qui ante hos habitant populi, satis noti. Nam et Scytharum nonnulli ad illos commeant, e quibus haud aegre licet cognoscere, et Graecorum nonnulli ex Borysthenis emporio et ex aliis Ponticis emporiis. Scythae vero, qui ad

illos commeant, per septem interpretes septemque linguas negotia sua peragunt. Ad hos igitur usque cognita terra est.

XXV. Ultra calvos illos quinam habitent, liquido adfirmare nemo potest: nam praealti praeruptique montes, quos nemo transcendit, praecludunt iter. (2) Narrant autem calvi, quod mihi quidem non persuadetur, habitari illos montes ab hominibus capripedibus: tum ultra hos degere alios homines, qui per sex menses dormiant; quod equidem nullo pacto admitto. (3) Quae calvis ab oriente sita regio, eam quidem ab Issedonibus habitatam esse certis testimoniis cognitum est; quae vero supra hanc ad septemtrionem vergit, cognita non est, nec calvis istis, nec Issedonibus, nisi quatenus hi ipsi narrant.

XXVI. Issedones autem hujusmodi uti institutis perhibentur. Quando cuipiam pater mortuus est, propinqui cuncti adducentes pecudes ad eum conveniunt: quibus mactatis et in frusta concisis, patrem etiam mortuum hospitis in frusta concidunt, mixtisque cunctis carnibus epulum exhibent. (2) Caput vero depilatum expurgatumque inaurant, eoque pro sacro utuntur, donario annua magna sacrificia peragentes. Hoc apud illos filius patri praestat, quemadmodum Graeci diem, quo defunctus est pater, festum agunt. Caeterum hi quoque homines justi esse dicuntur: mulieres autem apud eos aequam cum viris potestatem habent. Igitur hi etiam noti sunt.

XXVII. Quod vero ad regionem spectat supra hos sitam, Issedones sunt qui narrant, habitare ibi homines quos dixi unoculos, et Grypas auri custodes: et fabulam ab Issedonibus traditam repetunt Scythae, nosque alii a Scythis accepimus, et nominamus scythico vocabulo Arimaspos; arima enim Scythae unum nominant, spu autem oculum.

XXVIII. Universa autem haec terra, quam descripsimus, adeo rigida premitur hieme, ut octo menses duret intolerabile gelu; in quo si aquam in terram effundas, non facias lutum; sed, ignem si accenderis, lutum facias. (2) Atque etiam mare constringitur glacie et totus Cimmerius Bosporus: et super ea glacie militant Scythae illi qui intra fossam habitant [vid. c. 3.], et plaustris in ulteriora ad Sindos vehuntur. Ita solidos octo menses hiems durat, reliquosque quattuor ibidem frigus obtinet. (3) Est autem hujus hiemis indoles longe diversa ab eis quae in caeteris regionibus omnibus obtinent: nam verno tempore nihil ibi pluit quo sit ullius momenti, aestate autem pluere non desinit: et, quando alibi tonitrua incidunt, ibi nulla sunt, aestate autem valde magna; sin hieme coelum tonat, pro miraculo solet haberi. Item terrae motus si exsistit in Scythica terra, sive aestate, sive hieme hoc eveniat, prodigii loco est. (4) Porro hiemem illam ferunt et tolerant equi; asini vero et muli neutiquam tolerant: alibi contra equi in gelu stantes tabefiunt; asini vero et muli tolerant gelu.

XXIX. Videtur autem mihi eadem de caussa ibidem boum generi mutilo cornua non enasci: adstipulatusque sententiae meae illud etiam Homeri verbum in Odyssea, ubi ait:

Et Libyen, ubi sunt cornuti protinus agni.

Quod recte dictum est: in calidis locis cito enasci cornua: contra ubi valida obtinent frigora, ibi aut prorsus non enascuntur pectoribus cornua; aut, si nascuntur, pusilla sunt.[TR3]

XXX. Ibi igitur propter frigiditatem res ita se habet. Atque hoc loco subit mirari (nam digressiones ab initio amavit mea narratio) quid sit quod in universo Eleo agro non possint muli nasci; quum nec frigida sit illa regio, neque alia ulla adpareat caussa. (2) Aiunt quidem ipsi Elei, ex imprecatione quadam non nasci apud se mulos. Verum, quum adest tempus quo gravidae fiunt equae, ad finitimos eas agunt, et in alieno agro asinos ad eas admittunt, usque dum illae conceperint; deinde autem retro eas agunt.

XXXI. Quod vero ad plumas attinet, quibus plenum esse aerem Scythae dicunt, ob eamque caussam in ulteriora nec prospectum nec transitum patere, de his ego ita sentio: (2) in locis quae sunt supra hanc (quam commemoravi) terram constanter nix cadit; minus quidem frequens aestate, ut consentaneum est, quam hieme. Jam, qui copiosam cadentem nivem cominus vidit, is quid dicam novit. Similis est enim nix plumis: et propter hanc hiemem, quum sit talis qualem dixi, habitari non possunt loca hujus continentis ad septemtrionem pertinentia. (3) Itaque plumas quas dicunt, propter similitudinem, nivem dici a Scythis eorumque finitimis arbitror. Atque haec quidem, quae de remotissimis terris narrantur, hactenus e nobis commemorata sunt.

XXXII. De Hyperboreis vero hominibus nec Scythae loquuntur, nec alii ulli, qui istas regiones incolunt, nisi forsan Issedones. At ne hi quidem, ut mihi videtur, de illis quidquam memorant: alioqui enim Scythae quoque de eisdem narrarent, quemadmodum de unoculis. (2) Sed Hesiodus de Hyperboreis locutus est, atque etiam Homerus in Epigonis, si modo vere auctor hujus carminis Homerus est.

XXXIII. Longe vero plurima de his Delii narrant, dicentes, sacra stramini triticeo illigata, ex Hyperboreis delata, venire ad Scythas; a Scythis vero accipere ea et deferre populum quemque deinceps habitantem versus occidentem, usque ad Adriaticum sinum: inde meridiem versus mitti, et primos ex Graecis Dodonaeos ea accipere; ab his descendere ad sinum Meliensem, et in Euboeam transire, ibique de civitate ad civitatem mitti usque Carystum; inde denique, praetermissa Andro insula, ab ipsis Carystiis in Tenum insulam, a Teniis tandem in Delum deferri. (2) Eo modo in Delum pervenire sacra ista dicunt. Primo autem Hyperboreos aiunt duas misisse virgines sacra haec ferentes, quarum nomen Delii aiunt fuisse Hyperochen et Laodicen; simulque cum his tutelae caussa comites misisse quinque viros de civibus suis deductores, hos qui nunc Perpherees vocantur: qui summos Deli honores obtinent. (3) Quum vero hi ab illis missi non reverterentur ad suos, graviter ferentes Hyperboreos, si forte semper futurum sit ipsis ut non recipiant quos miserint; ea caussa sacra illa triticeo stramini illigata non nisi ad fines suos pertulisse, finitimisque mandasse, ut sua e terra ad alium populum ea deferrent: (4) atque ita haec gradatim missa, aiunt, Delum pervenire. Novi autem equidem simile quoddam hisce sacris sacrum peragi a Thracicis Paeonicisque mulieribus: hae enim, quando Dianae Reginae sacrificium celebrant, non sine triticeo stramine sacra faciunt. Hoc illarum novi equidem institutum.

XXXIV. In honorem autem harum virginum Hyperborearum, quae Deli mortuae dicuntur, caput tondent et puellae et pueri Deliorum; et illae quidem ante nuptias praecisum sibi cincinnum, et fuso circumvolutum, in earum sepulcro deponunt: (est autem sepulcrum illud in Dianae templo, intranti ad sinistram; in eoque nata est oliva arbor:) (2) pueri vero Deliorum herbis quibusdam capillos circumvolvunt, et hos pariter super sepulcro illo deponunt. Hunc honorem illae a Deli incolis consequuntur.

XXXV. Narrant autem iidem, Argen quoque atque Opin, virgines ex Hyperboreis, itinere per eosdem populos facto, in Delum venisse prius etiam quam Hyperochen et Laodicen: (2) et has quidem venisse tributi ferendi caussa, quod Lucinae pro maturato partu pactae fuissent; Argen vero et Opin simul cum ipsis diis aiunt advenisse, hisque alios honores a se esse tributos; (3) his enim stipem corrogare mulieres nomina earum invocantes in hymno eo, quem ipsis Olen, vir Lycius, composuit; et a se edoctos insulanos etiam et Ionas Opin et Argen carmine celebrare, nomen illarum invocantes, stipemque eisdem corrogantes: (idem vero Olen, qui e Lycia venit, alia etiam prisca carmina confecit, quae Deli canuntur:) et cineres ex femoribus in ara crematis omnes sepulcro Opis et Arges injici. Est autem illarum sepulcrum post Dianae templum, orientem versus, proxime coenaculum Ceorum.

XXXVI. Atque haec quidem de Hyperboreis dicta sunto. Nam de Abaride fabulam, qui Hyperboreus fuisse perhibetur, taceo; nec memoro quo pacto sagittam ille per universam terram circumtulerit, nihil cibi capiens. Quodsi vero sunt Hyperborei quidam homines, fuerint etiam alii Hypernotii. (2) Rideo autem quum multos jam video describentes terrae circuitus, neque quemquam ullum qui sana mente rem explicet: nam Oceanum illi describunt, quasi terram undique circumfluat, quam orbiculatam fingunt velut ex torno; et Asiam aequalem faciunt Europae. Brevibus verbis igitur et magnitudinem utriusque harum terrarum declarabo, et qualis fere sit utriusque figura.

XXXVII. Persae suam regionem incolunt ad australe mare pertinentes, quod Rubrum vocatur. Supra hos, septemtrionem versus, Medi habitant; supra Medos Saspires; supra Saspiras Colchi, ad boreale mare pertinentes, in quod Phasis fluvius influit. Hi quattuor populi ab altero mari habitant ad alterum.

XXXVIII. Inde ex eadem Asia, versus occidentem, duae orae porriguntur in mare, quas ego describam. (2) Altera ora, in boreali parte a Phasi incipiens, in mare excurrit secundum Pontum et Hellespontum, usque ad Troicum Sigeum: in parte meridionali, eadem ora initium capit a Myriandrico sinu, ad Phoenicen sito, et in mare porrigitur usque ad Triopium promontorium. (3) Hanc oram triginta incolunt hominum populi: et haec quidem altera est earum quas dixi orarum.

XXXIX. Altera vero ora, a Perside incipiens, in Rubrum mare porrigitur; estque Persica, tum hanc excipiens Assyriaca, et post Assyriacam Arabica ora. Desinit autem haec ora (non quidem vere desinens, sed solummodo ex usu loquendi) in sinum Arabium, in quem Darius fossam ex Nilo

duxit. (2) Jam a Perside usque ad Phoenicen lata et ampla regio est: a Phoenice vero haec ora per mare nostrum (mediterraneum) secundum Syriam Palaestinam ad aegyptum porrigitur, ubi desinit: hancque oram nonnisi tres incolunt populi. Hae sunt Asiae regiones Persis ab occidente sitae.

XL. Quae vero ultra Persas et Medos Saspiresque et Colchos versus orientem solem spectant, secundum ea, ab altera parte (a meridie) Rubrum mare porrigitur, a septemtrione vero Caspium mare et Araxes fluvius, qui contra solem orientem fluit. (2) Usque ad Indiam vero, non ultra, habitatur Asia: quae inde versus orientem spectant, deserta regio est; quae qualis sit, nemo dicere potest. Talis igitur ac tanta Asia est.

XLI. Libya in altera earum, quas dixi, orarum est: est enim Libya aegypto contigua. Jam ad aegyptum quidem angusta haec ora est: nam ab nostro mari ad mare Rubrum sunt centum millia orgyiarum, quae mille admodum stadia conficiunt. Inde ab his vero angustiis valde spatiosa fit haec ora, quae Libya vocatur.

XLII. Miror autem hos, qui universam terram in tres partes dividunt atque distinguunt, Libyam, Asiam, et Europam: nec enim exigua inter has est differentia. Nam longitudine quidem secundum utramque (Asiam et Africam) porrigitur Europa: quod vero ad latitudinem ejus attinet, ne potest quidem, quod mihi manifestum est recte, cum illis conferri. (2) Nam Africa quidem ipsa se declarat esse circumfluam, praeter eam partem quae Asiae est contigua; ex quo primus, quem novimus, Neco rex aegyptiorum rem demonstravit. Hic enim, postquam desiit fossam fodere, quae ex Nilo in sinum Arabium dirigebatur, viros Phoenices navibus emisit, dato mandato, ut per Herculeas columnas renavigarent in mare quod Libyae a septemtrione est, atque ita in aegyptum reverterentur. (3) Igitur Phoenices, ex Rubro mari profecti, per australe mare navigarunt: et, quando adveniebat autumnus, adpulsis ad terram navibus, quamcumque ad Libyae regionem tunc pervenissent, in ea sementem faciebant, messemque exspectabant: deinde, messo frumento, navibus ulterius pergebant. Ita, duobus elapsis annis, tertio anno, itinere per Herculeas columnas flexo, in aegyptum pervenerunt. (4) Dixeruntque, quod mihi quidem non persuadetur, sed fortasse alii cuipiam, quum Libyam circumnavigarent, habuisse se solem a dextra. Hoc modo primum cognita Libya est.

XLIII. Post hos, Carthaginienses idem adfirmant: nam Sataspes quidem, Teaspis filius, de Achaemenidarum stirpe, non circumnavigavit Libyam, quamquam ob id ipsum emissus: sed, quum longitudine itineris, tum solitudine territus, retrogressus est, neque laborem implevit a matre sibi injunctum. (2) Is filiae Zopyri virgini vim intulerat, nepti Megabyzi: quam ob culpam quum in eo esset ut a Xerxe rege e palo suspenderetur, mater Sataspis, quae soror erat Darii, deprecata est supplicium, ipsam se dicens graviorem ipso poenam illi inflicturam; impondituram quippe ei necessitatem circumnavigandi Libyam, donec ea circumnavigata in Arabium sinum pervenisset. (3) Quam in conditionem postquam Xerxes consensit, Sataspes in aegyptum profectus, accepta ab aegyptiis navi nautisque, ad Herculeas navigavit columnas: hisque transmissis, circumvectus Africae promontorium, cui Solois nomen est, meridiem versus navigavit: et permultum maris pluribus mensibus emensus, quum major semper itineris pars

conficienda superesset retro navigavit, in aegyptumque est reversus. (4) Ex qua quum ad Xerxem regem rediisset, narravit, in remotissimis locis praeter homines se navigasse statura minutos, veste e palmae foliis utentes; qui, quando ipsi navem ad terram adpulissent, relictis oppidis in montes profugissent: se vero cum suis, oppida illorum ingressum, nulla injuria incolis inlata, pecora solummodo eorum abegisse. (5) Quod autem Libyam non penitus circumnavigasset, caussam hanc esse aiebat: navem non potuisse ulterius progredi, sed fuisse inhibitam. Xerxes autem, persuasum sibi habens vera eum non dicere, quod impositum laborem non esset exsecutus, pristinam poenam irrogavit et e palo suspendit. (6) Hujus Sataspis eunuchus, audita domini morte, propere Samum confugit, ingentes secum ferens pecunias, quas intervertit civis quidam Samius; cujus nomen, cognitum mihi quidem, volens obliviscor.

XLIV. Asiae vero plurima pars (ante incognita) a Dario pervestigata est. Is quum cognoscere voluisset, ubinam Indus fluvius, unus post Nilum fluviorum omnium qui crocodilos alat, in mare se evolvat; cum navibus quum alios misit, quos verum esse relaturos judicabat, tum Scylacem inprimis, civem Caryandensem. (2) Hi igitur ex Caspatyro oppido et Pactyica regione profecti, secundo fluvio orientem solem versus in mare navigarunt: tum per mare occidentem versus navigantes, trigesimo mense eum in locum pervenerunt, unde rex aegyptiorum Phoenices illos, de quibus supra dixi, emisit Libyam circumnavigaturos. (3) Confecta horum navigatione, Indos subegit Darius, et mari illo usus est. Atque ita Asiae, praeter eam partem quae Indis ab oriente est, reliqua cognita sunt; compertumque est, Asiam similia exhibere atque Africam.

XLV. Europa autem a nemine plane cognita est; neque compertum habemus an aut ab oriente aut a septemtrione circumflua sit: illud novimus, longitudine secundum Libyam Asiamque esse illam porrectam. (2) Nec vero conjectura adsequi possum, cur, quum una sit terra, tribus illa nominibus distinguatur, a mulierum nominibus desumptis, terminique eidem ponantur, Nilus fluvius aegyptius, et Phasis Colchicus; pro quo quidem alii Tanaim fluvium Maeoticum ponunt, et Cimmeria Porthmea: neque nomina potui comperire eorum qui hanc distributionem instituerunt, nec cur ista nomina his regionibus imposuerint. (3) Nam Libyam quidem plerique Graeci aiunt a Libya, muliere indigena, nomen invenisse; Asiam vero a cognomine uxoris Promethei. Ac nomen hoc sibi vindicant Lydi; perhibentes, a Cotyis filio, Manis nepote, cui Asias nomen fuit, nominatam Asiam fuisse, non a Promethei uxore Asia: ab eodemque etiam Sardibus tribum Asiadem ducere nomen. (4) Sed Europa, quemadmodum, an circumflua sit, nulli hominum compertum est; sic nec, unde hoc nomen acceperit, aut quis ei illud imposuerit, adparet; nisi dicamus, a Tyria Europa nomen invenisse hanc regionem: tum vero antea carebat nomine, quemadmodum duae reliquae. (5) At hanc quidem ex Asia fuisse constat, neque in hanc terram, quam Europam Graeci vocant, pervenisse: nec enim ultra Cretam ex Phoenice pervenit, ex Creta vero in Lyciam. Atque haec hactenus dicta sunto: caeterum nos eisdem nominibus utemur, quae sunt usu recepta.

XLVI. Pontus Euxinus, in quem Darius expeditionem suscepit, prae regionibus omnibus populos habet incultissimos, si Scythicam gentem excipias. Neque enim populum ullum ex his, qui citra Pontum habitant, possumus sapientiae caussa memorare, nec virum novimus qui eruditionis nomine claruerit, nisi Scythicum populum, et in hoc Anacharsin. (2) Scythica autem gens unum, quod maximum est in rebus humanis, prae caeteris omnibus, quos novimus, hominibus sapientissime invenit: caetera tamen ejusdem non laudo. (3) Maximum illud, quod dico, ita ab

his inventum est, ut et nemo qui illos bello invaserit, effugere possit; et ut ipsi, si nolint reperiri, a nemine possint deprehendi. Nam, qui nec oppida nec castella exstructa habent, sed, domos suas secum ferentes, sagittarii equites sunt cuncti, non aratro victitantes, sed pecoribus, domos suas plaustris circumvehentes; quo pacto hi non essent invicti, atque etiam aditu perquam difficiles?

XLVII. Est autem hoc ab illis inventum quum opportunitate terrae, tum fluviorum adjumento: est enim terra haec plana, herbida, et irrigua; fluviique illam perfluunt non multo pauciores numero, quam canales sunt in aegypto. (2) Quorum fluviorum, qui et notabiliores sunt, et a mari adnavigari possunt, eos recensebo. Sunt autem Ister, quinque ostiis patens, dein Tyras, et Hypanis, et Borysthenes, et Panticapes, et Hypacyris, et Gerrhus, et Tanais. Est autem horum cursus hujusmodi.

XLVIII. Ister, fluviorum omnium, quos novimus, maximus, semper sibi ipse aequalis fluit et aestate et hieme. Ab occasu venit, primusque est qui Scythicam adluit terram: ob id omnium maximus, quod alii multi in eum influunt. (2) Qui illum augent, hi sunt: primum quinque, qui Scythicam terram perfluunt: is quem Scythae Porata, Graeci vero Pyreton vocant; tum deinde Tiarantus; porro Ararus, et Naparis, et Ordessus. (3) Quem primo loco nominavi horum fluviorum, is magnus est, et ad orientem fluens aquam suam cum Istro miscet: secundo loco memoratus, Tiarantus, magis ab occidente, estque minor. Ararus vero et Naparis et Ordessus, medium inter hos cursum tenentes in Istrum influunt. (4) Hi sunt fluvii in ipsa Scythia oriundi, qui Istrum augent. Ex Agathyrsis autem decurrens Maris fluvius itidem cum Istro aquam suam miscet.

XLIX. Tum ex Haemi montis verticibus tres alii magni fluvii, septemtrionem versus decurrentes, in eumdem influunt, Atlas, Auras, et Tibisis: per Thraciam vero et Crobyzos Thracas fluentes Athrys et Noes et Artanes Istro miscentur: porro ex Paeonia et monte Rhodope decurrens Scius fluvius, mediumque scindens Haemum, in eumdem Istrum influit. (2) Tum ex Illyriis versus septemtrionem fluens Angrus fluvius in campum labitur Triballicum, atque inde in Brongum fluvium, Brongus vero in Istrum: ita ambos, jam satis magnos, excipit Ister. (3) Ex regione vero super Umbris sita oriens Carpis fluvius, et alius Alpis fluvius, versus septemtrionem fluentes, in eumdem se exonerant. (4) Universam enim Europam Ister perfluit, initium sumens ex Celtis, qui populorum omnium Europae extremi versus occidentem habitant post [praeter?] Cynetas: totamque Europam emensus, Scythiam a latere adluit.

L. His igitur, quos recensui, fluviis, aliisque praeterea multis, aquam suam miscentibus, fluviorum maximus fit Ister. Nam si solius per se aquam cum Nili aqua conferas, copia illum superat Nilus: in hunc enim nullus alius fluvius, immo ne fontis quidem rivulus influit, qui eum augeat. (2) Quod vero constanter sibi ipse aequalis fluat Ister tam aestate quam hieme, id tali quadam ex caussa, ut mihi videtur, efficitur. Hieme tantus est fere, quantus est sua natura et paulo quidem major: nam parum admodum hieme pluit in hac regione; nix maxime omnia obtinet. (3) aestate vero liquefacta ingens nivis copia, quae per hiemem cecidit, undique in Istrum dilabitur: et haec proinde nix, simulque frequentes vehementesque imbres, in illum confluentes, augent fluvium: nam aestate ibidem pluit. (4) Quanto majorem itaque aquae copiam sol aestate in se attrahit,

quam hieme; tanto copiosiores per aestatem, quam per hiemem, sunt aquae quae cum Istro miscentur. Quibus invicem oppositis, exsistit aequilibrium; unde semper sibi par deprehenditur hic fluvius.

LI. Primus igitur Scytharum fluvius est Ister: post hunc vero Tyras est. Is a septemtrione progrediens, fluere incipit ex magno lacu, quae in confinibus est Scythicae et Neuridis terrae. Ad ejus ostium autem habitant Graeci, qui Tyritae vocantur.

LII. Tertius fluvius, Hypanis, in ipsa Scythia oritur; effluitque e lacu, circa quem feri equi pascuntur albi: nomen lacui merito inditum, Mater Hypanios. (2) Ex hoc igitur ortum capiens Hypanis, per quinque dierum navigationem brevis fluit, et dulcis adhuc: inde vero, ad quattuor dierum a mari navigationem, amarus admodum: influit enim in eum fons amarus, ita quidem amarus, ut, quamquam est exiguus, inficiat tamen sapore suo Hypanin, fluvium inter paucos [al. minores] magnum. (3) Est hic fons in confinibus terrae Scytharum Agricolarum et Alazonum: nomen fonti, et ipsi loco unde fluit, Scythica lingua Exampaeus, Graecorum vero sermone Sacrae viae. (4) Modico autem a se invicem intervallo fluunt Tyras et Hypanis in Alazonum regione: deinde vero cursum uterque inflectit, latius intervallum in medio relinquens.

LIII. Quartus fluvius Borysthenes est, maximus horum post Istrum, idemque commoda praebens plurima, secundum meam sententiam, non modo Scythicorum fluminum, sed et aliorum omnium, Nilo aegyptio excepto: cum hoc enim conferri nullus fluvius potest; (2) reliquorum vero omnium plurima commoda suppeditat Borysthenes. Praebet enim pascua pecoribus pulcerrima et optime curata: praebet pisces prae caeteris eximios et copiosissimos; estque potatu dulcissimus; fluit limpidus in vicinia turbidorum; seges juxta eum fit optima; et, ubi non seritur terra, ibi herba nascitur altissima; (3) ad ostium ejus sal concrescit sponte, idque maxima copia; et cete ibi praebet fluvius ingentia, eaque spinis carentia, quos antacaeos vocant, ad condiendum sale; denique alia multa miratu digna. (4) Usque ad locum, cui Gerrhus nomen, ad quem navigatio est quadraginta dierum, compertum est a septemtrione fluere hunc amnem: ulterius vero per quos homines fluat, dicere nemo potest. Constat autem, per desertum fluere in Scytharum Agricolarum regionem: hi enim juxta illum ad decem dierum navigationem habitant. (5) Hujus unius fluvii atque Nili indicare fontes non possum: puto autem, nec ullum posse Graecorum. Ubi haud procul a mari fluit Borysthenes, ibi ei miscetur Hypanis, et in eumdem lacum se exonerat. (6) Quod ibi inter utrumque fluvium interjacet veluti rostrum terrae, Hippolai promontorium vocatur, in quo Cereris templum exstructum: ultra id templum vero ad Hypanin Borysthenitae habitant.

LIV. Haec sunt quae de his fluviis memoranda habui. Post hos quintus est fluvius, cui nomen Panticapes. Etiam hic a septemtrione fluit, et ex lacu ortum capit; interjectamque inter hunc et Borysthenem regionem incolunt Scythae Agricolae: deinde in Hylaeam permeat, qua transmissa Borystheni miscetur.

LV. Sextus fluvius, Hypacyris, postquam e lacu exiit, et per medios Scythas Nomades fluxit, ostium habet prope Carcinitin oppidum, a dextra parte terminans Hylaeam et Achilleum quod vocatur Curriculum.

LVI. Septimus fluvius, Gerrhus, a Borysthene separatur circa illam regionis partem, usque ad quam cognitus Borysthenes est; ab hoc igitur inde loco distinctus, nomen habet idem quod loci nomen est, qui locus ipse Gerrhus nominatur. Versus mare fluens, disterminat Nomadum regionem a Regiorum Scytharum terra: influit autem in Hypacyrin.

LVII. Octavus fluvius Tanais, in superioribus regionibus ex magno lacu ortus, influit in majorem lacum qui Maeotis vocatur et qui Regios Scythas a Sauromatis dividit. In hunc Tanain vero incidit fluvius cui nomen est Hyrgis.

LVIII. Ita igitur nobilissimis fluviis instructi Scythae sunt. Herbae autem, quae in Scythica nascuntur terra, omnium quae nobis innotuerunt maxime hanc vim habent, ut bilem pecoribus augeant: quod ita esse, ex apertis pecoribus colligere licet.

LIX. Istis igitur maximis commodis quum abundent Scythae, caeterum institutis utuntur hujusmodi. Deos solos placant hosce: Vestam quidem maxime; insuper vero Jovem et Terram, existimantes Terram Jovis esse uxorem: post hos vero, Apollinem, et coelestem Venerem, et Herculem, et Martem. (2) Hos igitur universi colunt Scythae: Regii vero qui vocantur Scythae Neptuno etiam sacra faciunt. Nominatur autem Scythico sermone Vesta quidem Tabiti; Jupiter vero rectissime, mea quidem sententia, Papaeus (quasi Pater) vocatur; Terra vero, Apia; Apollo, oetosyrus; coelestis Venus, Artimpasa; Neptunus, Thamimasadas. (3) Statuas vero et aras et templa erigere non habent in usu, nisi Marti: huic uni erigunt.

LX. Sacrorum faciendorum in omnibus sacrificiis eadem est ratio Scythis omnibus; quae est hujusmodi: stat victima, anteriores pedes constrictos habens; tum is qui sacra facit, pone stans, attrahit principium funis, atque ita prosternit pecus. Idem, dum cadit victima, deum illum invocat cui sacra facit: tum laqueum cervici circumjicit, et insertum laqueo fustem circumagens, strangulat victimam, non igne incenso, non auspicatus, nulla libatione facta: sed postquam strangulavit victimam, excoriavitque, ad coquendum se confert.

LXI. Quum autem ligno admodum careat Scythica terra, coquendarum carnium hujusmodi ratio ab illis inventa est: (2) Postquam excoriarunt victimas, ossa carnibus nudant, tum, si forte ad manus sunt lebetes, quales in illa terra conficiuntur, Lesbiis crateribus fere similes, nisi quod multo majores; in hos injiciunt carnes, easque succensis inferne pecorum ossibus elixant: (3) quodsi non adest illis lebes, tum vero carnes omnes in alvum victimae injiciunt, aquamque admiscent, atque ita ossa infra succendunt. Optime autem ardent ossa; et alvus victimae facile capit carnes ossibus nudatas. Atque ita bos, aut aliud quodlibet pecus, se ipsum elixat. (4)

Postquam elixae sunt carnes, tunc is qui sacrum facit, carnium et viscerum prosicias deo oblatas ante se projicit. Immolant autem et caetera armenta ac pecora, sed maxime equos.

LXII. Caeteris igitur diis Scythae ita, ut dixi, sacrificant, et haec pecora immolant. Marti vero sacra in hunc modum instituunt. In singulis praefecturis, quo loco convenire solent magistratus, ibi Martis templum ipsis erectum est hujusmodi: (2) congeruntur sarmentorum fasces, ex quibus fit cumulus in longitudinem latitudinemque trium fere stadiorum; altitudo quidem minor. Super hoc cumulo fit planities quadrata, cujus tria latera abrupta sunt, ab uno quarto latere patet adscensus. (3) Quotannis centum et quinquaginta plaustra sarmentorum adcumulant: illa enim per vim tempestatum subsidunt. Super quoque horum tumulorum erigitur vetustus acinaces ferreus, estque hoc Martis simulacrum; (4) eidemque acinaci quotannis offerunt victimas pecorum et equorum: atque his ipsis (acinacibus) plures victimas immolant, quam reliquis diis. Quos captivos faciunt ex hostibus, ex eorum numero centesimum quemque virum mactant; non eodem modo quo pecora, sed diverso. (5) Postquam vinum super capita hominum profuderunt, jugulant eos super vase: deinde sanguinem sursum in sarmentorum tumulum portant, et super acinace effundunt. Dum superne hunc sanguinem gestant, infra juxta templum haec faciunt: (6) jugulatorum hominum dextros lacertos omnes, cum manibus praecisos, in aerem projiciunt: et deinde, quum reliquarum victimarum sacrificium peregere, abeunt. Quocumque cecidit manus, ibi jacet; et seorsum cadaver.

LXIII. Haec est apud eos sacrificiorum ratio. Suibus autem nullo modo utuntur, omninoque eas alere sua in terra nolunt.

LXIV. Institutis ad bellum spectantibus utuntur hujusmodi: quem primum ex hostibus prostravit vir Scytha, ejus potat sanguinem. Quotquot in praelio interfecit, horum capita ad regem perfert: adlato enim capite, fit praedae particeps quam fecerunt; non adlato vero, partem nullam capit. (2) Caput autem pelle nudat hoc modo: in orbem circumcidit cutim circa aures; dein prehensam excutit de capite: tum, postquam carnem costa bovilla detersit, subigit pellem manibus; atque ita mollita utitur tamquam mantili, et ex freno equi, quo vehitur, suspendit gloriaturque. Nam qui plurima mantilia ex hostium pellibus habet, is fortissimus vir censetur. (3) Multi eorum etiam ex detractis hisce pellibus laenas, quas induant, conficiunt, consarcinantes illas in modum coriaceae vestis pastoritiae. Multi item dextras manus occisorum hostium cum ipsis unguibus excoriant, et ex hujusmodi pellibus opercula conficiunt pharetrarum. (4) Est autem pellis humana et spissa et candida, ita quidem, ut, candoris splendore omnia propemodum coria alia superet. Multi etiam totos homines excoriant, et super lignis extentos in equis circumvehunt. Haec ita apud illos usu recepta sunt.

LXV. Ipsis autem capitibus, non utique omnium, sed inimicissimorum, hocce faciunt: quod infra supercilia est, id totum serra abscindunt; et expurgato cranio, si pauper homo est, nonnisi extrinsecus corium superinducit bovinum, et sic utitur pro poculo: sin dives est, bovinum quidem pariter superinducit corium, intus vero cranium deaurat, atque ita pro poculo utitur. (2) Faciunt idem etiam familiaribus, quando inter ipsos orta discordia est, atque regis judicio alter alteri in potestatem est traditus. Quodsi cui deinde advenit hospes, cujus rationem quampiam habet,

huic ille haec capita profert, memorans fuisse hos olim sibi familiares, deinde bellum sibi intulisse; se vero eis discessisse superiorem. Haec tamquam fortia facta narrant.

LXVI. Semel quotannis quisque praefectus in sua praefectura vini craterem miscet, de quo bibunt Scythae omnes quotquot sunt qui hostes interfecerunt: qui nihil tale ediderunt, hi vinum hoc non gustant, sed seorsum sine honore sedent: idque apud illos maxima ignominia habetur. Qui vero magnum quemdam hominum occiderunt numerum, hi bina singuli pocula habentes, ex utroque bibunt.

LXVII. Vatum apud Scythas ingens numerus est; qui salignis virgis divinant hoc modo: magnos secum ferunt baculorum fasces; hos humi positos dissolvunt, et singulis baculis separatim positis divinant: dumque divinationem edunt, rursus convolvunt baculos, iterumque singulos componunt. (2) Haec divinandi ratio illis a majoribus tradita est. Enarees vero, semiviri illi, Venerem sibi dedisse aiunt divinandi artem. Hi interiore tiliae cortice vaticinantur. Tiliam trifariam scissam digitis suis implicat vates, rursusque solvens vaticinatur.

LXVIII. Quando morbo laborat rex Scytharum, vocat ad se e vatibus tres viros prae caeteris probatos, qui praedicto modo divinant: et dicunt hi plerumque, hunc aut illum civem, quem nominatim designant, regios Lares pejerasse. (2) Moris est autem apud Scythas, quando maximum interponere jusjurandum volunt, ut per regios Lares jurent. (3) Protinus igitur ille homo, quem hi pejerasse dicunt, corripitur adduciturque: et in medio stantem arguunt vates, per divinationem compertum esse, pejerasse illum regios Lares, eaque caussa aegrotare regem. Tum ille negat factum, contenditque se non pejerasse, et lamentatur. (4) Quo infitiante, duplum numerum aliorum vatum rex arcessit: qui si et ipsi, sortibus inspectis, eumdem perjurii arguunt, e vestigio priores vates caput hominis praecidunt, bonaque ejus inter se dividunt. Quod si hi, qui supervenerunt, vates illum absolvunt, alii adsunt, iterumque alii: quorum si major numerus absolvit hominem, tum decretum est, ut primi illi ex vatibus ipsi morte plectantur.

LXIX. Supplicium autem de illis sumunt hoc modo: plaustrum replent sarmentis, bovesque jungunt; tum compedibus vinctos vates, manibus in tergum religatis, oreque obstructo, in media sarmenta infulciunt; et igne sarmentis subjecto territant agitantque boves. (2) Et multi quidem boves simul cum vatibus igne absumuntur; multi vero ambusti, cremato temone, aufugiunt. Eodem modo etiam alias ob culpas comburunt vates, falsos vates adpellantes. (3) Quos vero interficit rex, eorum ne liberis quidem parcit, sed mares omnes occidit; solae feminae illaesae abeunt.

LXX. Foedus quando feriunt cum aliis Scythae, hoc ritu utuntur: postquam grande in poculum fictile infuderunt vinum, subula percutiunt aut cultello incidunt corporis aliquam partem eorum qui foedus faciunt, eorumque sanguinem cum vino miscent: deinde in calicem intingunt acinacem, sagittas, sagarin, et jaculum. His peractis, multa adprecantur; ac deinde calicem ebibunt et hi ipsi, qui foedus faciunt, et ex comitibus hi qui prae aliis dignitate eminent.

LXXVI. Sepulcra regum in Gerrhis sunt, eo loco quousque adverso Borysthene navigari potest. Ibi, quando rex Scytharum e vivis decessit, ingentem fossam fodiunt quadratam. Qua perfecta, corpore incerato, alvo primum incisa et expurgata, dein cypero odorato minutim conciso et suffimento et apii semine et anetho repleta, rursusque consuta, sumunt cadaver, et plaustro ad alium populum devehunt. (2) Tum hi, ad quos ita devectum pervenit cadaver, idem faciunt quod Regii Scythae: partem auris sibi amputant, capillos tondent, brachia circumcirca incidunt, frontem nasumque fodicant, et per sinistram manum sagittas transfigunt. (3) Tum ex hac regione ad alium populum, cui imperant, cadaver regis plaustro devehunt; et hi, ad quos illud primum pervenit, sequuntur. Postquam per omnes Scythiae populos pervexerunt cadaver, jam in Gerrhis sunt, qui extremi habitant eorum quibus imperant populorum, ubi est sepulturae locus. (4) Ibi tum cadaver, toro impositum, in sepulcro deponunt; et hastis utrimque circa cadaver defixis, superne ligna intendunt, ac deinde cratibus contegunt. In reliquo vero sepulcri spatio unam ex pellicibus strangulatam sepeliunt, et pincernam, et coquum, et equisonem, et ministrum, et internuncium, et equos, et aliorum primitias, et phialas aureas: argento enim et aere non utuntur. (5) His rebus peractis, humum certatim adgerunt, magnumque studium adhibent ut tumulum erigant quam maximum.

LXXII. Circumacto anno, hocce agunt: ex reliquis regis famulis (sunt autem hi Scythae indigenae: nam famulantur regi quoscumque ille jussit; nec habent servos aere emptos), ex reliquis igitur hisce famulis quinquaginta maxime idoneos, et totidem numero equos praestantissimos, strangulant; quos, exemptis intestinis, expurgataque alvo, paleis implent et sutura claudunt: (2) tum dimidiatum rotae circulum super duobus lignis supinum statuunt, et alterum rotae dimidium super aliis duobus lignis; eodemque modo multa defigunt; deinde equos, quorum per corpora secundum longitudinem usque ad colla trajecta sunt ligna spissa, super istis dimidiatis circulis collocant ita, (3) ut anteriores semicirculi humeros equorum, posteriores ventrem prope femora sustineant, crura vero utrimque suspensa haereant. (4) Denique frena et habenas equis injiciunt, habenasque antrorsum tensas palis adligant. (5) Postremo quinquaginta strangulatorum juvenum quemque equo imponunt; idque faciunt ligno recta per corpus secundum spinam dorsi usque ad cervicem transfixo, cujus ligni pars inferior eminens inseritur foramini, quod est in altero ligno per equi corpus transjecto. (6) Hujusmodi equites postquam circa monumentum in orbem constituerunt, discedunt.

LXXIII. Tali igitur ratione reges sepeliunt. Reliquos autem Scythas, quum decesserunt, circumvehunt cognatione proximi, plaustris impositos, ad amicos. Et horum quisque lauto epulo excipit comitantes, mortuoque eadem omnia adponit quae caeteris. (2) Per quadraginta dies ita circumvehuntur privati, deinde sepeliuntur. Postquam mortuum sepeliverunt Scythae, hoc modo lustrantur: (3) postquam caput smegmate terserunt, et gnaviter lavarunt, corpori faciunt hocce: tria ligna statuunt versus se invicem inclinata; circum haec laneos pileos praetendunt; quos ubi quam arctissime inter se junxerunt, in suppositum in medio lignorum pileorumque alveolum lapides conjiciunt igne candentes.

LXXIV. Nascitur autem in hac terra cannabis, lino simillima, si crassitiem et magnitudinem excipias, quibus quippe cannabis longe superat linum. (2) Et sponte haec nascitur, et sata: ex eaque Thraces vestimenta etiam conficiunt, lineis simillima; quae, nisi quis admodum sit usu

peritus, non dignoscat ex linone sint, an ex cannabi: qui vero cannabin numquam vidit, lineum esse vestimentum putabit.

LXXV. Hujus igitur cannabis semen sumunt Scythae, et, postquam sub pileos subierunt, semen hoc lapidibus igne candentibus injiciunt: quod dum ita adoletur, vaporem diffundit tantum, ut Graecanica nulla assa desudatio eum superet: (2) et Scythae, delectati hac desudatione, ululatum tollunt: estque hoc illis balnei loco; nam aqua omnino non lavant corpus. (3) Mulieres vero eorum in aspero lapide, adfusa aqua, conterunt ligni frusta cypressi, cedri, et thuriferae arboris: deinde isto detrito, quod crassum est, oblinunt totum corpus atque faciem. Id eis simul suavem conciliat odorem; simulque, postquam postridie abstulerunt hoc cataplasma, mundae sunt et nitidae.

LXXVI. Peregrinorum institutorum usum etiam hi vehementer aversantur, et, ne dicam aliorum populorum institutis, Graecanicis adeo minime omnium utuntur; id quod in Anacharside, et deinde iterum in Scyla, ostenderunt. (2) Primum enim Anacharsis, postquam multas spectaverat terras, et multa ibi sapientiae ediderat specimina, Scytharum ad sedes reversurus, per Hellespontum navigans, ad Cyzicum adpulit. Ibi quum Cyzicenos offendisset Matri deorum festum celebrantes sane quam magnificum, Matri votum fecit Anacharsis, si salvus sospesque domum rediisset, se eodem modo, quo a Cyzicenis fieri vidisset, sacra ei facturum, pervigiliumque institurum. (3) Tum postquam in Scythicam terram pervenit, in Hylaea se abdens, quae est regio prope Achillis Curriculum, estque tota arboribus varii generis referta; in hac igitur se abdens Anacharsis, omnem festi caerimoniam deae absolvit, tympano etiam utens, et imagines gestans de pectore suspensas. (4) Quae agentem animadvertens quidam Scytha regi Saulio rem indicavit: et ille, adveniens ipse, Anacharsin haec agentem videns, excussa sagitta interfecit. (5) Et nunc, si quis quaerit de Anacharside, aiunt Scythae, se illum non nosse, propterea quod in Graeciam peregrinatus et peregrinis usus est institutis. Ut vero equidem ex Timna audivi, praefecto Ariapithis, fuit Anacharsis patruus Idanthyrsi, regis Scytharum, filius autem Gnuri, nepos Lyci, pronepos Spargapithis. (6) Quodsi ex hac familia erat Anacharsis, sciat a fratre se esse interfectum: Idanthyrsus enim filius fuit Saulii, Saulius autem interfecit Anacharsin.

LXXVII. Quamquam alium etiam sermonem audivi, quem Peloponnesii narrant, dicentes, a rege Scytharum missum Anacharsin, Graeciae discipulum fuisse: eumque, postquam domum esset reversus, dixisse ei qui illum miserat, Graecos universos in omni genere scientiarum artiumque occupari, exceptis Lacedaemoniis: hos vero solos hoc habere, ut prudenter et edant et accipiant sermonem. (2) At haec fabula temere ab ipsis Graecis per ludum narratur. Hic igitur vir eo, quo dixi, modo periit: idque ei accidit propter externos ritus et Graecanicas consuetudines.

LXXVIII. Multis autem admodum interjectis annis Scyles, Ariapithis filius, simili atque Anacharsis usus est fato. Ariapithes, Scytharum rex, quum alios habuerat filios, tum Scylam, natum ex muliere non indigena, sed Istriana, quae eum ipsa Graeco sermone Graecisque literis erudivit. (2) Tempore interjecto, Ariapithes per dolum occiditur a Spargapithe, Agathyrsorum rege, et Scyles in regnum successit; et uxorem patris, cui Opoea nomen erat, matrimonio sibi junxit. Fuit

autem haec Opoea civis Scythica, ex eaque natus Ariapithi erat filius Oricus. (3) Regnum igitur Scytharum adeptus Scyles vitae ratione Scythica neutiquam delectabatur, sed ad instituta magis inclinabat Graecorum, propter disciplinam qua erat institutus. Itaque tali usus est ratione: (4) quando Scytharum exercitum ad Borysthenitarum urbem ducebat (Borysthenitae hi autem sese dicebant esse Milesios), ad hos igitur quoties veniebat Scyles, exercitu in suburbio relicto, ipse urbem ingressus, clausis portis, deposito Scythico cultu, Graecanicum induebat vestimentum. Hoc indutus in foro versabatur, nullo satellite nulloque alio comitatu stipatus: portae autem interim custodiebantur, ne quis Scytha eum conspiceret hoc cultu utentem: tum vero et reliquam sequebatur vitae rationem Graecanicam, et diis more Graecorum sacra faciebat. (5) Sic ibi per mensem aut etiam amplius moratus, Scythica iterum sumpta veste discedebat. Atque hoc saepius faciebat, et aedes sibi etiam in Borysthene urbe curaverat exstruendas, et uxorem indigenam duxit, quae aedes illas habitabat.

LXXIX. Quum autem esset in fatis ut male ei res cederet, accidit hoc tali ex occasione. Dionysii Bacchii sacris cupiverat initiari: quumque jam in eo esset ut initia ei traderentur, maximum incidit prodigium. (2) Erant ei in urbe Borysthenitarum magnificae et vasto circuitu aedes, quarum etiam paulo ante feci mentionem; circa quas circumcirca sphinges et grypes stabant ex candido marmore: (3) in has aedes deus telum jaculatus est, et totae igne consumptae sunt: Scyles vero nihilo minus propterea initiationem absolvit. (4) Probro autem Graecis vertunt Scythae bacchandi ritum; aiuntque, non esse rationi consentaneum, talem reperiri deum, qui homines in furorem agat. Quum absoluta esset initiatio Scylae in sacra Bacchii, Borysthenitarum aliquis ad Scythas transfugit, dicens: «Vos nobis irridetis, Scythae, quod Bacchanalia agamus, quodque deus nos corripiat: nunc hic deus regem quoque corripuit vestrum; isque bacchatur, a deo in furorem actus. Quodsi mihi fidem non habetis, sequimini; et ego vobis ostendam.» (6) Secuti sunt Scytharum proceres, quos Borysthenita clam in turrim deduxit, ibique residere jussit. Quumque praeteriret Scyles cum bacchantium choro, bacchabundum videntes Scythae, ingentis calamitatis loco habuerunt; egressique, universo exercitui, quae viderant, indicarunt.

LXXX. Deinde, postquam ad lares suos Scyles reversus est, ducem sibi constituentes Scythae fratrem ejus Octamasaden, Terei filia natum, a Scyla defecerunt. Et ille, ubi, quid adversus se gereretur, et qua de caussa, cognovit, in Thraciam profugit. (2) Quo cognito, Octamasades arma adversus Thraciam movit; et quum ad Istrum pervenisset, obviam ei Thraces venerunt. Jamque in eo erant ut ad manus venirent, quum ad Octamasaden nuncium Sitalces misit, qui ei diceret: «Quid opus est, ut armorum fortunam invicem experiamur? Tu meae sororis es filius: habes autem apud te meum fratrem. Trade mihi hunc, et ego tibi tuum fratrem Scylam tradam. Armorum vero discrimen nec tu adeas, nec ego.» (3) Haec per caduceatorem ei dicenda curavit: erat enim apud Octamasaden frater Sitalcae profugus. (4) Et Octamasades, probata hac conditione, Sitalcae avunculum suum tradidit, et ab illo fratrem suum Scylam recepit. Inde Sitalces acceptum fratrem secum abduxit: Scylae vero Octamasades ibidem illico caput praecidit. (5) Ita sua instituta tuentur Scythae, et hanc mercedem solvunt his qui externos ritus adsciscunt.

LXXXI. Multitudo quanta sit Scytharum, pro certo non potui comperire; sed dissentientes de eorum numero audivi sermones: aliis numerosam admodum esse gentem dicentibus, aliis exiguam, non per se, sed pro Scytharum nomine. (2) Verumtamen hoc mihi oculis subjecerunt. Est inter Borysthenem fluvium et Hypanin locus, cui nomen Exampaeus, cujus etiam paulo ante

feci mentionem, quum dicerem esse ibi amarae aquae fontem, ex quo aqua in Hypanin influens impotabilem hunc fluvium reddat. (3) Ibi loci positum est ahenum, amplitudine sexcuplum crateris illius, quem in ostio Ponti Pausanias, Cleombroti filius, dedicavit. Qui hunc non vidit, ei rem hoc modo declarabo: sexcentas facile amphoras capit illud in Scythia ahenum: crassitudo autem ejusdem sex est digitorum. (4) Hoc igitur ahenum narrant indigenae ex sagittarum acuminibus esse confectum. Regem quippe ipsorum, nomine Ariantan, quum vellet numerum nosse Scytharum, universos Scythas jussisse quemque unum teli spiculum conferre: si quis non contulisset, ei comminatum esse mortem. (5) Comportata igitur ingente spiculorum copia, visum ei esse ex his monumentum, quod relinqueret, curare conficiendum. Itaque ex illis spiculis ahenum hoc conficiendum illum curasse, idque in hoc Exampaeo dedicasse. Haec de Scytharum numero relata audivi.

LXXXII. Caeterum mirabilia nulla habet haec regio, nisi quod fluvios possidet longe maximos, et numero plurimos. (2) Unam tamen rem, quam illa praeter fluvios et praeter planitiei amplitudinem praebet miratu dignam, commemorabo. Monstrant Scythae Herculis vestigium petrae impressum juxta Tyram fluvium, quod pedi quidem viri est simile, sed longitudine bicubitali. Et haec quidem ita se habent: redeo autem ad eam narrationem, quam initio adgressus eram exponere.

LXXXIII. Bellum quum Darius adversus Scythas pararet, nunciosque dimitteret, qui aliis comparandum pedestrem exercitum, aliis suppeditandas naves, aliis ponte jungendum Bosporum Thracicum imperarent; Artabanus interim, Hystaspis filius, frater Darii, oravit eum, ut expeditionem adversus Scythas nequaquam susciperet, narrans inopiam Scytharum. (2) Qui quidem, ubi nihil profecit utilia illi suadendo, ad extremum destitit: Darius vero, postquam omnia parata habuit, Susis exercitum eduxit.

LXXXIV. Ibi tunc Persarum aliquis, oeobazus, quum tres haberet filios, in bellum proficiscentes omnes, petiit a rege, unus eorum apud se relinqueretur. Cui ille respondit, ut homini amico, et modica petenti, omnes se ei relicturum. (5) Quo responso vehementer gavisus oeobazus speravit militae missionem habere filios: at rex imperat tum adstantibus, ut omnes interficiant oeobazi filios; atque ita illi interfecti, ibidem relinquebantur.

LXXXV. Susis profectus Darius, postquam in Calchedoniam ditionem ad Bosporum pervenit, ubi pons junctus erat, inde conscensa navi ad Cyaneos quae vocantur insulas navigavit, quas olim errabundas fuisse Graeci perhibent. Tum ad templum ejus regionis residens spectavit Pontum, spectatu sane dignum. (2) Est enim pelagorum omnium maxime mirabile. Longitudo ejus undecim millium et centum stadiorum est: latitudo, ubi maxima, stadiorum ter mille et trecentorum. (3) Ostium hujus pelagi quattuor stadia patet in latitudinem: longitudo ostii, collum illud, quod Bosporus vocatur, in quo ipso junctus pons erat, centum et viginti stadiorum est: pertinetque Bosporus ad Propontidem. (4) Propontis vero, quingenta stadia patens in latitudinem, et mille quadringenta in longitudinem, in Hellespontum defluit; cujus latitudo septem stadia metitur; longitudo vero quadringenta stadia. Influit autem Hellespontus in mare apertius hoc, quod aegaeum vocatur.

LXXXVI. Dimensa autem ista sunt hoc modo. Navis longiori die navigans conficit plerumque orgyias fere septuagies mille, noctu vero sexagies. Est autem a Ponti orificio usque ad Phasin (quae maxima longitudo hujus maris) novem dierum octoque noctium navigatio: unde confiunt centum et undecim myriades orgyiarum; quo ex numero orgyiarum colliguntur stadia undecies mille et centum. (2) Ad Themiscyram vero, quae est ad Thermodontem fluvium, a Sindica regione (qua est maxima Ponti latitudo) trium dierum et duarum noctium navigatio est: unde conficiuntur triginta tres myriades orgyiarum, stadia vero ter mille et trecenta. (3) Pontus igitur hic et Bosporus et Hellespontus ita a me dimensi sunt; et ea, quam dixi, eorum ratio est. Offert vero idem Pontus etiam lacum qui in eum influit, haud multo minorem ipso. Maeotis palus vocatur is lacus, et Mater Ponti.

LXXXVII. Postquam Pontum contemplatus est Darius, retro navigavit ad pontem; cujus architectus fuit Mandrocles Samius. Deinde postquam Bosporum etiam spectavit, duas in ipsa ora ejus columnas posuit candido ex lapide, quibus incisa erant, alteri Assyriis literis, alteri Graecis, populorum omnium nomina quos ducebat: ducebat autem omnes, qui imperio ipsius erant subjecti. Numerus autem hominum erat, exceptis classiariis, septingenta millia una cum equitibus: naves autem collectae erant sexcentae. (2) Columnas istas post id tempus Byzantii in urbem suam transportarunt, eisque usi sunt ad aram Dianae Orthosiae, uno lapide excepto, qui juxta Bacchi templum prope Byzantium relictus est, Assyriis literis oppletus. (3) Locus autem Bospori, quem ponte junxit Darius, ut mihi quidem conjectanti videtur, medius est inter Byzantium et templum quod est ad ostium.

LXXXVIII. Deinde gavisus ponte Darius, architectum illius Mandroclem Samium donavit denis rebus omnibus: quibus de muneribus Mandrocles, primitiarum nomine, in Junonis templo picturam dedicavit, in qua totus ille pons Bospori et Darius rex in solio praesidens, et universus exercitus ejus pontem transiens, omnia haec descripta erant, addita inscriptione hujusmodi:

Piscosum Bosporum qui junxit Mandrocles

Junoni dedicavit pontis monumentum;

coronam sibi, Samiis gloriam comparans

opere ex Darii regis mente perfecto.

Hoc fuit monumentum hujus viri, qui pontem illum junxerat.

LXXXIX. Donato Mandrocle, Darius in Europam transiit, mandato dato Ionibus ut in Pontum navigarent usque ad Istrum fluvium; ad eum autem quum pervenissent, ut ipsum ibi exspectarent et ponte jungerent fluvium: classem enim ducebant Iones et aeoles et Hellespontii. (2) Navalis igitur exercitus, Cyaneas insulas praetervectus, recta versus Istrum navigavit: et adverso flumine bidui iter a mari emensus, collum fluvii, ubi in diversa ostia scinditur Ister, ponte junxit. (3) Darius vero, trajecto per pontem Bosporo, per Thraciam iter fecit: quumque ad Teari fluvii fontes pervenisset, triduo ibi stativa habuit.

XC. Tearus hic fluvius ab adcolis perhibetur fluviorum esse optimus, quum ad alios sanandos morbos, tum ad scabiem curandam et hominum et equorum. (2) Fontes ejus sunt duodequadraginta, ex eadem rupe fluentes: quorum alii frigidi sunt, alii calidi. Iter ad illos fontes aequale est ex Heraeo oppido, quod ad Perinthum est, et ex Apollonia quae est ad Pontum Euxinum, utrimque bidui iter. (3) Influit autem Tearus in Contadestum fluvium, Contadestus vero in Agrianen, Agrianes in Hebrum, Hebrus vero in mare se exonerat prope aenum oppidum.

XCI. Ad hunc igitur fluvium postquam pervenit Darius et castra metatus est, delectatus fluvio, cippum etiam ibi posuit, cum inscriptione in hanc sententiam: «Teari fluvii fontes aquam fundunt fluviorum omnium praestantissimam et pulcerrimam: et ad hos fontes venit, exercitum adversus Scythas ducens, vir omnium hominum praestantissimus et pulcerrimus, Darius Hystaspis filius, Persarum rex et universae continentis.» Haec ibi inscripta erant.

XCII. Inde profectus Darius ad alium fluvium pervenit cui nomen Artiscus, qui per Odrysas fluit. Ad hunc fluvium postquam pervenit, hocce instituit facere: designans locum quemdam, jussit ut quilibet vir de exercitu, dum eum locum praeteriret, unum lapidem ibidem deponeret. (2) Quod quum ab exercitu esset factum, ingentibus lapidum tumulis ibi relictis, exercitum ulterius promovit.

XCIII. Priusquam vero ad Istrum pervenisset, primos Getas vi subegit, illos qui se immortales praedicant. Nam, qui Salmydessum incolunt Thraces, et qui super Apollonia et Mesembria oppido sedes habent, qui Scyrmiadae et Nipsaei nominantur, sine pugna se Dario tradiderant. Getae vero, obstinate resistentes, mox in servitutem sunt redacti, quum quidem essent Thracum et nobilissimi et justissimi.

XCIV. Immortales autem hi sese praedicant hoc modo: non mori sese putant, sed hac ex vita decedentes ad Zalmoxin deum ire; quem eumdem nonnulli Gebeleizin invocant. (2) Quinto vero quoque anno unum e suorum numero, sorte lectum, nuncium mittunt ad Zalmoxin, mandata ei dantes de his rebus quas tunc maxime desiderant. (3) Mittunt autem hoc modo: ordine stant alii, tria jacula tenentes: alii pedibus manibusque prehensum hunc, qui ad Zalmoxin amandatur, vibrantes sursum conjiciunt, ut in hastas incidat. (4) Qui si transfixus moritur, tunc illis propitius videtur esse Zalmoxis: sin non moritur, in culpa ponunt ipsum nuncium, dicentes pravum esse hominem; loco hujus vero quem caussantur, alium mittunt, cui tum adhuc vivo dant mandata.

(5) Iidem Thraces, quum tonat fulguratque, sagittas sursum adversus coelum contorquent, minitantes deo: nec enim alium deum censent nisi suum.

XCV. Ut vero a Graecis accepi ad Hellespontum et Pontum habitantibus[TR4], homo fuit hic Zalmoxis, servitutem serviens Sami; servus autem fuit Pythagorae, Mnesarchi filii. Deinde vero manumissum, aiunt, magnas sibi comparasse pecunias, hisque instructum, domum rediisse. (2) Quum vero et misere viverent Thraces, et parum cultis essent ingeniis; Zalmoxin hunc, vitae rationem Ionicam edoctum, et moribus institutum cultioribus quam qui apud Thracas obtinerent, ut qui cum Graecis habuisset consuetudinem, et cum Pythagora, viro inter Graecos ingenii cultura eminente, exstruendam sibi curasse exhedram, in qua primarios quosque popularium excipere consuesset, et inter epulandum illos docuisset, neque se, neque convivas suos, nec horum posteros, morituros; sed venturos in locum talem, ubi perpetuo viventes omnibus bonis sint fruituri. (3) In eadem vero exhedra, ubi haec faciebat dicebatque, construendam sibi interim parasse, aiunt, cameram subterraneam; quae postquam perfecta esset, evanuisse eum e Thracum conspectu: scilicet in subterraneam istam cameram descendisse, ibique per triennium esse moratum; et Thracas illum, ut mortuum, desiderasse luctuque esse prosecutos; quarto vero anno Thracibus eum rursus adparuisse: atque ita persuasos hos fuisse, vera esse quae Zalmoxis dixisset. Haec ab eo facta esse perhibent.

XCVI. Ego vero, quod de subterranea camera aiunt, neque negare velim, neque fidem admodum his adhibeo: puto vero multis ante Pythagoram annis hunc Zalmoxin vixisse. Sive autem homo quispiam fuerit hic Zalmoxis, sive indigena Getarum deus, valeat ille. Getae igitur, qui eo quo dixi instituto utuntur, postquam a Persis subacti erant, reliquum exercitum sunt secuti.

XCVII. Ubi ad Istrum Darius cum pedestri exercitu pervenit, ibi tunc, postquam fluvium omnes trajecissent, Ionas res solvere pontem jussit, seque et navales copias pedestri itinere sequi. (2) Jamque in eo Iones erant, ut exsequerentur mandatum, pontemque solverent; quum Coes, Erxandri filius, dux Mytilenaeorum, percunctatus prius a Dario, an benigne accepturus esset consilium, si quis ei dare vellet, haec ad eum verba fecit: «In terram, rex, expeditionem suscipis, in qua nec aratum quidpiam, nec oppidum adparebit habitatum. Tu igitur sine hunc pontem suo loco stare, et custodes ejus relinque hos, qui eum junxerunt. (3) Ita, sive nobis, Scythas nactis, res ex sententia cesserit, paratus reditus erit; sive reperire eos non potuerimus, vel sic tutus certe reditus est. Nam illud quidem numquam veritus sum, ne praelio a Scythis vincamur; sed hoc potius, ne, reperire illos haud usquam valentes, per oberrationem incommodi quidpiam patiamur. (4) Ac fortasse dixerit aliquis, mei caussa me haec dicere, quo hic maneam. At equidem tibi rex, quae optima mihi videtur sententia, eam in medium propono: caeterum ipse te sequar, neque hic velim relinqui.» (5) Cujus viri consilio valde delectatus Darius his verbis ei respondit: «Hospes Lesbie, postquam salvus domum meam ero reversus, fac omnino mihi praesto sis, ut te pro bono consilio bene factis remunerer.»

XCVIII. His dictis, sexaginta nodos in loro nexuit; eoque facto, ad colloquium convocatos Ionum tyrannos in hunc modum est adlocutus: «Viri Iones, sententiam prius dictam, quod ad pontem attinet, missam facio. Ecce vobis hoc lorum; quo sumpto, facite quae jam edico: (2) ex quo me

videritis hinc adversus Scythas profectum, ab illo tempore incipientes, quotidie unum nodum hujus lori solvite. Sin intra hoc tempus non adfuero, sed elapsi erunt tot dies quot sunt nodi, tum quidem vestram in patriam navigate. (3) Usque ad id tempus vero, quoniam in hanc partem mutavi sententiam, custodite pontem, omne studium in illo conservando custodiendoque ponentes. Hoc facientes, gratissimum mihi feceritis.» Haec locutus Darius, nulla interposita mora, in ulteriora perrexit.

XCIX. Ante Scythicam terram sita Thracia est, ad mare pertinens. Inde, in sinum ducta hac regione, incipit Scythia, per quam ister in mare influit, orificio orientem versus tendente. (2) Jam Scythiae inde ab Istro eam partem, quae secundum mare porrigitur, ad mensuram declarare adgredior. Protinus ab Istro haec est vetus Scythia, versus meridiem sita, usque ad oppidum cui Carcinitis nomen. (3) Tum contiguam hinc regionem, ad idem mare pertinentem, quae montana est et in Pontum prominens, incolit Taurica gens, ad Chersonesum usque Asperam quae vocatur. Haec vero ad illud mare pertinet quod est orientem versus. (4) Scythiae enim fines duabus a partibus ad mare pertinent, tam a meridie, quam ab oriente, quemadmodum Atticae regionis fines. Et similiter hanc Scythiae partem Tauri incolunt, ac si Atticae angulum Suniacum, promontorium illud magis in mare excurrens a Thorico usque ad Anaphlystum pagum, alius incoleret populus, non Athenienses. Dico autem autem hoc, prout parva haec cum magnis conferri possunt. (5) Talis igitur Taurica est. Quodsi quis hanc Atticae partem non praeternavigavit, huic ego alia ratione rem declarabo: perinde est ac si Iapygiae promontorium non Iapyges habitarent, sed alius populus, a Brundusio portu incipiens, et usque ad Tarentum ab illis praecisus. Atque haec duo quum dico, multa alia similia dico, quibuscum conferri Taurica potest.

C. Jam inde a Taurica terra, quae sunt supra Tauros, et quae ad mare quod ad orientem est pertinent, ea rursus Scythae incolunt, quae ab occidente Bospori Cimmerii et Paludis Maeotidis sunt usque ad Tanaim fluvium, qui in intimum Maeotidis hujus recessum se exonerat. (2) Jam igitur inde ab Istro [usque ad Tanain] superne mediterranea versus disterminatur Scythia primum ab Agathyrsis, deinde a Neuris, post hos ab Anadrophagis, postremo a Melanchlaenis.

CI. Scythiae igitur, formam fere quadratam habentis, duae sunt partes ad mare pertinentes; quarum utraque alteri quaquaversum aequalis est, tum quia in mediterranea porrigitur, tum secundum mare. (2) Etenim ab Istro ad Borysthenem iter est decem dierum, rursusque a Borysthene ad Maeotin paludem aliorum decem dierum iter: a mari vero versus mediterranea ad Melanchlaenos, qui supra Scythas incolunt, iter est viginti dierum. Iter autem diurnum mihi aequiparatur ducenis stadiis. (3) Ita Scythica terra, in transversum, patebit quater mille stadia; in rectum vero, mediterranea versus, totidem alia stadia. Haec igitur hujus terrae amplitudo est.

CII. Scythae secum reputantes, solos se impares esse Darii copiis justo praelio repellendis, nuncios miserunt ad finitimos: quorum reges etiam convenere deliberaturi, utpote ingenti invadente exercitu. (2) Erant autem reges, qui convenere, Taurorum, et Agathyrsorum, et Neurorum, et Androphagorum, et Melanchlaenorum, et Gelonorum, et Budinorum, et Sauromatarum.

CIII. Ex his Tauri institutis utuntur hujusmodi. Naufragos, et quoscumque ceperunt Graecos illuc delatos, immolant Virgini hoc modo: postquam sacra auspicati sunt, clava feriunt hominis caput: (2) et corpus quidem, ut alii dicunt, de praecipitio dejiciunt (in praerupta enim rupe exstructum templum est), caput vero in cruce erigunt: rursus alii de capite quidem consentiunt, corpus autem non de praecipitio dejici aiunt, sed terra condi. (3) Deam autem, cui has victimas immolant, ipsi Tauri aiunt Iphigeniam esse, Agamemnonis filiam. Hostibus, quos bello ceperunt, hoc faciunt: (4) qui captivum fecit, is ei caput praecidit, domumque suam relatum, praealto infixum palo, erigit ita ut multo supra domum, atque adeo supra fumarium, emineat; dicuntque, hos tamquam custodes totarum aedium ita sublime eminere. Vivunt autem ex praeda et bello.

CIV. Agathyrsi lautissimi et mollissimi homines sunt, maximamque partem aurum gestant. Cum mulieribus in commune consuetudinem habent, quo sint inter se fratres et consanguinei, eoque nec invidiam nec inimicitias invicem exerceant. Quod ad alia attinet instituta, ad Thraces accedunt.

CV. Neuri Scythicis utuntur institutis. Proxima autem ante Darii expeditionem generatione accidit his, ut terram suam desererent totam propter serpentes. Ingentem enim ipsis serpentum multitudinem ediderat haec regio, quorum quidem major pars ex superioribus regionibus, quae desertae sunt, invaserant. Ad extremum, malis pressi, relicta sua terra, cum Budinis habitatum concesserunt. (2) Videntur autem praestigiatores esse hi homines: narrant certe Scythae et Graeci Scythiam incolentes, semel quotannis Neurorum quemque per aliquot dies in lupum mutari, deinde vero rursus formae suae reddi. Mihi quidem haec narrantes non persuadent; narrant vero nihilo minus, atque etiam interposito jurejurando adfirmant.

CVI. Androphagi ferocissimos omnium hominum mores habent; neque jus colentes ullum, neque lege ulla utentes. Nomades sunt: vestem gestant Scythicae similem, lingua vero utuntur propria. Soli autem ex illis populis humana carne vescuntur.

CVII. Melanchlaeni vestimenta nigra gestant; a quibus etiam nomen est eis impositum: institutis autem utuntur Scythicis.

CVIII. Budini, magnus populus et numerosus, glauci admodum sunt omnes, et rubicundi. Urbem hi in sua ditione conditam habent ligneam: Gelonus oppido nomen est: cujus muri latus quodque triginta stadia in longitudinem patet, altus vero murus, totusque ligneus: aedes item et templa lignea sunt. (2) Sunt enim ibi Graecanicorum deorum templa, Graeco more instructa imaginibus et aris et delubris ligneis. Iidem Baccho triennalia festa agunt, et bacchanalia celebrant. (3) Sunt enim Geloni origine Graeci: qui ex emporiis suis pulsi, in Budinos habitatum concesserunt: linguaque utuntur partim Scythica, partim vero Graeca.

CIX. Budini vero non eadem lingua, atque Geloni, utuntur: nec eadem utrisque vitae ratio est. Budini enim, indigena gens, nomades (pastores) sunt, solique hi ex omnibus istarum regionum incolis pediculos comedunt: Geloni vero terram colunt, panem comedunt, hortos habent; nihil istis nec forma similes, nec colore. Verumtamen a Graecis Budini etiam Geloni nominantur; parum recte id quidem. (2) Est autem universa illorum terra silvis frequens, omni genere arborum refertis. In vastissima silva lacus est magnus et amplus, et circumcirca palus arundine frequens. In eo lacu lutrae capiuntur, et castores, et aliae quadrato fronte ferae, quarum pelles penulis praetexuntur, testiculi vero ad uterorum curationem sunt utiles.

CX. De Sauromatis haec fama est. Postquam Graeci cum Amazonibus pugnarunt, (Amazonas autem Scythae Oiorpata nominant, quod vocabulum Graeco sermone viricidas significat: oior enim virum dicunt; pata vero, occidere:) tunc igitur Graeci perhibentur, victoria apud Thermodontem relata, tribus navibus domum repetiisse; tot Amazonas, quot vivas capere potuerant, secum vehentes. At illas in medio mari invasisse viros, cunctosque interfecisse. (2) Easdem vero, quum navigandi essent imperitae, et nec gubernaculorum usum nossent, nec velorum, nec remorum, occisis viris, delatas quo fluctus ventique pellerent, Cremnos ad Maeotidem paludem pervenisse: sunt autem Cremni locus, in Liberorum Scytharum regione. (3) Ibi postquam e navibus exscenderunt Amazones, pedibus in habitata loca profectae, quod primum offenderunt equorum armentum, hoc direpto obequitantes, res Scytharum praedabantur.

CXI. Scythae vero, quum nec linguam earum, nec vestimentum, neque gentem nossent, conjectare non potuerant quid hoc rei esset, demirabanturque unde adessent. Quum vero viros ejusdem staturae aetatisque existimarent, praelium cum illis commiserunt: (2) ex pugna autem potiti mortuis, cognoverunt feminas esse. Deliberantibus igitur visum est, neutiquam illas dehinc occidere, sed e suis qui maxime juvenes essent adversus eas mittere, numero, quantum conjicere poterant, pares illarum numero. (3) Hos jusserunt in earumdem vicinia habere castra, facereque eadem quae illas viderent facientes: sin illae ipsos persequerentur, non pugnam cum eis inire, sed sese recipere; quando vero persequi desinerent illae, tum rursus adpropinquare eisdem et castra propius ponere. (4) Hoc consilium Scythae ceperunt, cupientes ex illis liberos sibi progigni.

CXII. Missi juvenes mandata sunt exsecuti. Quos ubi viderunt Amazones non laedendi consilio advenisse, valere sinebant: et quotidie propius castra castris admovebantur. (2) Nihil autem aliud habebant hi juvenes, quemadmodum etiam Amazones, nisi arma et equos: vitam autem sustentabant perinde atque illae, venando et praedam agendo.

CXIII. Sub meridiem hoc agere Amazones consueverant: sparsim singulae aut binae, seorsum ab invicem, levandi ventris caussa vagabantur. Qua re animadversa, Scythae perinde fecerunt: et eorum unus ad aliquam ex illis, quae longius a caeteris sola versabatur, proprius accessit: nec illa eum repudiavit, sed sese frui passa est. (2) Et colloqui quidem cum illo non potuit (nec enim sermonem suum invicem intelligebant), sed signo manu dato invitavit eum, ut postridie eumdem in locum adducto comite veniret; significans, duas adfuturas; se nempe adducturam

aliam. (3) Juvenis, ad suos reversus, sociis haec nunciavit: et insequente die rediit et ipse in constitutum locum, et alterum secum adduxit; reperitque Amazonem, cum socia sese exspectantem. Id ubi compererunt reliqui juvenes, etiam ipsi reliquas Amazonas cicurarunt.

CXIV. Posthaec junctis castris una habitarunt: et quisque eam habuit uxorem, cum qua primum consuetudinem habuerat. Et linguam quidem mulierum addiscere viri non potuerunt, sed virorum sermonem didicerunt mulieres. (2) Ubi se invicem intelligebant, Amazonas his verbis compellarunt viri: «Sunt nobis parentes, sunt etiam possessiones. Nunc igitur non amplius talem vivamus vitam; sed ad nostros redeamus, cum illisque vitam agamus. Et vos habebimus uxores, nec ullas alias.» (3) At illae ad haec responderunt: «Nos vero non poterimus cum vestris vivere mulieribus: nec enim eadem nobis atque illis instituta sunt. (4) Nos arcu utimur, et sagittis, et equis; muliebria vero non didicimus opera. Vestrae autem mulieres nihil horum, quae diximus, agunt; opera vero faciunt muliebria, in plaustris desidentes, nec venatum exeuntes, neque alio usquam. Itaque cum illis non poterimus consuescere. (5) Sed si nos habere vultis uxores, et videri vultis aequissime agere; abite ad parentes vestros, et facultatum partem ab eis sortiti, ad nos redite; ac deinde seorsum ab illis habitemus.»

CXV. Paruerunt juvenes, et, quod illae postulaverant, fecerunt. Postquam vero facultatum ratam partem acceperunt, et ad Amazonas sunt reversi, haec eis dixere uxores: «Timor nos atque metus tenet, quo pacto hoc in loco habitare possimus; quum et patribus vos privaverimus, et terram vexaverimus vestram. (2) Sed, si cupitis porro nos habere uxores, haecce facite nobiscum: agite, hac ex terra excedamus; et trajecto Tanai fluvio, ibi habitemus.»

CXVI. In hanc quoque conditionem consensere juvenes. Trajecto Tanai, tridui viam a Tanai versus orientem progressi sunt, et tridui item viam a Maeotide palude versus septemtrionem; et postquam in eum locum venerunt, ubi etiam nunc habitant, ibi sedes ceperunt. (2) Atque ab illo tempore vetustam vitae rationem mulieres Sauromatarum conservarunt venatum exeuntes, vectae equis una cum maritis aut sine maritis, et in bellum proficiscentes, eamdemque cum viris vestem gestantes.

CXVII. Sermone Sauromatae utuntur Scythico, soloece quidem illo utentes inde ab antiquis temporibus, quoniam eum non recte didicerant Amazones. (2) Quod ad nuptias spectat, hoc apud illos institutum obtinet: nulla virgo viro nubit, quin prius ex hostibus virum quempiam occiderit: suntque apud eos quae vetulae moriantur priusquam nupserint, quoniam satisfacere legi non potuerunt.

CXVIII. Ad horum igitur, quos commemoravi, populorum congregatos reges ubi venere Scytharum legati, edocuerunt eos, Persarum regem, postquam in altera continente omnia armis suis subjecisset, ponte in collo Bospori posito in hanc trajecisse continentem; et, subactis Thracibus, Istrum fluvium ponte jungere, hoc consilio ut et haec omnia suam sub potestatem redigat. «Vos igitur nequaquam, res vestras a nostris rebus separantes, disperdi nos sinite; sed communi consilio obviam eamus invadenti! (2) Id nisi feceritis; nos, ab illis pressi, aut regione

excedemus; aut, manentes, deditionem faciemus. Quid enim aliud facere possimus, si vos opem nobis ferre nolueritis? At non idcirco melius vobiscum agetur: venit enim Persa non magis contra nos, quam contra vos; nec nobis subactis contentus, a vobis abstinebit. (3) Magnum vero hujus rei testimonium proferimus: nam, si adversus nos solos arma movisset Persa, ulciscendae superioris servitutis caussa, oportebat illum ita nostram invadere terram, ut ab aliis populis omnibus abstineret; cunctisque declaraturus erat, adversus Scythas se ducere exercitum, non adversus alios. (4) Nunc vero, ex quo in hanc continentem trajecit, continuo, quoscumque obviam habet, perdomat omnes. Sane quidem quum reliquos suae potestati subjecit Thracas, tum nostros quoque finitimos Getas.»

CXIX. Haec quum Scythae exposuissent, deliberarunt reges qui ex praedictis populis convenerant. Divisae autem fuerunt eorum sententiae: nam Gelonus quidem, et Budinus, et Sauromata, idem sentientes, opem ferendam Scythis receperunt; (2) Agathyrsus vero, et Neurus, et Androphagus, et Melanchlaenorum Taurorumque reges, haecce Scythis responderunt: «Nisi vos priores injuria adfecissetis Persas, bellique fecissetis initium, recte utique videremini nobis precari quae precamini, dicereque quae dixistis; et nos precibus vestris morem gerentes, eadem (quae hi vobis recipiunt) praestituri vobis eramus. (3) Nunc vero vos, absque nobis, illorum terram invasistis, et imperium in Persas, quamdiu deus vobis permisit, obtinuistis: et illi nunc, ab eodem deo excitati, paria vobis reddunt. At nos neque tunc injuria ulla adfecimus hos viros, neque nunc priores injuria illos lacessere conabimur. (4) Quodsi tamen nostram etiam terram invadere hostis voluerit, et injuriarum fecerit initium, nos quoque ipsi non tolerabimus: donec autem hoc viderimus, domi manebimus; nec enim contra nos venisse Persas existimamus, sed contra eos qui injuriarum fuerunt auctores.»

CXX. Haec ubi ad se relata Scythae audiere, decreverunt justam quidem ex aperto pugnam nullam conserere, quoniam hi sibi armorum socii non accederent; sed, recedentes et armenta retro agentes, puteos qua praeterirent et fontes obstruere, herbamque e terra natam atterere, bifariam sese partientes. (2) Et alteram quidem harum partium, quam duceret rex Scopasis, junctis Sauromatis, recta versus Tanain fluvium secundum Maeotin paludem, si huc se converteret Persa, debere regredi; et, quando retro duceret rex, illum persequi atque invadere. (3) Haec igitur una pars Regni [id est, Regiorum Scytharum] hac via, qua dixi, collocata erat. Duas autem reliquas Scytharum Regiorum partes, majorem, cui Idanthyrsus imperabat, tertiamque cui praeerat rex Taxacis, collectas inter se et junctas cum Gelonis atque Budinis, similiter, unius diei itinere inter se et Persas sectantes interjecto, debere regredi, et ea facere quae decreta essent. (4) Hos igitur primum recta versus eorum ditionem recipere sese debere, qui societatem ipsis negassent, quo hos etiam bello implicarent; (ut, qui noluissent sponte fortunam belli Persici subire, inviti tamen bella recogerentur:) deinde vero in suam ditionem sese convertere, et adgredi hostem, si deliberantibus ita videretur.

CXXI. His ita deliberatis, Scythae exercitui Darii obviam sunt progressi, praecursoribus praemissis equitibus praestantissimis. Plaustra vero, in quibus vitam agebant liberi eorum uxoresque omnes, et pecora omnia, praeterquam quot ad victum sufficiebant, tot relictis, caetera simul cum plaustris dimiserunt, dato mandato, ut versus septemtrionem continuo agerent. Haec igitur ita in tuto collocabant.

CXXII. Antecursores Scytharum postquam Persas repererunt tridui itinere ab Istro progressos, unius diei itinere ab illis distantes castra posuerunt; et, quidquid progignit terra, id omne contriverunt. (2) Persae vero, ut Scytharum equitatum viderunt sibi comparentem, vestigia eorum legentes progressi sunt, quum quidem illi continuo retro cederent. Erant autem hi, contra quos iter suum Persae dirigebant, una illa Scytharum pars, quam supra commemoravi; itaque eosdem deinde orientem versus, et versus Tanain, sunt persecuti. (3) Et postquam Tanain fluvium hi trajecerunt, Persae item trajecto fluvio eos sunt persecuti; donec, peragrata Sauromatarum ditione, in Budinorum regionem pervenerunt.

CXXIII. Quamdiu igitur per Scythicam et Sauromatidem terram iter Persae faciebant; nihil quod vastare possent repererunt, quippe in arida et inculta terra. Postquam vero Budinorum ingressi sunt regionem, ligneam ibi urbem offendentes, a Budinis desertam, et omnibus rebus vacuam, incenderunt. (2) Dum hoc agebant, continuo per tritam viam ulterius progrediebantur, donec in terram prorsus desertam pervenerunt. Situm est autem hoc desertum, a nullis prorsus hominibus habitatum, supra Budinorum regionem, patetque in septem dierum iter. (3) Super eo deserto habitant Thyssagetae: quorum ex terra quattuor exeunt magna flumina, quae postquam per Maeotas fluxere, in Maeotin paludem, quae vocatur, sese exonerant: nomina his fluminibus imposita sunt Lycus, Oarus, Tanais, Hyrgis.

CXXIV. Darius, postquam in desertum pervenit, omisso cursu, ad flumen Oarum stativa habuit: ac per id tempus octo magna castella munivit, paribus intervallis a se invicem distantia, sexaginta circiter stadia; quorum mea etiam nunc aetate superfuerunt ruinae. (2) Dum ille in his erat occupatus, interim Scythae, quos erat persecutus, circumitis locis superioribus, in Scythiam sunt reversi. (3) Qui quum prorsus ex conspectu essent remoti, nec usquam amplius comparerent, ita Darius, castellis illis imperfectis relictis, retrogressus est, itinere ad occidentem converso. Putabat enim, hos esse universos Scythas, et occidentem versus profugere.

CXXV. Magnis itineribus cum exercitu profectus Darius, ut in Scythicam terram pervenit, incidit in junctas duas alteras Scytharum partes: quas ibi nactus, persecutus est ita, ut illi, sese recipientes, semper unius diei itinere ipsum antecederent. (2) Quumque instare eis Darius non intermitteret, Scythae, ut initio decreverant, in illorum regum ditionem se receperunt, qui armorum societatem illis negaverant; et primum quidem in Melanchlaenorum terram. (3) Quos quum tumultu replessent et Scythae et Persae, terram illorum ingressi; mox in Androphagorum regionem Scythae illis praeiverunt: et horum quoque rebus perturbatis, in Neuridem terram se receperunt: denique, his etiam concussis, Agathyrsos Scythae subterfugientes petivere. (4) Agathyrsi, finitimos fugere videntes et exagitatos a Scythis, praecone misso, priusquam suam ditionem Scythae invaderent, edixerunt illis, intra fines suos ne pedem ponerent: praedixeruntque, si invadere conarentur, secum prius fore armis decertandum. (5) His per praeconem praedictis, Agathyrsi ad fines suae ditionis praesto fuerunt, constitutum habentes prohibere invadentes. Melanchlaeni vero et Androphagi et Neuri, Persis simul cum Scythis irrumpentibus, ne fortuna quidem armorum tentata, obliti minarum, continuo ulterius septemtrionem versus in desertum territi turbatique profugerant. (6) Scythae vero, ab

Agathyrsis prohibiti, horum ditionem jam non sunt ingressi, sed ex Neuride terra in suam Persis praeiverunt.

CXXVI. Ita quum tempus extraheretur, neque finis ullus adpareret, Darius, misso ad Idanthyrsum Scytharum regem equite, haec ei dixit: «Male feriate homo, cur fugis semper, quum tibi liceat duorum utrum libuerit facere? quodsi enim satis virium tibi videris habere ad resistendum meis rebus, siste gradum, et desinens vagari pugnam committe: sin tibi conscius es esse inferior, etiam sic vagari desine; et domino tuo dona ferens terram et aquam, in colloquium veni.»

CXXVII. Ad haec Scytharum rex Idanthyrsus haec respondit: «Ita mihi res habet, Persa: equidem nullum umquam hominem metuens fugi, neque ante hoc tempus, nec nunc te fugio. Neque nunc novum quidpiam facio, aut aliud, quam quod in pace facere adsuevi. (2) Quid sit vero quod non continuo pugnam tecum committam, id quoque tibi declarabo. Neque oppida sunt nobis, nec culta arva, quibus metuentes ne capiantur aut vastentur, properemus pugnam vobiscum conserere. Sin cupis quamprimum eo venire; sunt nobis patria sepulcra: (3) agite, haec indagate, et reperta disturbare tentate; tunc cognoscetis, utrum pro sepulcris pugnaturi simus vobiscum, an non pugnaturi. Prius vero, quam nobis ratio suaserit, pugnam tecum non conseremus. (4) Et haec quidem de pugna dicta sunto. Dominos autem meos solos duco esse Jovem, meum progenitorem, et Vestam, Scytharum reginam. Tibi autem, loco terrae et aquae quae tu dona postulas, ea dona mittam quae ad te mitti decet: pro eo vero, quod dominum te meum esse dixisti, in malam rem te jubeo abire.» (Hoc est, quod vulgo dicunt, Scythicum dictum.) Istud igitur responsum praeco ad Darium retulit.

CXXVIII. Reges vero Scytharum, audito servitutis nomine, iram non tenuere. Igitur illud suorum agmen, cui juncti Sauromatae erant, quod sub Scopasis erat imperio, ad Istrum mittunt, dato mandato ut Ionibus in colloquium veniant, illis qui pontem in Istro positum custodiebant. Eis vero qui relinquebantur placuit, non amplius circumducere Persas; sed, quoties cibum caperent, de improviso in eos impetum facere. (2) Observantes igitur illos cibum capientes, quae decreverant, exsequebantur. Et equitatum quidem constanter in fugam vertebat Scytharum equitatus; et Persarum equites fuga in pedites incidebant. Tum vero suppetias veniebat peditatus: (3) et Scythae, postquam equites hostium in pedites rejecerant, recedebant, peditatum metuentes. Similes vero impressiones noctu etiam Scythae faciebant.

CXXIX. Erat tunc Persis utilis, Scythis vero inimica, Darii castra adgredientibus, res dictu mira admodum; nimirum vox asinorum, et mulorum species. (2) Etenim nec asinum nec mulum fert Scythica terra, quemadmodum supra etiam demonstratum a me est: neque est omnino in universa Scythica regione aut asinus aut mulus, propter frigora. (3) Igitur lascivientes asini territabant equitatum Scytharum: saepeque, dum in Persas impetum faciebant Scythae, equi audientes interim voces asinorum, consternati avertebantur, et mirabundi erigebant aures, ut qui numquam antea vel vocem talem audivissent, vel speciem vidissent. Atque hoc, leve quidem, sed aliquid tamen ad belli successum Persae adepti sunt.

CXXX. Scythae quum subinde magnos motus fieri in castris Persarum [veluti reditum parantium] observarent; quo illi diutius in Scythia manerent, ibique manentes penuria rerum omnium premerentur, hocce fecerunt. (2) De pecoribus suis idemtidem nonnulla cum pastoribus relinquebant, et ipsi se retro in alium locum paulisper recipiebant. Tum Persae, impetu facto, capiebant pecora, et praeda facta exsultabant.

CXXXI. Id quum saepius fieret, ad extremum Darius, quid consilii caperet, incertus haerebat. Quod ubi animadverterunt Scytharum reges, praeconem ad eum miserunt dona ferentem, avem et murem et ranam et quinque sagittas. (2) Haec adferentem dona interrogarunt Persae, quaenam esset mens datorum; et ille respondit, nihil aliud sibi mandatum fuisse, nisi ut his datis quamprimum abiret: ipsos autem Persas, si sapientes essent, cognoscere jussit, quidnam ista dona significarent. Quo audito responso, consultabant inter se Persae.

CXXXII. Et Darii quidem sententia erat, Scythas sese et terram et aquam ipsi tradere: id quod inde colligebat, quod mus in terra viveret, eodem fructu atque homo vescens, rana vero in aqua viveret, avis autem similis admodum esset equo; denique tela illos tradere, tamquam suam fortitudinem. (2) Hanc Darius sententiam dixerat. Cui opposita erat Gobryae sententia, unius e septem viris qui Magum oppresserant. Is conjectabat, dona illa haec significare: «Nisi aves facti, o Persae, in coelum evolaveritis, aut in mures conversi subeatis terram, aut ut ranae in paludes insilieritis, salvi hinc non revertemini, hisce sagittis confixi.»

CXXXIII. In hunc igitur modum dona illa Persae interpretabantur. Interim una illa Scytharum pars, cui antea mandatum fuerat, ut ad Maeotidem paludem custodiam agerent, tum vero, ut Ionibus ad Istrum in colloquium venirent, ubi ad pontem pervenere, haec ad eos verba fecerunt: «Viri Iones, venimus libertatem vobis adferentes, si quidem audire nos volueritis. (2) Cognovimus enim, mandasse vobis Darium, nonnisi sexaginta dies custodire pontem, hisque elapsis, si intra id tempus ille non adfuerit, in patriam vestram abire. (3) Nunc igitur, si hoc quod vobis edicimus feceritis, extra culpam et apud illum eritis, et apud nos: ad constitutum diem manete, eoque elapso discedite.» Haec quum se facturos Iones essent polliciti, ocyus illi retro se proripuerunt.

CXXXIV. Reliqui Scythae, postquam dona, quae diximus, ad Darium miserant, instructis peditibus equitibusque in aciem sunt progressi, tamquam praelium commissuri. Quibus jam in acie stantibus, quum forte lepus in medium prosiluisset, ut quisque leporem conspexit, ita eum persequi coepit. (2) Turbatis itaque illorum ordinibus, et orto clamore, caussam Darius quaesivit hujus tumultus, qui apud hostes ortus esset. Quos ubi comperit leporem persequi, dixit ad hos cum quibus et alias communicare sermones consueverat: «Nimium nos hi viri contemnunt: ac mihi nunc plane videtur, de Scythicis donis recte Gobryas judicasse. (3) Quoniam igitur me quoque judice haec ita se habent, bono consilio opus est, quo tutus nobis hinc sit receptus.» Ad haec Gobryas: «Rex, inquit, mihi quidem satis etiam auditu cognita erat horum hominum paupertas: nunc vero, postquam in eorum terram adveni, magis etiam cognovi, videns quo pacto nos ludibrio habeant. (4) Itaque mihi sic faciendum videtur: quamprimum nox aderit, incensis ignibus sicut alias facere consuevimus, deceptis eis ex militibus qui ad tolerandos labores nimis infirmi sunt, et adligatis asinis omnibus, hinc abeundum, priusquam aut Scythae ad Istrum

pergant pontem rescissuri, aut Iones etiam consilium aliquod, quod nos perdat, capiant.» Haec Gobryas suasit.

CXXXV. Deinde, ut nox adfuit, eo consilio Darius usus est. Morbosos ex militibus, et quorum jacturam minimi faciebat, asinos item omnes religatos, in castris quo loco erant reliquit. (2) Reliquit autem et asinos et infirmos milites hac caussa, ut asini clamorem tollerent: homines autem, infirmitatis quidem caussa relinquebantur; sed species nempe praetendebatur, regem cum flore exercitus de improviso adgressurum esse Scythas, et hos interim debere castra tueri. (3) Hoc postquam iis qui relinquebantur significaverat Darius, incensis ignibus, quamprimum ad Istrum redire properavit. Tum vero asini, procul a coetu cui adsueverant relicti, multo tumultuosiorem etiam ruditum edebant; asinos autem audientes Scythae prorsus existimarunt, suo loco mansisse Persas.

CXXXVI. Orta luce, qui relicti erant, proditos se esse intelligentes a Dario, manus ad Scythas tendebant, ea quae par erat dicentes. Quibus illi auditis, propere collectis copiis omnibus, et duo illa quae diximus juncta Scytharum agmina, et unum tertium cum Sauromatis, et Budini et Geloni, simul omnes persecuti sunt Persas, recta versus Istrum directo itinere. (2) At, quum major pars Persici exercitus pedestris esset, nec itinerum esset peritus, utpote viis non tritis, Scythicus autem exercitus esset equestris, et compendiorum itineris gnarus; accidit, ut a se invicem aberrarent, et multo prius Scythae, quam Persae, ad pontem pervenirent. (3) Qui ubi cognoverunt, nondum advenisse Persas, Ionibus, qui in navibus erant, haecce dixere: «Viri Iones, dierum numerus vobis praeteriit: itaque male facitis, quod adhuc manetis. (4) At, quoniam huc usque metu mansistis, nunc quidem solvite pontem, et ocyus abite, recuperata libertate gaudentes, et diis atque Scythis habentes gratiam. Cum illo autem, qui adhuc vester fuit dominus, ita nos agemus, ut adversus nullum populum posthac arma sit moturus.»

CXXXVII. Super his itaque deliberarunt Iones. Et Miltiadis quidem Atheniensis, qui dux et tyrannus erat Chersonesitarum ad Hellespontum, haec erat sententia, parerent Scythis, et Ioniam liberarent. Cui opposita erat Histiaei sententia Milesii, dicentis, nunc quidem unumquemque ipsorum in sua civitate regnare; Darii vero eversa potentia, nec se Mileti, neque alium quemquam ullius civitatis imperium porro posse obtinere: fore enim ut quaeque civitas populari uti imperio malit, quam uni parere. (2) Hanc sententiam postquam Histiaeus dixit, protinus omnes huic sunt adsensi, quum prius Miltiadis probassent consilium.

CXXXVIII. Fuere autem hi, qui in illa deliberatione suffragia ferebant, et gratia valebant apud regem: Hellespontiorum quidem tyranni, Daphnis, Abydenus; Hippoclus, Lampsacenus; Herophantus, Parienus; Metrodorus, Proconnesius; Aristagoras, Cyzicenus; et Ariston, Byzantius: (2) hi ex Hellesponto adfuere. Ex Ionia vero: Strattis, Chius; aeaces, Samius; Laodamas, Phocaeensis; et Histiaeus, Milesius, cujus erat in medium proposita sententia, Miltiadi contraria. Ex aeolensibus unus aderat vir nobilis, Aristagoras Cymaeus.

CXXXIX. Hi igitur postquam Histiaei probaverant sententiam, haec praeterea et facienda et dicenda decreverunt: pontis quidem partem solvendam, quae Scytharum ripam spectaret, solvendam autem ad teli jactum; quo et facere aliquid viderentur, nihil licet facientes, et ne Scythae tentarent vim adferre et Istrum ponte transire: dicendumque, dum pontis partem ad Scythas spectantem solverent, se omnia facturos quae Scythis grata essent futura. (2) Has conditiones Histiaei sententiae adjecerunt. Deinde nomine omnium Histiaeus Scythis haec respondit: «Viri Scythae, utilia et benigna attulistis, et opportune properastis. Ut autem, quae a vobis proficiscuntur, benigne fiunt in nostrum commodum; sic et nos vobis studiose morem gerimus. (3) Ut enim videtis, solvimus pontem; et omne studium adhibebimus, quo libertatem recuperemus. Dum vero nos in hoc solvendo occupamur, interim commodum fuerit, ut vos istos quaeratis; et, postquam repereritis, eam ab illis, quam par est, poenam et vestro et nostro nomine sumatis.»

CXL. Tum Scythae, fidem iterum adhibentes Ionibus, vera eos dicere sibi persuadentes, reversi sunt, Persas inquisituri; sed iterum tota via, qua illi transiere, aberrarunt. Cujus erroris ipsi Scythae caussa fuere, eo quod pascua omnia in illa regione corruperant, aquasque obstruxerant. (2) Id enim ni fecissent; facile, si voluissent, Persas inventuri erant: nunc[TR5] per id ipsum consilium, quod optime a se initum putabant, decepti sunt. (3) Scythae igitur per ea terrae suae loca proficiscentes quaerebant Persas, ubi et pabulum erat equis et aqua, rati per eadem loca Persas quoque se recipere: at illi eamdem viam tenentes retrogressi sunt, qua prius erant[TR6] profecti; atque ita aegre tandem locum trajectus repererunt. (4) Quum vero noctu advenirent solutumque offenderent pontem; gravis eos metus incessit, ne Iones sese deseruissent.

CXLI. Erat tunc apud Darium vir aegyptius, omnium hominum vocalissimus. Hunc Darius jussit, in ripa Istri stantem, vocare Histiaeum Milesium. Quod ubi ille fecit, exaudita prima compellatione Histiaeus naves omnes ad trajiciendum exercitum expedivit, pontemque junxit.

CXLII. Atque ita Persae effugerunt: Scythae vero, illos inquirentes, iterum ab eis aberrarunt. Et exinde Scythae Ionas, quatenus liberi sunt, mollissimos et effoeminatissimos omnium hominum esse judicant; quatenus vero de eisdem ut servis verba faciunt, mancipia aiunt esse dominis quam maxime dedita et fidelissima. Haec dicteria in Ionas jactant Scythae.

CXLIII. Darius, per Thraciam profectus, Sestum in Chersonneso pervenit: unde ipse quidem navibus in Asiam trajecit, ducem vero exercitus in Europa reliquit Megabazum, virum Persam: cui Darius olim singularem habuerat honorem, hoc in eum verbo coram Persis dicto. (2) Mala Punica comedere cupiverat Darius: qui postquam primum aperuit malum, quaesivit ex eo frater Artabanus, quidnam esset, cujus tantum sibi numerum esse cuperet, quantus numerus granorum in Punico malo? Cui Darius respondit: malle se tot numero Megabazos habere, quam Graeciam suae potestati subjectam. (3) Haec in Persis dicens, illum honoraverat: tunc vero eumdem imperatorem reliquit cum octo myriadibus de suo exercitu.

CXLIV. Idem Megabazus hoc dicto, quod jam relaturus sum, immortalem sui memoriam apud Hellespontios reliquit: nam quum Byzantii agens audiret, Calchedonios septemdecim annis ante Byzantios urbem suam in ea regione, ubi sita est, condidisse; hoc igitur audito de Calchedoniis dixit, eos caecos illo tempore fuisse: etenim, quum pulcrior fuisset locus condendae urbi, turpiorem non fuisse electuros, ni caeci fuissent. (2) Ille igitur Megabazus, imperator tunc relictus in Hellespontiorum regione, armis subegit civitates, quae cum Medis non sentiebant.

CLXV. Dum haec ille agebat, per idem tempus alia ingens expeditio militaris in Libyam suscepta est; cujus caussam ego exponam, postquam haecce prius commemoravero. (2) Argonautarum nepotes, a Pelasgis eis, qui Atheniensium mulieres Braurone rapuerant, Lemno ejecti, navigarant Lacedaemonem; et sedibus in Taygeto captis, ignem incenderant. (3) Id conspicati Lacedaemonii, misso nuncio sciscitabantur, quinam essent, et unde. Nuncio hi respondent, Minyas se esse, heroum illorum filios, qui in Argo navi navigassent: ab illis, postquam Lemnum adpulissent, esse se procreatos. (4) Lacedaemonii, audita hac narratione de genere Minyarum, iterum miserunt qui ex illis quaererent, quo consilio in ipsorum venissent terram, et ignem accenderent. (5) Dixerunt, a Pelasgis ejectos se ad parentes venire: aequissimum enim esse ita fieri: cupereque cum illis habitare, honorum participes, et terrae portionem sortitos. (6) Placuit tunc Lacedaemoniis, Minyas recipere eis conditionibus, quas ipsi proposuerant: maxime vero, ut hoc facerent, movit eos hoc, quod Tyndaridae participes fuerant expeditionis Argonautarum. Itaque receptis Minyis et terrae portionem adsignarunt, et per tribus eosdem distribuerunt. Et illi statim matrimonia contraxerunt; uxoresque suas, quas Lemni duxerant, aliis elocarunt.

CXLVI. Haud multo vero interjecto tempore, jam insolescere Minyae coeperunt, regni participes fieri postulantes, et alia patrantes nefaria. (2) Itaque interimere eos decrevere Lacedaemonii; et prehensos in custodiam misere. Supplicio autem adficiunt Lacedaemonii, quoscumque morte plectunt, nocturno tempore, interdiu vero neminem. (3) Quum igitur in eo essent ut supplicio eos adficerent, uxores Minyarum, quae cives erant, et primariorum Spartanorum filiae, precatae sunt ut ipsis liceret in carcerem intrare, et cum suo cujusque marito colloqui. Et hi illas introire passi sunt, nullum inde dolum suspicati: quidquid habebant vestium, id maritis dabant; ipsae maritorum vestes induebant. Ita Minyae, muliebri vestitu induti, quasi mulieres, egrediebantur: eoque modo postquam evasere, iterum in Taygeto sedes ceperunt.

CXLVII. Per idem vero tempus Theras, filius Autesionis, Tisameni nepos, Thersandri pronepos, Polynicis abnepos, colonos duxit Lacedaemone. Erat hic Theras, genere Cadmeus, avunculus filiorum Aristodemi, Eurysthenis et Proclis: qui quoad minores fuerant aetate, Theras tutor illorum nomine regnum Spartae administraverat. (2) Postquam autem adoleverunt sororis filii, regnumque capessiverunt, graviter ferens Theras ab aliis regi, qui regnum ipse gustasset; negavit Lacedaemone se mansurum, sed ad cognatos suos ait navigaturum. (3) Erant autem in insula, quae Thera nunc vocatur, cui olim Calliste nomen fuerat, Membliari posteri, Poecilis filii, natione Phoenicis. (4) Cadmus enim, Agenoris filius, Europam quaerens, ad Theram quae nunc vocatur adpulerat; ibi quum adpulisset, tum, sive quod ei placeret illa regio, sive alia quapiam caussa permotus, reliquit in ea insula quum alios Phoenices, tum ex cognatis suis Membliarum: (5) itaque hi Callistam quae tunc vocabatur habitabant per octo hominum generationes, priusquam Theras Lacedaemone eo advenisset.

CXLVIII. Ad hos igitur Theras cum multitudine quadam e Spartanorum tribubus profectus est, una cum illis habitaturus, et neutiquam insula eos ejecturus, sed admodum sibi eorum animos concilians. (2) Jam, quum Minyae ex carcere profugi in Taygeto consedissent, et de eis interficiendis deliberarent Lacedaemonii, deprecatus est Theras ne fieret caedes, pollicitus se illos ex ipsorum finibus educturum. (3) Cui sententiae quum cessissent Lacedaemonii, tribus navibus triginta remorum Theras ad Membliari posteros navigavit; non utique omnes secum Minyas ducens, sed exiguum eorum numerum. (4) Nam major pars in Paroreatarum et Cauconum fines se contulit: hisque terra sua ejectis, in sex partes sese partiti sunt, et deinde in eadem regione haecce oppida condiderunt, Lepreum, Macistum, Phrixas, Pyrgum, Epium, Nudium; quorum quidem pleraque ab Eleis mea aetate eversa sunt. Insula autem, quam dixi, a conditoris nomine Thera est adpellata.

CXLIX. Filius autem Therae enavigare cum patre noluerat: itaque dixerat pater, se eum relinquere tamquam ovem inter lupos: (graece ὄῒν ἐν λύχοις): a quo dicto nomen huic adolescenti oeolycus (Ovilupus) inditum est, idque nomen dein invaluit. (2) Hujus oeolyci filius fuit aegeus; a quo aegidae nomen habent, magna tribus Spartae. Qua ex tribu viris quum in vita non manerent liberi, ex oraculi edicto statuerunt templum Furiis Laii et oedipodis dedicatum: et ex eo tempore mansere illis liberi, itemque in Thera insula eis qui ex his viris progeniti sunt.

CL. Hactenus Lacedaemoniorum narratio et Theraeorum consentit: quae his subjungam, ea soli Theraei memorant ita accidisse. (2) Grinus, aesanii filius, unus ex posteris hujus Therae, quum rex Theraeorum esset, Delphos venit, hecatomben offerens nomine civitatis: sequebanturque eum et alii ex civibus, atque etiam Battus, Polymnesti filius, de Euphemi genere, unius ex Minyis. (3) Grino vero, regi Theraeorum, quum de aliis rebus consuleret oraculum, edixit Pythia, civitatem debere eum in Libya condere. Tum ille respondit: «At equidem, o Rex, aetate jam sum provectior, et gravis ad majus quidpiam moliendum. Quin tu aliquem ex junioribus hisce id facere jube.» Ista dicens, Battum digito monstravit. (4) Et haec quidem tunc. Deinde vero, postquam abierant, neglexerunt oraculi effatum; quum nec Libya ubi esset nossent, nec auderent coloniam mittere obscuram in rem.

CLI. Post haec vero per septem annos non pluit Therae; arboresque ipsis in insula omnes, una excepta, exaruerant. Consulentibus igitur oraculum Theraeis, objecit Pythia coloniam in Libyam deducendam. (2) Itaque, quum nullum aliud ipsis esset mali remedium, in Cretam nuncios mittunt, qui quaererent, an Cretensium aliquis, aut inquilinorum, in Libyam umquam pervenisset. (3) Nuncii per Cretam oberrantes, quum in alia oppida, tum Itanum venerunt; ubi cum purpurario quodam, cui nomen erat Corobius, sermones miscent, qui eis ait, ventis se in Libyam fuisse delatum, et quidem in Plateam insulam Libyae venisse. (4) Hunc igitur hominem, proposita mercede, Theram ducunt. Et ex Thera mittuntur primum exploratores, haud multi numero: quibus quum viam in Plateam hanc insulam Corobius monstrasset, relinquunt ibi Corobium cum nescio quot mensium cibariis, et ipsi ocyus domum navigarunt, nuncium Theraeis de illa insula relaturi.

CLII. Quibus ultra constitutum tempus redire differentibus, Corobium omnia defecerunt. (2) Deinde vero Samia navis, aegyptum petens, cujus nauclerus Colaeus erat, ad Plateam hanc delata est: et Samii, postquam a Corobio rem omnem cognoverunt, unius anni cibaria ei reliquerunt. (3) Tum hi, ex insula profecti, quum aegyptum petentes navigarent, subsolano vento sunt abrepti, et, non intermittente vi venti, per Herculis columnas transvecti, Tartessum pervenere, divino quodam numine eos deducente. (4) Erat ea tempestate integrum hoc emporium: itaque iidem inde redeuntes, maximum Graecorum omnium, quorum certior quaedam ad nos notitia pervenit, ex mercibus lucrum fecerunt, post Sostratum utique, Laodamantis filium, aeginetam: cum hoc enim nemo alius contendere potest. (5) Samii vero decimam lucri partem eximentes, sex talenta, ahenum faciendum curarunt, ad crateris Argolici modum, circa quod sunt grypum capita prominentia: atque in Junonis templo hoc ahenum dedicarunt, impositum tribus aeneis colossis septenorum cubitorum, qui genubus innituntur. (6) Ab hoc autem facto primum ingens amicitia Cyrenaeis Theraeisque cum Samiis contracta est.

CLIII. Theraei vero, postquam, relicto in insula Corobio, Theram redierant, renunciarunt, esse a se insulam in Libyae ora conditam. (2) Placuit igitur Theraeis, ut e singulis ditionis suae locis, quae numero septem erant, viri mitterentur, ita quidem ut frater cum fratre sorte contenderet uter in coloniam abiret: ducemque eorum atque regem Battum designarunt. Ita igitur duas naves quinquaginta remorum in Plateam miserunt.

CLIV. Haec Theraei memorant: in reliqua narratione Theraeis cum Cyrenaeis convenit. Nam quod ad Battum spectat, neutiquam cum Theraeis Cyrenaei consentiunt. Rem enim hi ita narrant. (2) Est Cretae urbs Axus, cujus rex fuit Etearchus. Is quum filiam haberet matre orbam, nomine Phronimam, aliam duxit uxorem. Haec post illius matrem domum ducta, voluit etiam re ipsa noverca esse Phronimae, multis eam malis adficiendo, et quidlibet adversus eam moliendo: ad extremum, impudicitiae crimen ei inferens, persuasit marito rem ita esse. (3) Et ille, persuasus ab uxore, nefarium in filiam facinus machinatur. Aderat tunc Axi Themison, civis Theraeus, mercaturam faciens. Hunc, hospitio exceptum, jurejurando adstringit ad operam sibi in ea re, quam ab illo petiturus esset, navandam. (4) Qui quum interposito juramento fidem suam dedisset, adductam ei tradidit filiam suam, jubens ut abductam in alto mari demergeret. Themison, fraudem jurisjurandi indigne ferens, soluto hospitio, haecce fecit: (5) accepta puella, navi profectus est: ubi vero in alto fuit, quo se exsolveret jurisjurandi religione ab Etearcho sibi oblata, funibus religatam puellam in mare demisit, rursusque extractam secum Theram duxit.

CLV. Inde Phronimam domum suam sumpsit Polymnestus, spectatus vir apud Theraeos, eaque pro pellice usus est. Circumacto tempore natus est huic ex illa filius, haesitante voce et balbutiente; cui nomen impositum est Battus, ut quidem Theraei et Cyrenaei aiunt: ut vero mihi videtur, aliud statim impositum ei nomen erat; Battus vero deinde demum, postquam in Libyam pervenit, nominatus est, nomine sumpto ab oraculo quod ei Delphis editum erat, et a dignitate quam inter suos habuit: (2) regem enim Libyes Battum vocant; eaque de caussa puto Pythiam, oraculum edentem, Libyca illum lingua adpellasse, quum sciret regem eum fore in Libya. Nam postquam ille ad virilem pervenit aetatem, Delphos profectus est, de voce sua consulturus; (3) consulenti autem haec respondit Pythia:

Batte, vocis caussa venisti: at te rex Phoebus Apollo

in Libyam mittit ovibus divitem, coloniae conditorem.

quasi dixisset Graeco sermone utens, «Rex, vocis caussa venisti.» (5) Tum vero ille respondit: «O Rex, equidem veni, vocis meae caussa te consulturus; tu vero mihi alia respondes impossibilia, jubens me coloniam in Libya condere: quanam tandem vi? qua hominum manu?» (6) Quae ille dicens, non persuasit Pythiae ut aliud sibi responsum daret. Quum igitur eadem, quae antea, ei responderet; interim Battus, illa relicta, Theram rediit.

CLVI. Post haec et in hunc ipsum et in reliquos Theraeos denuo ira dei incubuit. Et Theraei caussam ignorantes calamitatum, Delphos misere qui de praesentibus malis consulerent. Quibus Pythia respondit, si cum Batto Cyrenen in Libya coloniam conderent, melius cum ipsis actum iri. (2) Miserunt posthaec Theraei Battum cum duabus navibus quinquaginta remorum: sed hi, postquam in Libyam navigarunt, quoniam caeteroquin quod agerent non habebant, Theram sunt reversi. (3) At redeuntes telis repelerunt Theraei, nec adpellere ad terram passi sunt, sed retro navigare jusserunt. Illi igitur, necessitate coacti, navibus retro abierunt: et insulam condiderunt ad oram Libyae sitam, cui nomen (ut supra dictum) Platea. Dicitur autem haec insula pari esse magnitudine, atque nunc est urbs Cyrenaeorum.

CLVII. Hanc insulam postquam per biennium habitarant, quum nihil illis prospere cederet, uno suorum ibi relicto, reliqui omnes Delphos navigarunt: oraculumque adeuntes, responsum petiere, dicentes, Libyam se habitare, nec idcirco melius secum agi. (2) Ad haec illis tale responsum Pythia dedit:

Si tu Libyam ovium nutricem melius nosti,

qui non adiisti, quam ego qui adii; valde miror tuam sapientiam.

Quae Battus cum suis ubi audivit, retro navigavit: nec enim illos condenda colonia, quasi mandato satisfecissent, prius absolvit deus, quam in ipsam Libyam pervenissent. (3) Igitur postquam in insulam pervenerunt, recepto eo quem ibi reliquerant, in ipsa Libya e regione insulae locum eum condiderunt cui nomen Aziris; quem amoenissimi colles cum nemoribus et vallibus utrimque includunt, et ab altero latere amnis praeterfluit.

CLVIII. Hunc locum quum per sex annos incoluissent, septimo anno, precantibus indigenis, et meliorem in locum sese illos perducturos esse pollicentibus, persuasi sunt hunc relinquere. (2) Duxeruntque eos Libyes inde moventes occidentem versus: per pulcerrimam autem regionem, ne eam transeuntes Graeci viderent noctu eos transduxerunt, diei horam ita commensi: nomen

huic regioni Irasa est. (3) Deinde eos ad fontem duxerunt, qui Apollini sacer perhibetur, dixeruntque: «Viri Graeci, hic vobis commodum est habitare: hic enim perforatum est coelum.»

CLIX. Jam, quousque et Battus vixit, coloniae conditor, qui annos regnavit quadraginta, et hujus filius Arcesilaus, qui sedecim annos regnavit, habitarunt hanc regionem Cyrenaei tot numero, quot initio in coloniam fuerant missi. Tertio vero regnante, Batto cognomine Felice, Graecos omnes Pythia edito oraculo induxit, ut in Africam navigarent, cum Cyrenaeis eam frequentaturi: invitaverant enim illos Cyrenaei, agrorum partitionem polliciti. (2) Oraculum Pythiae tale erat:

Serior in Libyen quisquis pervenerit almam

post dicretum agrum, mox hunc, affirmo, pigebit.

Postquam igitur magna hominum multitudo Cyrenen confluxit, finitimi Libyes, magna regionis parte exclusi, rexque eorum, cui nomen erat Adicran, quippe agris exuti et contumeliose habiti a Cyrenaeis, missis in aegyptum legatis, Apriae regi aegypti sese tradiderunt. (3) Et ille ingentem aegyptiorum contractum exercitum contra Cyrenen misit. Cui Cyrenaei cum suis copiis in regionem cui Irasa nomen et ad fontem Thestin obviam progressi, praelio cum aegyptiis commisso victoriam reportarunt. (4) aegyptii enim, Graecorum arma prius non experti, illosque aspernati, ita caesi sunt, ut eorum pauci quidam in aegyptum redierint. Cujus cladis culpam ipsi Apriae tribuentes aegyptii protinus ab eo defecerunt.

CLX. Batti hujus filius fuit Arcesilaus; qui postquam regnum suscepit, primum cum fratribus suis discordias exercuit; donec hi, illo relicto, in alium Libyae locum concesserunt, inter seque inito consilio urbem hanc condiderunt, cui nomen inditum, quod etiam nunc obtinet, Barca; simulque Afris, ut a Cyrenaeis deficerent, persuaserunt. (2) Post haec Arcesilaus adversus hos Afros, qui fratres suos receperant, et ab ipso defecerant, arma movit. Afri vero, illum metuentes, ad Libyes versus orientem incolentes confugerunt: (3) et Arciselaus, fugientes secutus, et Leuconem usque, Libyae oppidum, persecutus est: ibi adgredi eum Libyes statuerunt. Qui praelio commisso tam insignem victoriam reportarunt de Cyrenaeis, ut ex iis septem millia armatorum in illo loco ceciderint. (4) Post eam cladem aegrotans Arcesilaus, quum medicamentum sumpsisset, a fratre Learcho strangulatus est. Learchum vero uxor Arcesilae, cui nomen erat Eryxo, per dolum occidit.

CLXI. Arcesilao in regnum successit filius Battus, pede claudus neque integer. Cyrenaei vero ob tristem rerum suarum statum Delphos miserunt qui deum consulerent, qua inita ratione optime res suas administrarent. (2) Quos Pythia jussit ex Mantinea Arcadiae moderatorem arcessere. Petierunt igitur Cyrenaei a Mantinensibus: hique illis dederunt virum inter cives probatissimum, cui nomen erat Demonax. Hic vir igitur postquam Cyrenen pervenit, cognitis rebus singulis, primum in tres tribus distribuit Cyrenaeos, partitione in hunc modum instituta: (3) Theraeorum et eorum qui in vicinia habitabant [sive perioecorum], unam partem constituit; alteram partem

Lacedaemoniorum et Cretensium; tertiam reliquorum insularium. Deinde, regi Batto eximios tribuens agros et sacerdotia, reliqua omnia, quae antea regum fuerant, populo in medium posuit.

CLXII. Jam, regnante quidem hoc Batto, iste rerum status duravit. Sub hujus autem filio Arcesilao multae turbae de honoribus sunt exortae. Arcesilaus enim, Batti claudi filius et Pheretimae, negavit se toleraturum rerum statum a Mantinensi Demonacte ordinatum, verum honores et privilegia repetiit suorum majorum. (2) Inde excitata seditione victus, Samum profugit: mater vero Pheretima, et ipsa fugiens, Salaminem Cypri se recepit. (3) Salaminem per id tempus tenuit Euelthon, is qui thuribulum illud spectatu dignum Delphis dedicavit, quod est in Corinthiorum thesauro repositum. (4) Hunc adiens Pheretima, exercitum ab eo petiit, qui se et filium Cyrenen reduceret. At ei Euelthon quidlibet magis, quam exercitum, dedit. Et illa accipiens dona, bonum quidem, ait, et hoc esse; melius vero illud fore, si petenti sibi daret exercitum. His verbis, quoties donum aliquod accepit, usa est. (5) Postremo Euelthon dono ei misit fusum aureum et colum, cui lana etiam circumdata. Quumque idem dictum Pheretima repeteret, respondit Euelthon, talia munera dari mulieribus, non exercitum.

CLXIII. Per idem tempus Arcesilaus, Sami moratus, unumquemque excitabat spe dividendorum agrorum proposita. Quumque jam magnam manum contraxisset, Delphos est profectus, de reditu consulturus oraculum; (2) cui Pythia hoc dedit responsum: «Quattuor Battis et quattuor Arcesilais, per octo hominum generationes, dat Loxias regnum obtinere Cyrenae: ulterius vero ut ne conemini quidem hortatur. (3) Tu tamen, quum domum redieris, quietus esto: et quando fornacem repereris plenum amphoris, ne excoque amphoras, sed ad auram illas emitte. Sin excoxeris fornacem, ne in circumfluum intres: alioqui peribis tu et pulcerrimus taurus.»

CLXIV. Hoc a Pythia accepto responso Arcesilaus, sumptis secum Samiis, Cyrenen rediit. Et ibi rerum potitus, editi oraculi non erat memor, sed poenas repetivit exsilii sui ab adversariis. (2) Horum autem alii regione prorsus excesserunt: alios vero, in potestatem suam redactos, Arcesilaus Cyprum misit, ibi interficiendos. At hos quidem Cnidii, suam ad oram delatos, servarunt, et Theram miserunt. Alios vero Cyrenaeorum nonnullos, qui in privatam Aglomachi magnam turrim confugerant, circumdata materia Arcesilaus cremavit. (3) Quo patrato facinore animadvertens hanc esse oraculi sententiam, quod noluisset Pythia ut repertas in fornace amphoras excoqueret, Cyrenaeorum urbe ultro abstinuit, mortem timens oraculo significatam, et circumfluam illam existimans esse Cyrenen. (4) Habuit uxorem, cognatam sui, filiam regis Barcaeorum, cui nomen erat Alazir: ad hunc se recepit. At ibi conspicati eum cives Barcaei et Cyrenaeorum exsulum nonnulli in foro versantem interfecerunt, simulque cum illo socerum Alazirem. Ita Arcesilaus, oraculi responso sive volens sive praeter suam voluntatem non obsecutus, fatum suum implevit.

CLXV. Dum Arcesilaus, mali sui sibi auctor, Barcae versabatur, interim mater ejus Pheretima honoribus filii Cyrenae fungebatur, quum caetera administrans, tum in senatu adsidens: postquam vero filium cognovit Barcae periisse, relicta Cyrene in aegyptum profugit. (2) Exstabant enim merita ab Arcesilao in Cambysen Cyri filium collata: erat quippe hic Arcesilaus, qui Cyrenen Cambysi tradiderat, et tributum ei pactus erat pendendum. In aegyptum ubi

pervenit Pheretima, supplex adiit Aryanden, suppetias sibi ferre rogans; caussam interserens, periisse filium suum eo quod Medorum favisset partibus.

CLXVI. Erat hic Aryandes praefectus aegypti, a Cambyse constitutus; idem qui postea, quum se parem gereret Dario, interfectus est. Postquam enim cognovit viditque Darium cupere monumentum relinquere sui, quale nemo ante illum rex effecisset, aemulatus est eum, donec tandem mercedem retulit. (2) Etenim Darius aurum ita excoquendum curaverat, ut, quoad maxime fieri posset, esset purgatissimum; quo ex auro monetam procudit. Aryandes vero, aegypti praefectus, idem ipsum argento fecit: atque etiam nunc purgatissimum argentum est Aryandicum. Id ubi eum facere cognovit Darius, alia in eum culpa collata, quasi adversus ipsum rebelasset, interficiendum curavit.

CLXVII. Tunc vero Aryandes hic, miseratus Pheretimam, pollicetur et universum qui in aegypto erat exercitum, pedestrem et classiarium: duce nominato pedestrium copiarum Amasi, de Maraphiorum genere; navalium vero Badra, de genere Pasargadarum. (2) Priusquam autem mitteret exercitum, praeconem in urbem Barcam misit, quaesiturum quis esset qui Arcesilaum interfecisset. Barcaei vero universi in se culpam receperunt, multa ab illo mala passos se esse dicentes. (3) Qua re cognita, tum demum exercitum cum Pheretima misit. Et haec quidem caussa verbo tenus praetendebatur: missus autem, ut mihi quidem videtur, est exercitus hoc consilio, ut Libyes sub Persarum redigerentur potestatem. Sunt enim Libyum (sive Afrorum) multi atque varii populi: quorum pauci nonnulli regis imperio parebant, plerique autem nullam Darii habebant rationem.

CLXVIII. Habitant autem Libyes hoc modo, incipiendo ab aegypto, primi Afrorum sedes habent Adyrmachidae qui institutis quidem maximam partem utuntur aegyptiis, vestem vero gestant, qualem caeteri fere Libyes. (2) Mulieres eorum in utraque tibia armillam gestant aeneam: comam alunt; et pediculos, quos quaeque capit, vicissim mordet, atque ita abjicit. (3) Hi soli ex cunctis Afris hoc faciunt: iidemque soli virgines, quum in eo sunt ut nubant, regi ostendunt; quarum quaecumque illi placet, eam rex devirginat. (4) Pertinent hi Adyrmachidae ab aegypto usque ad portum cui nomen est Plynus.

CLXIX. His contigui sunt Giligammae, terram incolentes occidentem versus, usque ad Aphrodisiadem insulam. In hujus regionis medio ad oram sita est Platea insula, in quam Cyrenaei duxerant coloniam; in continente vero est Menelaius portus, et Aziris oppidum, quod incolebant Cyrenaei; (2) unde incipit silphium; pertinet autem silphium a Platea insula usque ad ostium Syrtis. Institutis hi utuntur iisdem fere atque ii de quibus ante dictum.

CLXX. Giligammarum, occidentem versus, finitimi sunt Asbystae. Hi supra Cyrenen habitant: nec ad mare pertinent; oram enim maritimam Cyrenaei incolunt. (2) In regendis quadrigis non postremi sunt, sed vel maxime inter Afros omnes eminent. Instituta autem pleraque aemulantur Cyrenaeorum.

CLXXI. Asbystis ab occidente contermini sunt Auschisae. Hi super Barcam habitant, pertinentque ad mare circa Euesperidas. (2) In media Auschisarum ditione habitant Bacales, exiguus populus, ad mare pertinentes prope Tauchira, oppidum ditionis Barcaeae. Iisdem institutis hi utuntur atque illi qui supra Cyrenen habitant.

CLXXII. Auschisarum horum, versus occidentem, finitimi sunt Nasamones, numerosus populus; qui aestate, relictis ad mare pecoribus, ad locum cui Augila nomen, adscendunt, palmulas collecturi: nascuntur enim ibi frequentes palmae arbores, insigni magnitudine, et frugiferae omnes. (2) Iidem locustas venantur, quas ad solem siccatas molunt, et deinde lacti inspersas una cum lacte bibunt. Uxores quidem quisque complures solet habere, sed promiscue cum quibuslibet coeunt: simili modo, atque Massagetae, scipione prius in terram defixo concumbunt. (3) Quando primum uxorem ducit vir Nasamon, moris est ut prima nocte sponsa cum singulis deinceps convivis concumbat: et quilibet, postquam coiit, donum dat quod domo secum attulit. (4) Jurisjurandi et divinationis apud eos hi ritus sunt: jurant per viros qui inter ipsos justissimi et fortissimi dicuntur fuisse; per hos jurant, sepulcra eorum tangentes. Divinaturi, ad sepulcra accedunt majorum, et peractis precibus ibidem indormiunt: quodcumque dein visum quisque per somnum vidit, eo utitur. (5) Fidem sibi mutuo dant hoc modo: alter alteri ex sua manu praebet bibendum, vicissimque ex alterius bibit manu: quodsi liquoris nihil adest, pulverem humo sublatam lingunt.

CLXXIII. Nasamonibus contermini sunt Psylli. Hi tali modo interierunt: Notus ventus exsiccaverat receptacula, quae habuerant, aquarum: est enim regio intra Syrtin omnis aquarum inops. Tum illi, re deliberata, communi consilio adversus Notum expeditionem susceperunt: (refero autem haec, quae Libyes narrant:) et, postquam in arenas pervenerunt, coortus Notus eos obruit. Quibus exstinctis, regionem eorum Nasamones occuparunt.

CLXXIV. Supra hos, meridiem versus, in regione feris frequente, habitant Garamantes; qui quemcumque hominem fugiunt; et cujuscumque commercium: nec arma ulla ad belli usum hi habent, nec pugnare norunt.

CLXXV. Hi igitur supra Nasamones habitant: juxta mare vero, et ab occidente, finitimi eorumdem Macae sunt. Hi in medio capillos crescere sinentes, hinc vero atque illinc in cute tondentes, per hanc tonsuram cristas gerunt. In bellum proficiscentes, struthionum terrestrium pelles pro scutis gestant. (2) Per eorumdem ditionem Cinyps fluvius, ex colle profluens cui nomen Charitôn, (id est, Gratiarum collis) in mare provolvitur. Hic collis Charitôn nemoribus frequens est, quum reliqua Libya, quam adhuc commemoravi, arboribus nuda sit. A mari ad illum stadia sunt ducenta.

CLXXVI. Macis his proximi sunt Gindanes: quorum mulieres fascias ex pellibus ad pedum malleolos gestant unaquaeque multas; idque hac de caussa fieri aiunt: ut cum quoque viro concubuit mulier, ita fasciam circumligat; et, quae plurimas gestat, ea praestantissima esse judicatur, quippe a plurimis viris amata.

CLXXVII. Oram horum Gindanum, quae in mare prominet, Lotophagi habitant; qui nullo alio cibo, nisi loti fructu, vitam sustentant. (2) Est autem loti fructus magnitudine baccae lentisci, dulcedine vero similis fructui palmae arboris. Parant vero Lotophagi etiam vinum ex eodem fructu.

CLXXVIII. Lotophages, secundum mare, excipiunt Machlyes; qui et ipsi quidem loto utuntur, verumtamen minus quam praedicti. (2) Pertinent hi ad flumen magnum, cui nomen Triton: infunditurque is fluvius in magnum lacum Tritonidem, in quo est insula cui nomen Phla. Hanc insulam, aiunt, Lacedaemonios ex oraculi effato colonis debuisse frequentare.

CLXXIX. Narratur vero etiam haec historia: Iasonem, postquam sub Pelio navem Argo construxisset, quum alia hecatombe, tunc et tripode aeneo in navem imposito, Peloponnesum esse circumvectum, Delphos profecturum, sed quum circa Maleam navigaret, vento borea abreptum et ad Libyam fuisse adpulsum; priusquam autem terram conspexisset, haesisse in brevibus Tritonidis lacus. (2) Ibi tunc inopi consilii, nescientique quo pacto educeret navem, adparuisse aiunt Tritonem, jussisseque Iasonem, ut sibi daret tripodem illum; dicentem, se illis monstraturum exitum, et incolumes emissurum. (3) Cui postquam morem gessisset Iason, tum Tritonem illis tutum per brevia exitum monstrasse, et tripodem in suo templo deposuisse; ex eodem vero tripode oraculo edito rem omnem Iasoni ejusque sociisque praedixisse; nempe, si quis ex Argonautarum posteris tripodem illum abstulisset, tunc inevitabili necessitate centum urbes Graecas circa Tritonidem lacum esse condendas. Quae ubi cognovissent Libyes hanc regionem incolentes, tripodem illos occultasse.

CLXXX. Machlyum horum finitimi sunt Ausenses; qui pariter atque illi Tritonidem lacum adcolunt, sed interfluente Tritone ab illis dirimuntur. Et Machlyes quidem in postica capitis parte comam alunt; Ausenses vero in anteriore. (2) Annuo Minervae festo virgines horum duabus a partibus stantes pugnant invicem lapidibus atque fustibus, dicentes, indigenae deo (quam Minervam nos vocamus) se patrio ritu officium praestare. Si quae virgines ex vulneribus moriuntur, has falso nominatas virgines dicunt. (3) Priusquam vero illas ad pugnandum committant, hoc faciunt: pulcerrimam virginum publice exornant galea Corinthia reliquaque armatura Graecanica, et currui impositam circa lacum circumvehunt. (4) Quonam vero cultu virgines ornaverint priusquam Graeci in eorum vicinia habitarunt, non habeo dicere: videntur mihi autem aegyptiis armis eas instruxisse. Nam ab aegypto et scutum et galeam autumo ad Graecos pervenisse. (5) Minervam autem perhibent esse Neptuni filiam et Tritonidis paludis; dedisse autem se ipsam Jovi, quum nescio quid haberet quod de patre conquereretur: Jovemque eam pro filia adoptasse. (6) Haec quidem ita narrant. Caeterum promiscue cum mulieribus pecudum more coeunt, non una habitantes. Tertio quoque mense conveniunt viri: quo in conventu, postquam adultus est puer quem mulier peperit, cui viro similis reperitur puer, is ejus pater esse censetur.

CLXXXI. Quos adhuc recensui, hi sunt Nomades Libyes, mare adcolentes. Supra hos vero, mediterranea versus, feris frequens Libya est. Tum supra hanc Ferinam Libyam supercilium porrigitur arenosum, a Thebis aegyptiis usque versus Herculeas pertinens columnas. (2) In eo supercilio per decem fere dierum iter sunt in collibus frusta salis, ingentibus grumis; et in

cujuslibet collis vertice e medio sale exsilit aqua frigida ac dulcis: circaque illas aquas habitant extremi homines versus Desertam Libyam et ultra Ferinam. Et primi quidem, a Thebis decem dierum itinere distantes habitant Ammonii, qui templum Jovis habent, a Thebaei Jovis templo derivatum: nam etiam Thebis, ut ante dictum est, arietina facie est Jovis simulacrum. (3) Est autem ibi alia etiam aqua fontana: quae mane tepida est, versus meridiem autem frigidior, ipso vero medio die admodum fit frigida, quo tempore hortos illi irrigant: (4) tum inclinante die minuitur paulatim frigus usque ad solem occidentem, ubi rursus tepida fit aqua: dein paulatim calescit magis, donec media nox adest; tunc vero fervens exaestuat: post mediam noctem rursus refrigescit usque ad auroram. Nomen fontis est Solis fons.

CLXXXII. Post Ammonios in eodem arenoso supercilio, post decem iterum dierum iter, tumulus salis est, similis Ammonio, item aqua; ibique rursus homines habitant: nomen ejus loci Augila est. Hic est locus, quo proficisci consueverunt Nasamones, palmulas collecturi.

CLXXXIII. Ab Augilis, rursus post decem dierum iter, alius est salis tumulus, et aqua, et frequentes palmae arbores frugiferae, quemadmodum et in caeteris tumulis. Ibi inhabitant homines, quibus nomen Garamantes, magnus admodum populus: qui humum in salem ingerunt, atque ita sementem faciunt. (2) Brevissima ab his via ad Lotophagos, a quibus iter est triginta dierum ad illos. In horum terra nascuntur etiam boves qui opisthonomi (retro pascentes) vocantur. Sunt autem opisthonomi hanc ob caussam, quod cornua habent antrorsum curvata; (3) qua de caussa retro gradientes pascuntur: nam antrorsum progredientes pasci non possunt, quoniam, priusquam progredi possint, cornua in terram impinguntur. Caeterum ab aliis bobus nil differunt, nisi hoc ipso, et corii crassitie duritieque. (4) Iidem Garamantes quadrigis venantur Troglodytas aethiopas. Sunt enim hi Troglodytae aethiopes pedibus pernicissimi omnium hominum, de quibus fando relatum audivimus. (5) Vescuntur autem Troglodytae serpentibus atque lacertis, et id genus reptilibus: sermone vero utuntur nulli alii simili; sed strident veluti noctuae.

CLXXXIV. Post Garamantes, interjecto iterum dierum decem itinere, alius est salis tumulus, et aqua: quo loco homines habitant, qui Atarantes vocantur.[TR7] Hi soli omnium, quos novimus, hominum innominati sunt: nam cuncti quidem in universum Atarantes nominantur, unicuique autem per se nullum nomen impositum est. (2) Iidem solem capitibus ipsorum imminentem exsecrantur et foedis quibusque conviciis incessunt, eo quod et ipsos homines et ipsorum terram urendo vexet et consumat. (3) Deinde, post aliorum decem dierum iter, est alius salis tumulus, et aqua et circùm habitantes homines: cui salis tumulo proximus est mons, cui nomen Atlas; (4) angustus est, et circumcirca rotundus; idem ea esse altitudine perhibetur, ut vertices ejus conspici non possint; numquam enim nubibus vacare, nec aestate, nec hieme. Hunc montem coeli fulcrum esse aiunt indigenae. (5) Ab hoc monte homines isti nomen invenere: Atlantes enim vocantur. Dicuntur autem hi nec animatum quidquam comedere, nec insomnia videre.

CLXXXV. Ad hos igitur usque Atlantes nomina edere possum populorum, supercilium illud habitantium; ulterius vero non possum. Porrigitur autem idem supercilium usque ad Herculeas columnas, atque etiam extra eas. (2) Suntque in illo ex denorum dierum itineris intervallo salis fodinae, et homines ibi habitantes, quorum omnium domus ex salis grumis sunt exstructae: nam

iste jam Libyae tractus pluvia caret; nec vero durare muri aedium illi possent, si plueret. (3) Effoditur autem ibi sal et albus colore, et purpureus. Ultra istud vero supercilium, versus meridiem et mediterranea Libyae, deserta est terra, et aquis, feris, pluvia, lignis vacua, omnique humore prorsus destituta.

CLXXXVI. Itaque inde ab aegypto usque ad Tritonidem quidem lacum sunt Nomades Libyes, carnium esu et lactis potu viventes. Vaccarum vero carnem hi non gustant, eamdem ob caussam propter quam nec aegyptii: neque vero porcos alunt. (2) Vaccarum carne vesci Cyrenaeorum etiam mulieres nefas ducunt propter aegyptiam Isin, cujus in honorem etiam jejunia agunt et festos dies celebrant: Barcaeorum vero mulieres non modo vaccas, sed ne porcos quidem gustant. Et haec quidem ita se habent.

CLXXXVII. Qui vero ab occidente Tritonidis lacus habitant Libyes, hi non jam nomades sunt, neque eisdem utuntur institutis, nec pueris faciunt simile quiddam quod Nomades facere consuerunt. (2) Nomades enim Libyae, haud satis scio an omnes, multi certe eorum hoc faciunt: quando pueri eorum quartum annum compleverunt, tunc illis venas in vertice capitis lana ovium succida urunt, nonnulli etiam venas temporum; idque hac caussa faciunt, ne insequente tempore umquam ex pituita laborent e capite defluente: et hanc ob caussam aiunt optima se frui valetudine. (3) Revera enim Libyes prae omnibus hominibus, quos novimus, firmissima utuntur valetudine; an hac ipsa de caussa, equidem pro certo haud dixerim: sunt autem utique firmissima valetudine. (4) Quodsi pueros, dum inuruntur, convulsio corripit, inventa est ab eis medicina: inspersa hirci urina eis medentur. Refero autem quae ab ipsis Afris narrantur.

CLXXXVIII. Sacrificiorum ritus apud Nomades hi sunt: ab aure pecudis auspiciantur, quam praecisam super humerum projiciunt: hoc facto, cervicem victimae retro vertunt. Non autem immolant nisi Soli et Lunae. (2) His Libyes cuncti sacra faciunt: sed, qui circa Tritonidem lacum sedes habent, hi Minervae maxime, et post hanc Tritoni et Neptuno sacrificant.

CLXXXIX. Vestem vero et aegides, quibus instruuntur Minervae imagines, a Libyssis adoptarunt Graeci: praeterquam enim quod pellicea est Libyssarum vestis, et quod fimbriae, ex illarum aegidibus (thoracibus caprinis) pendentes, non serpentes sunt, sed ex loris factae, reliqua omnia eodem modo instructa sunt. (2) Atque etiam nomen declarat, ex Libya venisse cultum quo instruuntur Palladia: quippe Libyssae mulieres vesti suae circumjiciunt nudas aegeas (thoraces ex pelle caprina) fimbriatas, rubia tinctas: ex his vero aegeis Graeci aegidas denominarunt. (3) Videturque mihi etiam ululatus in sacris hic primum exstitisse: utuntur hoc enim maxime mulieres Libyssae, et belle utuntur. Etiam quadrijugos equos jungere ab Afris didicerunt Graeci.

CXC. Mortuos sepeliunt Nomades eodem modo atque Graeci, exceptis Nasamonibus. Hi enim sedentes sepeliunt: eoque curant, ut aeger, quum in eo est ut animum efflet, sedeat, nec supinus moriatur. (2) Domus illorum ex asphodelorum caulibus compactae sunt, intertextis juncis; suntque portatiles. Hujusmodi istorum sunt instituta.

CXCI. Ab occasu Tritonis fluvii Ausensibus jam finitimi sunt Agricolae Libyes, et stabilibus domibus utentes; quorum nomen est Maxyes. Hi in dextra capitis parte comam alunt, sinistram tondent: corpus vero minio tingunt. (2) Aiuntque se hi ex Trojanis viris esse oriundos. Regio haec autem, et reliqua pars Libyae occidentem spectans, multo frequentior est feris silvisque quam Nomadum regio. (3) Nam orientalis Libyae tractus, quem Nomades incolunt, humilis est et arenosus, usque ad Tritonem fluvium: qui vero hinc ad occidentem vergit, qui Agricolarum est, is montanus admodum, et nemorosus, et feris bestiis frequens. (4) Sunt enim ibi immani magnitudine serpentes, sunt ibidem leones, et elephanti, et ursi, et aspides, et asini cornuti: sunt item cynocephali (canicipites), et acephali (sine capite homines) oculos in pectore habentes, ut quidem Libyes perhibent, et feri viri, feminaeque ferae; denique alia multa numero monstra ficta et ementita.

CXCII. In Nomadum vero regione nihil horum, sed alia bestiarum genera haecce: pygargi (de genere antiloparum), dorcades, bubali, asini, non cornuti illi, sed alii impoti, nempe qui non bibunt: tum oryes (sive oryges, antiloparum species), quorum ex cornibus conficiuntur Punicarum cithararum brachia (ad verticillos inserendos), bovis fere magnitudine bestia; sunt item bassaria, (de vulpium genere), hyaenae, hystrices, feri arietes, dictyes, thoes, pantheres, boryes, crocodili terrestres tricubitales, lacertis simillimi, struthiones terrestres, serpentes pusilli singulis cornibus instructi. (2) Et hae ibi bestiae sunt, et aliae quae item alibi, cervo et apro exceptis: cervus enim et aper in Africa omnino nullus reperitur. (3) Sunt autem ibidem murium tria genera; unum eorum qui bipedes vocantur: alii zegeries, Libyco nomine, quod Graeca lingua colles significat: tertium genus, echinees. (4) Sunt etiam mustelae, quae in silphio nascuntur, Tartessiis simillimae. Tot bestiarum genera habet haec Nomadum Libycorum regio, quoad nos longissime percunctando comperire potuimus.

CXCIII. Maxyum Afrorum finitimi Zaueces sunt; quibus mulieres plaustra aurigantur, in bellum proficiscentibus.

CXCIV. His contigui sunt Gyzantes: apud quos plurimum mellis parant apes: multo vero major copia paratur hominum artificio. Hi omnes minio pinguntur; vescunturque simiis, quarum incredibilis copia in eorum montibus nascitur.

CXCV. Prope horum regionem, aiunt Carthaginienses, insulam esse, cui nomen Cyraunis, ducentorum stadiorum longitudine, latitudine arctam, in quam transiri e continenti possit: esse autem eam oleis et vitibus refertam. (2) Esse in eadem lacum, e quo virgines indigenae pennis volucrium pice illitis ramenta auri ex limo referant. Hoc quidem an vere ita habeat nescio: scribo autem quae narrantur. Fuerit autem omnino verum; quandoquidem etiam Zacynthi e lacu et ex aqua colligi picem ipse vidi. (3) Sunt ibi lacus quidem plures, quorum maximus est septuaginta pedum quaquaversum, duodecim pedum altitudine: in hunc[TR8] demittunt contum, cujus in extremo myrtus alligata est; hac myrto educunt picem, quae odorem habet asphalti, caeterum Piericae praestat pici. (4) Hanc infundunt in scrobem prope lacum effossam: et postquam probabilem picis copiam collegerunt, ex fovea illam in amphoras infundunt. Quidquid in lacum

incidit, id terram subit, et in mari rursus comparet; abest autem mare a lacu fere quattuor stadia. Ita igitur etiam, quae de insula illa narrantur ad Africam sita, non dissimilia vero sunt.

CXCVI. Narrant iidem Carthaginienses haecce: esse locum Libyae extra Herculeas columnas, hominesque ibi habitantes, quos quando ipsi mercandi caussa adeant, expositas e navi merces in ipso litoris crepidine[TR9] a se ordine disponi: tunc se, conscensis rursus navibus, excitare fumum. Indigenas, conspecto fumo, accedere ad mare, et deposito pro mercibus auro, rursus procul a mercibus discedere. (2) Tum Carthaginienses, navibus egressos, rem inspicere: et, si aequivalentem mercibus auri copiam repererint, ablato auro abire; sin minus, redire itidem in naves, ibique residere. Tum denuo accedentes illos aliud aurum ad prius adjicere, donec ipsis ut satis habeant persuaserint. (3) Nec vero alteros alteris facere injuriam: nam nec sese aurum tangere priusquam sibi pretium aequivalens mercibus fuerit visum; nec illos mercibus prius imponere manus quam ipsi accepissent aurum.

CXCVII. Hi sunt Africae populi, quos potui commemorare: et horum quidem plerique Medorum regem neque nunc curant, neque tunc ullam ejus habuerunt rationem. Hoc vero solum adhuc de hac terra dicendum habeo, quattuor nationes illam incolere, nec plures, quoad nos novimus: quarum nationum duae indigenae sunt; duae vero non sunt: Libyes et aethiopes, indigenae; illi ad septemtrionem, hi ad meridiem Libyae habitantes: Phoenices vero et Graeci, advenae sunt.

CXCVIII. Videtur mihi autem bonitate soli neutiquam praestare Libya, ut cum Asia aut cum Europa possit conferri; excepta sola Cinype; nam idem regioni nomen est atque fluvio. (2) Haec vero regio fructuum cerealium proventu par est optimae terrarum omnium; et reliquae Libyae prorsus dissimilis. Habet enim nigrum solum; frequentibus rigatur fontibus: et nec siccitatem timet, nec a nimiis imbribus inundata laeditur; pluit enim in hac Libyae parte. (3) Proventuum frumenti eadem ratio et mensura est, atque in Babylonica terra. Est vero etiam bona terra quam Euesperitae colunt; nam, quando ubertate praestat messis, fert terra horum centuplum; sed Cinyps trecentuplum.

CXCIX. Cyrenaica regio, quae altissima est hujus tractus Libyae, quem Nomades tenent, tres in se tempestates continet, miratu dignas. (2) Primum maritimus tractus fructibus turget et ad messem vindemiamque maturus est. His collectis fructibus, medius tractus, supra maritimum porrectus, quem colles vocant, ad messem maturescit. Denique comportatis ex hoc medio tractu fructibus, turgescunt etiam et ad maturitatem pervenerunt illi, qui in altissimo terrae tractu nascuntur. Ita quando epotus comestusque est primus fructus, tunc opportune adest extremus: adeoque per octo menses collectio fructuum Cyrenaeos occupat. Sed haec quidem hactenus dicta sunto.

CC. Persae ab Aryande ex aegypto auxilio missi Pheretimae, postquam Barcam venere, obsidione cinxerunt urbem, postulantes ut traderentur caedis Arcesilai auctores. Sed conditionem non accepere oppidani, quippe quorum universa multitudo particeps erat culpae. (2) Itaque oppugnarunt Barcam Persae novem continuos menses, et cuniculos agentes quibus in urbem

intrarent, et validas in murum impressiones facientes. Sed cuniculos indagavit reperitque faber aerarius aeneo scuto. Re enim secum perpensa, circumtulit scutum intra murum, et pavimento urbis admovit. (3) Jam alia loca, ubi illud admovebat, surda erant; qua parte vero erant cuniculi, ibi sonum edebat aes scuti. Itaque ibidem ex adverso cuniculum agentes Barcaei interficiebant Persas terram fodientes. Ita indagati cuniculi sunt: impressiones vero in murum factas valide repellebant Barcaei.

CCI. His rebus quum in multum temporis duceretur, multique ex utrisque caderent, ac minime pauciores ex Persarum numero, dux pedestrium copiarum Amasis hoc consilium capit. (2) Intelligens vi capi Barcaeos non posse, dolo vere posse, haec facere instituit: noctu latam fodit fossam, cui ligna parum valida instravit, superque ligna humum ingessit, ita ut superficies reliquae terrae esset aequalis. Ut illuxit, Barcaeos ad colloquium invitavit; cui lubentes illi morem gesserunt: et ad extremum placuit compositionem invicem inire. (3) Compositionem autem fecerunt, super occulta fossa sacrificantes, in has conditiones: quousque haec terra ita maneret, firmum manere jusjurandum: et Barcaeos promittere mulctam se regi soluturos; Persas vero, nihil porro se contra Barcaeos novaturos. (4) Peracto foedere, Barcaei his fidem adhibentes, et ipsi egrediebantur urbe, et hostium quisquis vellet intra muros ingredi patiebantur, omnibus apertis portis. At Persae, disrupto occulto ponte, in urbem irruebant. (5) Pontem autem, quem fecerant, hac caussa ruperunt, ut starent juramento quo pacti erant cum Barcaeis, tamdiu ratum fore foedus, quamdiu terra haec in eo statu, quo tunc esset, maneret. Rupto autem ponte, non amplius firmum manebat foedus.

CCII. Jam igitur Pheretima Barcaeorum eos, qui caedis faciendae maxime fuerant auctores, deditos sibi a Persis, circa murum crucibus suffixit, et uxorum eorumdem praesectas mammas pariter circa murum in seriem suspendi. (2) Reliquos vero Barcaeos Persis praedae loco permisit, exceptis Battiadis et eis qui caedis non fuissent participes: his vero urbem Pheretima tradidit.

CCIII. Reliquos igitur Barcaeos captivos abducentes Persae redierunt: qui quum ad Cyrenaeorum urbem accesserunt, Cyrenaei, oraculi cujusdam religione se soluturi, per ipsam urbem illos passi sunt transire. (2) Per quam dum transivit exercitus, Bares, navalibus copiis praefectus, capi urbem jussit: at Amasis, pedestris dux exercitus, ne id fieret prohibuit; contra solam Barcam, dicens, nec contra aliam Graecam urbem se esse missum. Deinde vero, postquam transierant et in colle resederant Jovis Lycaei, poenituit eos Cyrenen non tenuisse; iterumque ingredi urbem tentarunt: sed Cyrenaei non admiserunt. (3) Tum Persas, nemine licet repugnante, metus incessit: et cursu se inde ad sexaginta fere stadia receperunt, ibique resederunt. Ubi dum stativa habuit exercitus, advenit ab Aryande nuncius, qui illos revocaret. Et Persae, commeatum sibi praeberi precati a Cyrenaeis, accepto ab eisdem commeatu in aegyptum abierunt. (4) At inde excipientes illos Libyes, ut quisque tardabat morabaturque, ita eum interficiebant, quo vestitu ejus reliquoque adparatu potirentur: donec reliqui in aegyptum pervenerunt.

CCIV. Hic Persarum exercitus longissime in Africa usque ad Euesperidas pervenerat. Quos vero ex Barcaeis captivos abduxerant, hos ex aegypto procul a patria amandatos ad regem miserunt:

rexque Darius vicum illis Bactrianae regionis habitandum concessit. Et illi vico huic nomen imposuere Barcam, quae Barca ad meam usque aetatem in Bactriana habitata erat.

CCV. Nec vero Pheretima bono vitae fine usa est. Etenim simul atque, capta de Barcaeis ultione, ex Libya in aegyptum redierat, misere obiit: vivens quippe vermibus scatuit e cute enatis. Ita nempe hominibus vindictae nimis atroces invidiosae sunt apud deos. Talis igitur et tanta vindicta fuit, quam de Barcaeis cepit Pheretima, Batti filia [sive uxor].

HERODOTI HISTORIARUM LIBER QUINTUS. (TERPSICHORE.)

I. Persae, quos in Europa Darius reliquerat, quibus praeerat Megabazus, primos ex Hellespontiis Perinthios, parere nolentes regis imperio, subegerunt. Iidem Perinthii superiori tempore a Paeonibus quoque male fuerant mulctati. (2) Paeones, Strymonem adcolentes, oraculi responso moniti erant ut arma adversus Perinthios moverent, et, si quidem Perinthii oppositis castris ipsis invocassent, nominatim compellantes, tum hos invaderent; sin non inclamassent, non invaderent. Idque fecerunt Paeones. (3) Quibus quum castra Perinthii opposuissent in suburbio, ex provocatione triplex instituebatur certamen singulare; etenim virum cum viro, et equum cum equo committebant, et canem cum cane: (4) et duobus certaminibus vicerunt Perinthii. Qui quum prae gaudio paeanem canerent, tum conjectantes Paeones hoc esse quod significasset oraculum, dixerunt inter se: «Nunc impletum nobis oraculum fuerit, nunc nostrum opus est.» Et cantantes Perinthios adgressi Paeones, ingentem reportarunt victoriam paucosque ex illis reliquos fecerunt.

II. Haec olim a Paeonibus in hunc modum gesta erant. At tunc fortiter pro libertate pugnantes Perinthii, jam multitudine victi sunt a Persis et Megabazo. (2) Subacta Perintho, per Thraciam exercitum circumducens Megabazus, cuncta oppida, cunctosque populos ibi habitantes, sub regis imperium redegit: hoc enim illi mandatum erat, a Dario, subigere Thraciam.

III. Thracum natio, post Indos utique, maxima est nationum omnium: qui sub unius essent imperio, aut concordes inter se essent, invicti forent, et longe populorum omnium, ut mihi quidem videtur, potentissimi. At hoc ipsum difficile est illis, atque impossibile, ut fiat umquam: eam ob caussam infirmi sunt. (2) Habent autem, pro regionum diversitate, multa ac varia nomina: sed eisdem moribus institutisque utuntur omnes, exceptis Getis, et Trausis, et qui ultra Crestonaeos habitant.

IV. Et Getarum quidem instituta, qui immortales se esse praedicant, supra exposui. Trausi vero, aliis quidem in rebus ab reliquis Thracibus nihil differunt; sed recens apud eos natis ac denatis hoc faciunt: (2) natum circumsident cognati, et miserantur, quot quantaque mala oporteat eum, ex quo natus sit, implere, omnia quae homines manent mala commemorantes. Denatum vero jocantes laetantesque terra condunt, commemorantes quot quantisque malis sit liberatus, quamque omni parte beatus.

V. Apud eos qui supra Crestonaeos habitant, hic mos obtinet: uxores quilibet vir plures habet: jam, quando vir moritur, magna fit inter uxores disceptatio et acris amicorum contentio super hac quaestione, quaenam ex uxoribus carissima fuerit marito. Dein, quae talis judicata est et cui hic honos habetur, illa, a viris atque mulieribus collaudata, jugulatur super tumulum ab his qui eam proxime cognatione attingunt, et jugulata una cum marito sepelitur: reliquae vero magnae sibi calamitati id ducunt; namque maximum hoc eis probrum censetur.

VI. Reliqui Thraces hisce utuntur institutis. Vendunt liberos suos, in alias terras abducendos. Virgines non custodiunt, sed congredi cum quibusque voluerint viris patiuntur: uxores vero severe custodiunt; emunt autem uxores a parentibus ingenti pretio. (2) Punctam notis habere cutem, nobile judicatur: impressa non habere stigmata, ignobile. Otiosum esse, honestissimum habetur, terram colere, quam maxime inhonestum. Ex bello et praeda vivere, laudatissimum. Hi sunt praecipui illorum mores.

VII. Deos autem solos colunt hosce: Martem, et Bacchum, et Dianam. Reges vero eorum, praeter privatos cives, Mercurium maxime colunt deorum, et per hunc solum jurant; dicuntque a Mercurio se esse prognatos.

VIII. Sepulturae apud divites haec ratio est: per triduum exponunt mortuum, prius illum deplorantes, sed mox victimarum omne genus mactantes, lautaque celebrantes convivia. Deinde sepeliunt combustum, aut etiam non combustum terra condunt. Postquam tumulum adgesserunt, certaminum varia proponunt genera, in quibus maxima pretia ponuntur, ut consentaneum est, his qui singulari certamine vincunt. Haec est sepulturae apud Thracas ratio.

IX. A septemtrione hujus regionis quinam habitent homines, pro certo dicere nemo potest. Illud quidem adparet, esse trans Istrum desertam terram et infinitam. Solos tantum resciscere potui trans Istrum habitantes homines, quibus nomen perhibetur esse Sigynnae, Medica veste utentes: (2) quorum equos aiunt esse toto corpore hirsutos, pilis ad quinque (latos) digitos longis; exiguos illos, et simos, et parum validos ad viros vehendos; plaustris autem junctos, esse velocissimos; et eam ob causam plaustris vehi indigenas. (3) Pertinere autem horum fines fere usque ad Enetos, qui ad Adriam habitant. A Medis autem sese ortos dicunt. Quonam vero pacto Medorum hi fuerint coloni, exputare quidem non queo: sed longo temporis tractu fieri utique omnia possunt. Caeterum Sigynnae apud Ligures super Massiliam habitantes, institores vocantur; apud Cyprios vero, hastae.

X. Narrant quidem Thraces, apes occupare terras trans Istrum, eaque caussa non posse homines ulterius progredi. Quae mihi parum probabiliter ab his dici videntur; quoniam constat frigoris impatientes esse istas bestiolas: sed propter frigus inhabitatae mihi videntur esse regiones sub septemtrionibus sitae. (2) Haec sunt igitur quae de hac regione memorantur. Caeterum maritimum illius tractum, ut supra dixi, Megabazus sub Persarum redegit potestatem.

XI. Darius simulatque trajecto Hellesponto Sardes pervenit, recordatus est beneficii ab Histiaeo Milesio in se collati, et consilii a Mytilenaeo Coe dati. Itaque his Sardes arcessitis optionem dedit. (2) Et Histiaeus quidem, utpote Mileti tyrannus, nullam sibi insuper tyrannidem postulavit: petiit vero Myrcinum Edonidem, cupiens in ea urbem condere. (3) Hanc igitur hic optavit. Coes vero, ut qui non tyrannus, sed privatus esset, petiit Mytilenae tyrannidem. Impetrato uterque quod optaverat, eo se contulit.

XII. Posthaec oblata Dario est res talis, qua conspecta incessit eum cupido mandandi Megabazo, ut Paeonas subigeret, et ex Europa in Asiam abstractos mitteret. Res ea hujusmodi fuit. Erant Pigres et Mantyas, viri Paeones: qui, postquam Darius in Asiam trajecerat, cupientes ipsi tyrannidem occupare Paeoniae, Sardes venere, secum ducentes sororem, magnam statura, et forma praestantem. (2) Hi observato tempore quum Darius in Lydorum suburbio in publico sederet, hocce instituerunt: sororem, quam poterant optime instructam, aquandum miserunt, vas in capite gestantem, ex brachio post se ducentem equum, simulque linum nentem. (3) Ut praeteribat mulier, advertit Darii animum: etenim nec ex Persarum more, nec ex Lydorum hoc erat, quod illa faciebat, nec ullius Asiatici populi moribus conveniens. Igitur quum ea res animum regis advertisset, misit satellitum nonnullos, jussos observare quid equo faceret haec mulier. (4) Itaque hi pone sequebantur: illa vero, ubi ad fluvium pervenit, aquavit equum; quo aquato, vas suum aqua replevit et eadem via praeteriit, aquam super capite gestans, equum ex brachio post se trahens, et manu fusum torquens.

XIII. Miratus Darius quae partim ex speculatoribus audivit, partim ipse vidit, jussit coram se adduci mulierem. Ea ut adducebatur, aderant simul fratres ejus, qui haud procul alicubi, quid ageretur, speculati erant. (2) Interrogante Dario, cujas illa esset, responderunt juvenes, esse se Paeones, illamque suam esse sororem. Denuo interrogat rex: quinam vero homines Paeones sint, et ubi terrarum habitent; denique quid illi sibi vellent quod Sardes venissent. (3) Responderunt illi, venisse ut traderent se regi; esse autem Paeoniam regionem ad Strymonem fluvium; Strymonem vero haud procul abesse ab Hellesponto; esse autem Paeones Teucrorum ex Troia colonos. (4) Quae quum illi singula ex rei veritate dixissent, rogavit rex, an etiam omnes ibi mulieres ita essent laboriosae. Cui illi, rem ita habere, prompte responderunt: nam ea ipsa caussa haec ita instituerant.

XIV. Ibi tum ad Megabazum, quem in Thracia copiarum ducem reliquerat, literas scripsit Darius, jubens eum Paeonas e sedibus suis abstrahere, ad seque abducere, et ipsos et liberos eorum et uxores. (2) Protinusque eques, nuncium delaturus, cucurrit ad Hellespontum; eoque trajecto, literas Megabazo reddidit. Quibus ille perlectis, viae ducibus ex Thracia sumptis, bellum intulit Paeonibus.

XV. Qui ubi resciverunt adversus se proficisci Persas, junctis copiis obviam illis progressi sunt versus mare, existimantes ab hac parte conaturos esse Persas terram suam invadere. (2) Sic igitur exercitum Megabazi, adversus se proficiscentem, prohibere parati Paeones erant. At Persae, certiores facti conjunctis copiis Paeones aditum terrae suae a parte maris custodire,

secuti viae duces, per superiora loca iter fecerunt: itaque, insciis Paeonibus, oppida illorum invadunt, viris vacua, illaque facile, utpote defensoribus nudata, ceperunt. (3) Deinde Paeones, postquam resciverunt capta sua esse oppida, continuo dispersi, ad suos quique lares sese contulerunt, Persisque se dediderunt. Atque ita Paeonum hi qui Siropaeones vocantur, et qui Paeoplae, et qui usque ad Prasiadem lacum habitabant, e sedibus suis abstracti, in Asiam sunt abducti.

XVI. Sed qui circa Pangaeum montem habitant, et Doberes, et Agrianes, et Odomanti, item qui ipsum lacum Prasiadem incolunt, hi nullatenus subacti sunt a Megabazo; (2) quamquam et hos, qui hunc lacum incolunt, conatus erat sub potestatem redigere Persarum. Lacum autem hi incolunt tali modo. Stant in medio lacu tabulata, altis palis instrata, quae angustum habent ex continente aditum uno ponte. (3) Palos, super quibus strata sunt tabulata, olim cives universi publico nomine statuerant. Deinde vero invaluit usus, ut iidem hoc modo statuantur: ut quisque uxorem ducit, quas quidem permultas unusquisque ducit, ita pro quaque uxore tres palos statuit, ex monte adductos, cui nomen Orbêlus. (4) Habitant hic autem tali modo: unusquisque super tabulatis illis tugurium habet, in quo vitam agit, et januam demissilem, quae per tabulatum deorsum fert ad paludem. Parvulos autem pueros puellasque sparto ex pede adligant, metuentes ne imprudentes decidant. (5) Equis et jumentis pro pabulo pisces praebent. Est autem horum tanta copia, ut, quando quis demissilem januam reclinavit, et vacuam corbam ex fune in aquam demisit, brevi interposita mora plenam piscibus extrahat. Sunt autem piscium illorum duo genera, quos papraces et tilones adpellant. Ex Paeonibus igitur ii qui subacti erant, in Asiam sunt abducti.

XVII. Megabazus, subactis Paeonibus, legatos misit in Macedoniam, septem viros Persas, qui post illum spectatissimi erant in exercitu. Missi hi sunt ad Amyntam, terram et aquam ab illo postulaturi nomine Darii regis. (2) Est autem a Prasiade palude via brevis admodum in Macedoniam. Primum enim, proxima ab hac palude est metallifodina, ex qua postero tempore talentum argenti quotidie redibat Alexandro: post hoc metallum si montem superaveris cui Dysorus nomen, in Macedonia eris.

XVIII. Persae igitur hi legati, ubi ad Amyntam pervenere, intromissi petierunt ab eo regi Dario terram et aquam: et ille haec dedit, et ad hospitium illos vocavit, magnificeque instructa coena peramice Persas accepit. (2) Post coenam, bibendo certantes, haec dixere Persae: «Hospes Macedo, nobis Persis mos est, quando lautam celebramus coenam, tunc etiam pellices et legitimas uxores adducere, et sedes illis inter nos tribuere. Tu igitur, quoniam benevole nos excepisti, et magnificam adposuisti coenam, tradisque regi Dario terram et aquam, nostrum sequere morem.» (3) Ad haec Amyntas: «Persae, inquit, nobis quidem neutiquam hic mos est; sed separantur viri a mulieribus. Sed quoniam vos, qui estis domini, hoc insuper postulatis, etiam hoc vobis aderit.» (4) His dictis, mulieres arcessivit Amyntas. Quae ubi vocatae advenerant, ordine consederunt ex adverso Persarum. (5) Tum vero Persae, formosas conspicientes mulieres, Amyntae dixere, parum prudenter hoc esse factum: satius enim fuisse futurum, prorsus non advenire mulieres, quam, postquam venissent, non adsidere, sed ex adverso sedere, oculorum ipsis dolorem. (6) Coactus igitur Amyntas, adsidere eas jussit. Quod ubi fecerunt mulieres, Persae protinus mammas illarum contrectare, quippe gnaviter adpoti, non nemo etiam osculari conabatur.

XIX. Et Amyntas quidem[TR1] haec videns, quamvis iniquo ferens animo, nihil movebat, supra modum metuens Persas. At Alexander, Amyntae filius, praesens vidensque haec, utpote juvenis et malorum inexpertus, continere se nequaquam amplius potuit. Igitur indigne rem ferens, dixit ad patrem: «Tu quidem, pater, concede aetati, abi hinc, et da te quieti, nec ulterius adside compotationi: ego vero hic manebo, omniaque necessaria hospitibus praebebo.» (2) Ad haec Amyntas, intelligens novi quiddam audacius moliri Alexandrum: «Intelligo fere, fili, inquit, sermonem tuum hominis esse excandescentis; et velle te, me dimisso, novum quidpiam moliri. Atqui oro te, nihil novi adversus hos viros moliaris, ne nos disperdas: sed patere fieri, quae hic agi vides. Quod autem me, ut hinc abeam, mones, tibi obsequar.»

XX. Postquam Amyntas, haec precatus, abiit; tum vero Persas Alexander his verbis est adlocutus: «Harum mulierum, hospites, facilis vobis usus patet; sive cum omnibus velitis concumbere, sive quibuscum ex illis volueritis: (2) de hoc vos ipsi, quid vobis videatur, significate. Nunc vero, quum fere adpropinquet tempus cubitum eundi, et pulcre vos videam adpotos, mulieres has, si placet vobis, sinite lavari, et exspectate lotas redituras.» (3) Haec dicta quum collaudassent Persae, mulieres abeuntes dimisit in gynaeceum: ipse vero Alexander viros laevi mento, tot numero quot erant feminae, muliebri cultu ornatos, pugionibusque instructos, introduxit. Quos producens, sic Persas adloquitur: «Videmini, Persae, convivio a nobis omni munificentia instructo fuisse excepti: nam et alia quaecumque in promptu habuimus, et quae insuper vobis praebenda potuimus reperire, ea vobis omnia adposita sunt: et nunc ecce hoc etiam, quod omnium maximum est, et matres nostras et sorores larga liberalitate vobis exhibemus; quo cognoscatis, nos omni honorum genere, quibus digni estis, vos esse prosequutos; utque etiam regi, qui vos misit, renuncietis, virum Graecum, Macedoniae sub regis auspiciis praefectum, laute vos et mensa et lecto excepisse.» (4) Haec locutus Alexander, juxta quemque Persam virum Macedonem, quasi mulierem nempe, adsidere jussit: qui mox Persas, contrectare illos conantes, interfecerunt.

XXI. Hac igitur morte hi perierunt, et ipsi, et illorum famulitium: nam et plaustra, et famuli, et multa adparatuum genera illos secuta erant; quae omnia simul cum ipsis evanuerunt. (2) Haud multo post vero acris inquisitio horum virorum caussa a Persis instituta est: sed inquirentes Alexander inhibuit continuitque astu, et multa pecunia, et sorore sua, cui nomen erat Gygaea, in matrimonium data Bubarae quidem, viro Persae, duci eorum quibus inquisitio horum qui perierant mandata erat. Ita Persarum istorum caedes silentio compressa est.

XXII. Fuisse hos a Perdicca oriundos (Amyntam et Alexandrum) origine, ut ipsi aiunt, Graecos, et ego verum esse scio, et in sequentibus historiis demonstrabo Graecos fuisse. Agnoverunt vero etiam hi, qui Olympiae certamina Graecorum administrant, ita se rem habere. (2) Etenim quum Alexander solennibus ludis cuperet certare, et ob id ipsum Olympiam esset profectus, Graeci, quibuscum concursurus erat, excludere eum voluerunt; dicentes, barbarorum non esse hoc certamen, sed Graecorum. At Alexander, postquam se origine esse Argivum demonstravit, Graecus esse judicatus est; et, quum stadio esset certaturus, sors ei cum primo excidit. Et haec quidem ita gesta sunt.

XXIII. Megabazus, Paeonas ducens, ad Hellespontum pervenerat; indeque, eo trajecto, Sardes pervenit. (2) Quumque per id tempus Histiaeus Milesius jam muro muniret locum eum, quem dono optanti dederat Darius, mercedem custoditi pontis, qui locus ad Strymonem fluvium est, et Myrcinus vocatur; Megabazus, cognito quod agebat Histiaeus, simulatque cum Paeonibus, quos regi adducebat, Sardes pervenit, haec ad Darium verba fecit: (3) «O rex, quamnam tu rem fecisti? homini Graeco, acri et callido, urbem possidendam dedisti in Thracia, ubi copiosa ad construendas naves est materia, et multi sunt remiges, et argenti metalla; et frequentes circum habitant Graeci, frequentesque barbari, qui hunc ducem nacti, facient quidquid ille jusserit sive die sive nocte. (4) Tu igitur hunc virum ista agentem inhibe; ne domestico premaris bello: leni vero modo inhibe ad te arcessitum. Postquam autem in potestate eum habueris, danda opera ne amplius ille ad Graecos perveniat.»

XXIV. Haec locutus Megabazus facile Dario persuasit, intelligenti recte illum futura prospicere. Deinde ad Histiaeum Myrcini versantem nuncium misit Darius, qui haec ei diceret: «Histiaee, rex Darius haec ait: Ego, studiose quaerens, neminem reperio, qui mihi meisque rebus magis, quam tu, faveat: idque non verbis, sed factis, habeo compertum. (2) Nunc igitur, quum magnas res gerendas animo volvam, fac omnino me convenias, ut eas tecum communicem.» His verbis fidem habens Histiaeus, magnique faciens regis esse consiliarius, Sardes pervenit. (3) Qui ubi in regis venit conspectum, his verbis eum Darius est adlocutus: «Histiaee, ego te hac caussa arcessivi. Simul atque e Scythia redii, tuque mihi fuisti ex oculis, protinus nullius alius rei tantum me desiderium cepit, quam tui videndi, et tecum sermones miscendi; quippe gnarus, omnium bonorum pretiosissimum esse virum amicum, qui tam intelligens sit, quam benevolus: quae duo ego in te adversus res meas cognovi, inesseque tibi possum testari. (4) Quare bene fecisti quod ad me adveneris, tibique ego haec propono: missam fac Miletum, et recens conditam in Thracia urbem: me vero sequere Susa euntem, et habe quae ego habeo, meusque esto commensalis et consiliarius.»

XXV. His dictis Darius, postquam Artaphernem, fratrem suum eodem patre natum, praefectum nominaverat Sardium, Susa est profectus, Histiaeum secum ducens. Copiis vero maritimae orae praesidentibus ducem nominavit Otanem; (2) cujus patrem Sisamnen, unum ex judicibus regiis, Cambyses rex, quod accepta pecunia injustam pronunciasset sententiam, interfecerat, interfectoque totam detraxerat pellem, et scissis ex detracta pelle loris intenderat sellam, in qua ille sedens jus dixerat: quo facto rex filium ejusdem Sisamnae, quem interfectum excoriaverat, in patris locum nominaverat judicem, monitum ut recordaretur quanam in sella jus dicens sederet.

XXVI. Hic igitur Otanes, qui in illa sedere sella jussus erat, nunc successor imperii datus Megabazo, Byzantios cepit et Calchedonios: Antandrum item expugnavit in Troade terra, et Lamponium: deinde, acceptis a Lesbiis navibus, Lemnum cepit et Imbrum, utramque per id tempus adhuc a Pelasgis habitatam.

XXVII. (Lemni igitur, fortiter quidem pugnantes resistentesque per aliquod tempus, deinde male sunt adfecti. Qui ex his reliqui fuere, iis Lycaretus, Maeandrii frater, regis Sami, a Persis est praefectus. Is Lycaretus Lemno imperans mortuus est.) (2) Caussa autem haec erat: omnes istos in servitutem redegit evertitque Otanes, in alios culpam conferens quod desertores fuissent Scythicae expeditionis; in alios, quod exercitum vexassent Darii e Scythia revertentem. Has ille res gessit, dum hoc ducatu functus est.

XXVIII. Brevis deinde malorum fuit intermissio; sed mox ex Naxo et Mileto exorta rursus mala sunt Ionibus. (2) Naxus per id tempus omnes insulas opulentia superabat. Eademque tempestate Miletus quum per se ipsa magis, quam umquam florebat, tum universae Ioniae princeps habebatur. Superioribus vero temporibus eadem civitas per duas hominum generationes seditionibus quammaxime fuerat adflicta, donec res ejus composuerunt Parii: hos enim ex omnibus Graecis conciliatores elegerant Milesii.

XXIX. Conciliarunt eos autem Parii hoc modo. Postquam cives ex his nobilissimi Miletum pervenerunt, quum pessime apud illos administratam viderent rem domesticam, dixerunt peragrare se velle illorum regionem. (2) Quod ubi fecerunt, totamque peragrarunt Milesiorum ditionem; ubicumque in desolata regione viderunt agrum bene cultum, nomen ejus qui erat agri dominus scripto consignabant. (3) Percursa universa regione, in qua quidem raros hos invenerant; simulatque in urbem descenderunt, concione convocata, hos ipsos designarunt qui civitatem administrarent, quorum agros bene cultos repererant: videri enim, aiebant, eosdem rem etiam publicam eadem diligentia administraturos, qua privatam rem suam administrassent. Reliquos vero Milesios, qui prius dissensionibus inter se concertaverant, hisce parere jusserunt. In hunc modum Parii res composuerunt Milesiorum.

XXX. Tunc vero ex his, quas dixi, civitatibus mala coeperunt Ioniae oriri hoc modo. E Naxo cives nonnulli opulenti in exsilium acti erant a populo qui patria pulsi Miletum venerunt. (2) Administrabat tunc Miletum Aristagoras Molpagorae filius, gener et consobrinus Histiaei, Lysagorae filii, quem per id tempus Susis Darius detinebat. Fuit enim Histiaeus Mileti tyrannus, eratque tunc Susis quum Naxii advenerunt, qui prius hospites fuerant Histiaei. (3) Hi ubi Miletum venerunt, rogarunt Aristagoram, ut militum aliquam manum sibi praeberet qua adjuti in patriam redirent. Et ille, secum reputans, si ipsius opera in patriam hi rediissent, dominum se fore Naxi; praetendens Histiaei hospitium, his verbis cum eis egit: «Ego[TR2] quidem, inquit, non tantam hominum manum polliceri vobis possum, quae sufficiat ad vos, invitis his qui Naxum urbem nunc tenent, in patriam reducendos: audio enim octo millia cetratorum esse Naxiis, et longarum navium magnum numerum. Operam vero dabo omni adhibito studio. (4) In hunc autem modum rem perficere cogito. Est mihi amicus Artaphernes, Hystaspis filius, Darii regis frater, qui universae praeest orae Asiae, et numerosum habet exercitum, navesque multas: hunc virum puto, quod cupimus, esse effecturum.» (5) His auditis, Naxii mandatum dant Aristagorae, ut quam posset optime hanc rem perficiat, et dona polliceatur Artapherni, et stipendium militibus ab ipsis persolvendum: magnas quippe spes habebant, quando Naxi adparuissent, omnia facturos Naxios quae ipsi jussissent, pariterque insulanos omnes: nulladum enim ex Cycladibus his insulis per id tempus in Darii erat potestate.

XXXI. Aristagoras ubi Sardes pervenit, cum Artapherne egit, memorans, esse Naxum insulam, non ita quidem amplam, alioqui vero pulcram bonamque, et Ioniae vicinam: esseque in ea et opes magnas et multa mancipia. «Tu igitur, inquit, in hanc regionem mitte exercitum, qui exsules in eam reducat. (2) Id si feceris, partim, magnae tibi a me praesto sunt pecuniae, praeter sumptus belli, quos aequum est ut nos, qui exercitum petimus, persolvamus: partim vero, insulas adquires regi, et ipsam Naxum, et ex illa pendentes Parum et Andrum, aliasque quae Cyclades vocantur. (3) Inde vero impetu facto facile adgredieris Euboeam, amplam et opulentam insulam, Cypro haud minorem, et subactu admodum facilem. Sufficiunt autem naves centum ad has omnes in regis redigendas potestatem.» (4) Respondet Artaphernes his verbis: «Tu vero, quae ex utilitate sunt regiae domus proponis, et recte haec omnia mones, praeterquam quod ad numerum spectat navium. Nam loco centum navium, paratae tibi erunt primo vere ducentae. Oportet vero hisce rebus etiam regis auctoritatem accedere.»

XXXII. His auditis, Aristagoras laetus Miletum rediit. Artaphernes vero, misso Susa nuncio, postulatisque Aristagorae cum rege communicatis, postquam probavit rem ipse quoque Darius, ducentas instruxit triremes, magnamque admodum multitudinem et Persarum et sociorum contraxit, (2) ducemque horum constituit Megabaten, virum Persam de genere Achaemenidarum, suum et Darii consobrinum; eumdem cujus filiam Pausanias Lacedaemonius, Cleombroti filius, si vera fama est, postero tempore in matrimonium sibi desponsavit, cupiens tyrannus fieri Graeciae. Megabate duce constituto, exercitum istum ad Aristagoram misit Artaphernes.

XXXIII. Megabates, adsumtis ex Mileto Aristagora, et Ionico exercitu, et exsulibus Naxiis, navibus profectus est quasi in Hellespontum navigaturus. Ubi vero prope Chium fuit, ad Caucasa continuit naves, inde vento borea in Naxum trajecturus. (2) Ibi, quum non esset in fatis ut hac classe Naxii perderentur, res accidit hujusmodi. Dum custodias navium obit Megabates, forte in nave Myndia nemo erat qui custodiam ageret. Qua re ille indignatus, jussit satellites quaerere hujus navis praefectum, cui nomen erat Scylax, repertumque ita vincire, ut per thalamiam (per foramen per quod infimi remi exstant) navis suae trajiceretur, capite extrorsum eminente, corpore versus interiora porrecto. (3) In hunc modum vincto Scylace, renunciat aliquis Aristagorae, hospitem Myndium a Megabate ita vinctum contumelioseque habitum esse. Et abit ille ad Persam, veniam pro illo precans: a quo quum nihil impetrasset, ipse Myndiam navem adit, illumque solvit. (4) Quo cognito indignatus Megabates, cum Aristagora expostulavit. Cui hic dixit: «Ad te vero quid hae res pertinent? nonne te Artaphernes misit qui mihi pareas, navigesque quo ego jussero? rebus alienis quid te immisces?» (5) Haec postquam dixit Aristagoras, iratus Megabates, ut nox advenit, navigio Naxum misit nonnullos, qui Naxiis omnia quae ipsis imminerent significarent.

XXXIV. Neutiquam enim exspectaverant Naxii, adversus se illam dirigi expeditionem. Postquam vero intellexerunt, continuo ad tolerandam obsidionem sese compararunt, rebus suis ex agris intra muros comportatis, urbeque et cibariis et potulentis, muro autem munimentis instructo. (2) Qui postquam ad sustinendum bellum erant instructi, hostes, ex Chio Naxum trajicientes, bene munitos sunt adgressi, et per quattuor menses obsederunt. (3) Sed absumptis pecuniis omnibus quas secum Persae attulerant, multisque etiam insuper ab Aristagora insumptis, quum

ad continuandam obsidionem pluribus adhuc esset opus, jam exsulibus Naxiis castella exstruxerunt, et male adfecti in continentem se receperunt.

XXXV. Jam vero Aristagoras, quum promissa implere Artapherni non posset, simulque premeretur stipendio persolvendo, quod exercitus repetebat, timensque quod et exercitus male esset adfectus, et ipse odium incurrisset Megabatae; denique existimans Mileti tyrannidem sibi iri ereptum: (2) haec singula timens, defectionem coepit meditari. Acciderat enim forte per idem tempus, ut servus, cui caput punctis erat notatum, Susis ab Histiaeo adveniret, monens Aristagoram ut a rege deficeret. (3) Histiaeus enim, quum monere Aristagoram vellet ut defectionem moliretur, nec vero aliam ullam, qua ei rem tuto significaret, haberet rationem, quum viae omnes essent interceptae; servi caput, quem habuit fidelissimum, totondit, punctisque notavit; deinde exspectavit donec succrevissent capilli. Hunc, simulatque capilli succreverant, Miletum misit, nihil aliud monitum, nisi ut, quum primum Miletum venisset, juberet Aristagoram capillos ipsius tondere, caputque inspicere. Significabant autem notae, quemadmodum ante a me dictum est, defectionem esse moliendam. (4) Id Histiaeus fecit, aegerrime ferens Susis sese detineri: nam, defectio si exstitisset, magnam spem habebat, ad mare se demissum iri; nihil autem novi moliente Mileto, nunquam se in illam rediturum existimaverat.

XXXVI. Hoc igitur machinatus Histiaeus quum servum illum misisset, eodem tempore haec omnia, eodem tendentia, Aristagorae acciderunt. Deliberavit itaque cum suarum partium hominibus, hisque et sententiam suam, et quae ei ab Histiaeo advenerant, exposuit. (2) Ac caeteri quidem omnes in eamdem ivere sententiam, defectionem probantes. Hecataeus vero, historiarum scriptor, statim quidem negavit bellum cum rege Persarum esse suscipiendum; et populos omnes commemorans quibus imperaret Darius, et potentiam regis. Deinde vero, ubi hoc eis non persuasit, secundo loco hortatus illos est, operam darent ut navibus maris tenerent imperium. (3) Quum autem intelligat (sic verba facere perrexit) quam sint tenues Milesiorum vires, nullam se aliam perspicere viam qua eo possint pervenire, nisi si pecuniae auferantur e templo quod est in Branchidis, quas Croesus Lydus ibi deposuisset: id si fecissent, magnam se spem habere, posse ipsos maris obtinere imperium; atque ita et ipsos pecunias habituros, quibus utantur, et hostes illas non direpturos. Ingentes autem illae pecuniae erant, quemadmodum in primo harum Historiarum libro monstravimus. (4) At haec quidem non vicit sententia, nihilo minus vero placuit deficere; simulque decreverunt, unum e suorum numero navi Myuntem mittere ad exercitum, qui, ex quo Naxum reliquerat, eo loco versabatur: ibi legatus ille operam daret, ut duces eorum qui in navibus essent prehenderet.

XXXVII. Missus est ad hoc ipsum perficiendum Iatragoras: isque dolo comprehendit Oliatum Ibanolis filium, Mylasensem, et Histiaeum Tymnae filium Termerensem, et Coen Erxandri, cui Darius Mytilenen dono dederat, et Aristagoram Heraclidae filium Cymaeum, multosque item alios. Atque ita ex professo defecit Aristagoras, quidlibet moliens adversus Darium. (2) Ac statim quidem, verbo certe, abdicavit tyrannidem, et juris aequalitatem proposuit Mileti civibus, quo libentius Milesii cum ipso deficerent. Deinde in reliqua Ionia idem fecit, tyrannos civitatibus expellens quos vero ex navibus prehenderat quae expeditionis sociae fuerant in Naxum susceptae, hos, gratum facturus civitatibus, suae cujusque civitatis civibus tradidit.

XXXVIII. Et Coen quidem Mytilenaei, simul-atque illius compotes sunt facti, ex urbe eductum lapidibus obruerunt. Cymaei vero suum dimiserunt incolumem: pariterque alii etiam plerique suos dimiserunt. (2) Atque ita tyrannis liberatae sunt Ioniae civitates. Quibus submotis, Aristagoras Milesius in unaquaque civitate jussit praetorem constitui; deinde vero ipse Lacedaemonem suscepit legationem, triremi profectus: opus enim ei erat magnam aliquam comparare armorum societatem.

XXXIX. Spartae per id tempus non amplius in vivis erat rex Anaxandrides, Leontis filius: sed, hoc mortuo, Cleomenes, Anaxandridae filius, regnum tenebat; non virtutis aliquo specimine, sed nativitatis sorte illud consecutus. Habuerat Anaxandrides in matrimonio fratris sui filiam, quae cara ei erat, sed liberos nullos pepererat. (2) Quod quum ita esset, ephori ei ad se vocato dixere: «Quandoquidem tu tibi ipse non prospicis, nostri est officii, genus Eurysthenis non pati interire. Tu igitur hanc quam habes uxorem, quoniam tibi liberos non parit, dimitte, et duc aliam: id si feceris, Spartiatis gratum feceris.» (3) At ille respondens ait, neutrum se facturum:[TR3] nec enim recte illos consulere, sese hortantes ut dimissa, quam habeat, uxore innoxia, aliam ducat; itaque se illis non pariturum.

XL. Ad haec ephori et seniores, re deliberata, haec Anaxandridae proposuerunt: «Quoniam igitur, inquiunt, videmus te amore uxoris tuae captum, at tu hoc fac, nec huic te oppone conditioni, ne secius quidpiam de te decernant Spartani. (2) Non amplius postulamus, ut uxorem, quam habes, dimittas: praesta vero huic porro quae adhuc ei praestitisti; sed aliam, praeter hanc, domum duc uxorem, quae liberos tibi pariat.» His fere ab illis dictis adsensus est Anaxandrides; et aliquanto post, alia insuper ducta uxore, duas habitavit domos, nequaquam ex more Spartanorum.

XLI. Haud multo interjecto tempore, uxor postmodum ducta peperit huncce Cleomenem. At, dum haec futurum regni successorem Spartanis in lucem edit, forte fortuna contigit, ut prior uxor, quae adhuc sterilis fuerat, gravida esset. (2) Huic, quum revera praegnans esset, re cognita, turbas ciebant cognati posterioris uxoris, dicentes frustra illam gloriari, velleque supponere sobolem. (3) Itaque his indigne rem ferentibus, instante partus tempore, increduli ephori parientem mulierem circumsedentes observabant. At illa peperit Dorieum; moxque iterum Leonidam; moxque rursus Cleombrotum: dicunt etiam nonnulli, gemellos fuisse Cleombrotum et Leonidam. (4) At posterius ducta uxor, mater Cleomenis, quae Prinetadae filia erat, Demarmeni neptis, post Cleomenem nullos alios liberos peperit.

XLII. Et Cleomenes quidem, ut narrant, mentis haud satis erat compos, ac fere furiosus. Dorieus vero inter aequales primus erat; satisque speraverat, pro sua virtute regnum se adepturum. (2) Hanc spem alens, quum mortuo Anaxandride Spartani ex lege regem constituissent majorem natu Cleomenem, indigne rem ferens Dorieus, et sub Cleomenis vivere nolens imperio, postulata a Spartanis multitudine quadam ex plebe, colonos hos eduxit, non consulto Delphis oraculo quamnam in terram iret conditurus coloniam, neque aliud quidquam ex civitatis instituto ante exsecutus. (3) Sed, indignatus ut erat, ad Africam dirigit naves, ducibus usus civibus nonnullis

Theraeis. Ubi ad Cinypem pervenit, condidit locum Libyae pulcerrimum juxta flumen. Inde vero ejectus tertio anno a Macis Libybus et Carthaginiensibus, in Peloponnesum rediit.

XLIII. Ibi Antichares, civis Eleonius, ex Laii oraculis consilium ei dedit, ut Heracleam in Sicilia conderet; dicens universam Erycis regionem Heraclidarum esse, quippe ab ipso Hercule adquisitam. (2) Quo audito, Delphos profectus Dorieus, quaerit ex oraculo, an potiturus sit terra quam adire cogitaret; et Pythia, potiturum ea, respondit. Sumpta itaque classe et multitudine, quam eamdem in Africam duxerat, Italiam est praetervectus.

XLIV. Per id tempus, ut memorant Sybaritae, ipsi et rex ipsorum Telys in eo erant ut adversus Crotonem arma moverent: et Crotoniatae, metu perculsi, rogarunt Dorieum ut opem sibi ferret, idque ab illo impetrarunt. Sic cum illis adversus Sybarin profectus est Dorieus, et una cum illis Sybarin cepit. (2) Hoc igitur a Dorieo, et his qui cum eo erant, gestum esse aiunt Sybaritae: Crotoniatae vero adfirmant, neminem peregrinum belli contra Sybaritas suscepti socium sibi fuisse, nisi unum Calliam, vatem Eleum, ex Iamidarum familia; eumque hac ratione, quod a Tely, Sybaritarum tyranno, ad se profugisset, quum sacrificanti adversus Crotonem sacra parum prospera evenissent.

XLV. Hoc quidem Crotoniatae dicunt. Testimonia autem dictorum haec adierunt utrique: Sybaritae quidem, partim testantur agrum sacrum atque templum prope siccum Crathin; quae Minervae, cognomine Crathiae, dedicata esse aiunt a Dorieo, postquam consociatis armis cum Crotoniatis Sybarin cepisset; partim ipsius Doriei mortem ut maximum adferunt argumentum, quippe quem periisse aiunt eo quod contra vaticinia fecisset: qui si nihil deliquisset, sed id fecisset ad quod missus erat, cepisset Erycinam terram, et captam obtinuisset, neque ipse cum suo exercitu fuisset interemptus. (2) Contra Crotoniatae multa monstrant in Crotoniensi agro eximie donata Calliae Eleo, quae ad meam usque aetatem posteri Calliae possederunt: Dorieo vero ejusque posteris nihil esse donatum; cui tamen, si socius fuisset Sybaritici belli, multo plura quam Calliae fuissent donata. Haec utrique proferunt testimonia; quorum utris fidem quisque habuerit, his accedat licet.

XLVI. Navigarunt autem cum Dorieo alii quoque Spartani, condendae coloniae socii, Thessalus, et Paraebates, et Celeas et Euryleon. Qui postquam cum universo adparatu in Siciliam pervenerunt, periere praelio superati a Poenis et Egestanis. Unus sociorum illorum huic cladi superstes fuit Euryleon. (2) Is, collectis copiarum reliquiis, Minoam tenuit, Selinusiorum coloniam, et Selinusiis operam suam contulit, ut Pithagora monarcho liberarentur. (3) Postea vero, hoc sublato, tyrannidem Selinuntis ipse invasit, eamque[TR4] per breve tempus obtinuit: nam insurrectione facta interfecerunt eum Selinusii, tametsi ad Forensis Jovis aram profugerat.

XLVII. Secutus Dorieum erat et cum eo periit etiam Philippus, Butacidae filius, civis Crotoniata. Is quum sibi desponsasset Telyis filiam, Sybaritarum regis, Crotone profugerat: frustratus autem nuptiis, relicta Italia Cyrenen navigaverat. Inde profectus, secutus erat Dorieum propria triremi, suo sumptu militibus instructa: vir qui in Olympicis certaminibus victoriam reportaverat, et

formosissimus omnium suae aetatis Graecorum. (2) Hic ob formae praestantiam ab Egestanis consecutus est, quod nemo alius: hi enim super ejus sepulcro Heroum erexerunt, et sacrificiis eum placant.

XLVIII. Hunc finem habuit Dorieus: qui si sustinuisset sub Cleomenis vivere imperio et Spartae manere, ipse rex evasisset Lacedaemonis. Neque enim diu admodum regnavit Cleomenes, sed mortuus est nulla prole relicta, nisi una filia, cui nomen erat Gorgo.

XLIX. Hoc igitur regnante Cleomene Spartam venit Aristagoras, Mileti tyrannus. Is regem conveniens, secum adferebat, ut narrant Lacedaemonii, aeneam tabulam, in qua totius terrae circuitus erat incisus, et mare universum, fluviique omnes. (2) Ubi in colloquium venit regis, haec ad eum verba fecit: «Cleomenes, ne meum studium te conveniendi mireris; talia enim sunt tempora. Servos esse Ionum filios, qui liberi esse debebant, probrum et dolor maxime quidem est nobis ipsis, verum etiam, praeter caeteros Graecos, tanto magis vobis, quoniam principes estis Graeciae. (3) Nunc igitur, per deos te oro Graeciae praesides, e servitute vindicate Ionas, consanguineos vestros. Facile est autem vobis hoc exsequi. Nec enim fortes viri sunt barbari; vos vero bellicae virtutis ad summum fastigium pervenistis. (4) Pugnae genus autem illorum hoc est, arcus et breve spiculum. Braccis induti [non scutis tecti] in praelium eunt et tiaras [pro galeis] in capite gestant: ita superatu sunt faciles. Sunt autem continentem illam habitantibus bona, quanta non sunt aliis omnibus hominibus simul sumptis: aurum statim, tum argentum, et aes, et vestis variegata, et jumenta, et mancipia: quibus vos, si modo libuerit, potiemini. (5) Habitant autem, alius populus alterum attingens sic, quemadmodum ego dicam. Juxta Ionas hosce habitant hi Lydi, terram tenentes bonam et argento abundantem.» Haec dicens, digito monstravit regionem in illo terrae circuitu, quem aeri incisum secum attulerat. «Lydis vero (sic dicere perrexit) contigui sunt versus orientem Phryges hi, et armentis et terrae frugibus opulentissimi omnium, quos equidem novi, populorum. (6) Phrygibus proximi sunt Cappadoces, quos Syrios nos vocamus: hisque finitimi Cilices, ad mare hocce pertinentes, in quo Cyprus haec insula est; qui quingenta talenta annuum tributum pendunt regi. (7) Cilices attingunt hi Armenii, et ipsi armentis opulenti. Armeniis finitimi Matieni hancce possident regionem. Horum regionem attingit Cissia haec, in qua juxta fluvium huncce Choaspen sita hic sunt Susa, ubi rex magnus vitam agit, suntque pecuniarum illius thesauri. Hanc urbem quum ceperitis, tum fidenter cum Jove de divitiis contendetis. (8) At nunc de exiguo terrae tractu, neque illo ita bono, et de arctis finibus opus est vobis pugnare cum Messeniis, qui vobis pares sunt armis, et cum Arcadibus et Argivis, qui nihil possident quod sit auri aut argenti simile, cujus studio aliquis ad pugnandum cum vitae periculo commoveatur. Quare quum facile sit vobis universae Asiae potiri imperio, aliudne quidpiam praeoptabitis?» Haec Aristagoras dixit; cui Cleomenes respondit his verbis: «Hospes Milesie, in tertium diem differo tibi respondere.»

L. Tunc quidem in tantum progressi sunt: ubi vero adfuit contitutus responsioni dies, et ad locum ventum est de quo convenerat, ex Aristagora Cleomenes quaesivit, quot dierum iter esset a mari Ioniam adluente usque ad regem. (2) Et Aristagoras, alioquin callidus homo, et pulcre illum circumveniens, in hoc quidem offendit. Nam quum non id quod res est dicere debuisset, ut qui Spartanos in Asiam cuperet evocare, ex veritate respondit, dicens trium mensium esse adscensum. (3) Tum vero Cleomenes, praecidens reliquum sermonem quem de itinere illo facturus erat Aristagoras, ait: «Hospes Milesie, excede Sparta ante solis occasum: nec enim

sermonem dicis audiendum Lacedaemoniis, qui eos cupis trium mensium viam abducere a mari.» His dictis, Cleomenes domum abiit.

LI. Tum vero Aristagoras sumpto oleae ramo domum adiit Cleomenis, et introgressus supplicis modo illum precatus est, ut, dimissa filiola, sese audiret: adstabat enim forte Cleomeni filia, cui nomen erat Gorgo, unica illius proles, annorum octo aut novem puella. (2) Jussit illum Cleomenes dicere quae vellet, nec cessare puellae caussa.[TR5] Ibi Aristagoras a decem incepit talentis quae illi pollicebatur, si ea, quae petiisset, effecta sibi dedisset: (3) abnuenteque Cleomene, progressus est Aristagoras augendo subinde pecuniae summam; donec postremo, quum quinquaginta ei talenta reciperet, exclamavit puella: «Pater, corrumpet te his hospes, ni ocyus hinc abscesseris.» (4) Et delectatus Cleomenes puellae monito, in aliud conclave abiit, et Aristagoras Sparta omnino excessit neque ei licuerat de itinere ad regem plura his commemorare.

LII. Est autem illius itineris ratio hujusmodi. Stationes (sive mansiones) ubique sunt regiae, et deversoria pulcerrima: totumque iter per culta ac tuta instituitur loca. Per Lydiam et Phrygiam viginti sunt mansiones, parasangae vero nonaginta quattuor cum dimidia. (2) Phrygiam excipit Halys fluvius, ad quem est porta, per quam omnino transire oportet priusquam fluvium trajicias: estque ibidem magna custodia. Transgresso in Cappadociam, atque per eam pergenti usque ad Ciliciae fines, mansiones sunt duodetriginta, parasangae vero centum et quattuor: (3) in his confinibus autem duae sunt portae transeundae, et praetereundae duae custodiae. Has postquam praeterieris, per Ciliciam iter facienti tres sunt mansiones, parasangae vero quindecim cum dimidia. (4) Terminus Ciliciae et Armeniae flumen est navibus transmittendum, cui nomen Euphrates. In Armenia vero mansiones sunt deversoriorum quindecim, et parasangae quinquaginta sex cum dimidia: estque in his etiam custodiae statio. (5) Perfluunt autem Armeniam quattuor fluvii, quos navibus necessario oportet trajicere. Primus est Tigris: deinde secundus et tertius idem nomen habent, quamvis non idem sit fluvius, nec eodem ex loco fluens; prior enim eorum, quem recensui, ex Armeniis fluit, posterior vero ex Matienis. Quarto fluvio nomen est Gyndes, is quem Cyrus olim in trecentos et sexaginta alveos diduxit. (6) Ex hac Armenia ubi in Matienen regionem transieris, stationes sunt quattuor.... Tum ex hac in Cissiam regionem transgredienti, stationes undecim, parasangae vero quadraginta duae cum dimidia, usque ad Choaspen fluvium, navibus itidem trajiciendum; ad quem Susa urbs condita est. Harum omnium mansionum summa est centum et undecim; totque sunt stationes atque deversoria Sardibus Susa iter facienti.

LIII. Quodsi vero recte parasangis dimensa est regia via, et parasanga si valet triginta stadia, uti revera valet,[TR6] erunt Sardibus usque ad regiam, quae Memnonia vocatur, stadiorum tredecim millia et quingenta, quum sint parasangae quadringentae et quinquaginta. (2) Jam singulis diebus centena et quinquagena stadia conficiendo, consumuntur adcurate dies nonaginta.

LIV. Itaque Milesius Aristagoras, quando Cleomeni Lacedaemonio dixit, trium mensium iter esse quo ad regem adscenditur, recte ille dixit. Si quis vero curatius etiam de his quaerat, ei ego hoc

etiam declarabo; namque adjici debet iter Epheso Sardes faciendum. (2) Dico igitur, a Graeco mari usque Susa, nam haec Memnonia urbs vocatur, stadiorum omnium summam esse quattuordecim millia et quadraginta. Nam ab Epheso ad Sardes sunt stadia quingenta et quadraginta: itaque tribus diebus longius fit trimestre istud iter.

LV. Sparta pulsus Aristagoras Athenas inde se contulit: quae haud multo ante tyrannis liberatae erant, idque hoc modo. Postquam Hipparchum, Pisistrati filium, Hippiae tyranni fratrem, cui per somnum visum erat oblatum imminentem calamitatem perspicue significans, interfecerunt Aristogiton et Harmodius, generis origine Gephyraei; post haec Athenae per quattuor etiam nunc annos nihilo minus, immo magis etiam quam antea, tyrannide premebantur.

LVI. Insomnium Hipparcho oblatum hujusmodi erat: nocte quae praecedebat Panathenaeorum solennia, visum erat Hipparcho adstare ipsi virum grandem formosumque, aenigmaticis his verbis ipsum adloquentem.

Intoleranda, leo, patiens, animo forti tolerato!

nemo hominum injustus non solvet tempore poenam.

(2) Hanc visionem ille simulatque illuxit, palam ad somniorum conjectores retulit: deinde vero, sacris averruncandi caussa factis, pompam illam duxit, in qua interfectus est.

LVII. Gephyraei, quorum de genere erant Hipparchi percussores, principio, ut ipsi aiunt, ex Eretria fuerunt oriundi; ut vero ego rem percontatus reperio, Phoenices fuerunt ex illorum numero Phoenicum, qui cum Cadmo in hanc regionem, quae nunc Boeotia vocatur, venerunt; et Tanagricum ejusdem regionis tractum, sorte acceptum, habitaverunt. (2) Inde postquam Cadmei prius ab Argivis erant expulsi, deinde Gephyraei hi a Boeotis ejecti, Athenas se converterunt. Et illos receperunt Athenienses hac conditione, ut cives essent Athenienses, at compluribus tamen, nec vero dignis quae hic commemorentur, juribus essent exclusi.

LVIII. Phoenices autem hi, qui cum Cadmo advenerant, quorum de numero fuerunt Gephyraei, regionem hanc incolentes, quum alias res multas ad doctrinam spectantes attulerunt Hellenibus, tum literas; quarum usus nullus antea, ut mihi videtur, apud Hellenas fuerat. Ac primum quidem tales attulerant, qualibus omnes utuntur Phoenices: procedente vero tempore, simul cum sermone, literarum etiam ductus immutarunt. (2) Pleraque per id tempus loca circum illos habitabant Hellenes Iones: qui literas edocti a Phoenicibus, usi sunt eis forma paululum mutata; a quorum usu divulgatum est, ut, quemadmodum aequitas etiam postulabat, quoniam a Phoenicibus in Graeciam introductae sunt, Phoeniciae literae nominarentur. (3) Atque byblos etiam (id est, libros papyraceos) antiquitus diphtheras (pelles raras sive membranas) Iones

vocant, quoniam in papyri inopia pellibus caprinis et ovillis utebantur. Atque etiam nunc mea aetate multi barbarorum talibus in pellibus scribunt.

LIX. Vidi vero etiam ipse literas Cadmeas in templo Apollinis Ismenii Thebis Boeotiae, tripodibus tribus insculptas, maximam partem similes Ionicis literis. Unus ex illis tripodibus hanc habet inscriptionem:

Dedicavit me Amphitryon, rediens ex Telebois.

Haec igitur scripta fuerint Laii aetate, filii Labdaci, nepotis Polydori, filii Cadmi.

LX. Alius tripus hexametro modulo haec dixit:

Scaeus, in adsueto pugilum certamine victor,

me tibi sacravit, speciosum munus, Apollo.

Scaeus autem ille fuerit Hippocoontis filius: si modo hic fuit qui munus illud dedicavit, nec alius idem nomen gerens cum Hippocoontis filio: vixit hic autem oedipi aetate, Laii filii.

LXI. Tertius tripus, hexametro pariter modulo, haec inscripta habet:

Laodamas tripodem hunc divo, sua in urbe monarchus,

dignum spectatu sacrat decus arcitenenti.

Hic est ille Laodamas, Eteoclis filius, quo regnante Cadmei, ab Argivis sedibus suis ejecti, ad Encheleas se receperunt. (2) Gephyraei vero, tunc relicti, postea a Boeotis coacti sunt Athenas concedere. Et habent hi templa Athenis exstructa, quae ad reliquos Athenienses nihil pertinenet, quum alia, quibus nihil commune cum caeteris templis est, tum Achaicae Cereris templum et sacra.

LXII. Quale fuerit visum Hipparcho oblatum, et unde oriundi Gephyraei,[TR7] quorum de genere fuere Hipparchi percussores, est a me expositum. Superest ut post haec redeam ad narrationem quam initio instituturus eram, dicamque qua ratione tyrannis liberati sint Athenienses. (2) Quo

tempore Hippias tyrannidem obtinuit, et Athenienses ob Hipparchi caedem acerbius vexabat; per id tempus Alcmeonidae, genere Athenienses, ob Pisistratidas vero patria profugi, postquam cum aliis Atheniensium exsulibus per vim reditum sibi parare contantes nihil profecissent, sed ad Lipsydrion supra Paeoniam, quem locum tentandi reditus caussa et liberandae civitatis consilio muniverant, ingentem accepissent cladem; deinde, omnia adversus Pisistratidas molientes, ab Amphictyonibus templum Delphicum hoc, quod nunc est, et tunc nondum erat, aedificandum conduxerunt. (3) Quumque divitiis abundarent, et inde a majoribus spectati essent viri, exaedificarunt templum quum alias pulcrius quam ferebat exemplar, tum frontem ejus ex Pario marmore effecerunt, quamquam conventum esset ut totum templum ex porino lapide construeretur.

LXIII. Hi igitur Alcmeonidae, ut Athenienses narrant, dum Delphis morabantur, pecunia persuaserunt Pythiae, ut, quoties Spartani cives Delphos venirent, sive privato nomine sive publico oraculum consulturi, constanter illos moneret, ut liberarent Athenas. (2) Proinde Lacedaemonii quum idem ipsis semper effatum ederetur, mittunt Anchimolium, Asteris filium, cum exercitu, spectatum inter cives virum, qui Pisistratidas Athenis pelleret, quamquam hospitii jure cum ipsis inprimis conjunctos: nam, quae diis debentur, antiquiora duxerunt quam quae hominibus. Hunc exercitum, mari navibus mittunt. (3) Anchimolius igitur, portum tenens Phalerum, ibi in terra deposuit. Qua re ante cognita, Pisistratidae, quum esset eis foedus cum Thessalis, auxilia e Thessalia acciverant. (4) Et precantibus Thessali, publico decreto, mille equites miserant, et regem suum Cineam Coniaeum. Quos auxiliares nacti Pisistratidae, hocce instituerunt facere: (5) detonsa planitie Phalereorum, et loco hoc equitibus habili reddito, equitatum adversus hostium castra mittunt: qui in hos incidens, quum alios multos interfecit Lacedaemoniorum, tum et ducem Anchimolium, reliquos vero in naves compulerunt. (6) Hic finis fuit primae expeditionis Lacedaemoniorum: estque sepulcrum Anchimolii in Attico pago, cui Alopecae nomen, prope Herculis templum quod in Cynosarge.

LXIV. Post haec majores copias adversus Athenas miserunt Lacedaemonii, duce exercitus Cleomene rege, Anaxandridae filio: has vero non jam mari miserunt, sed per continentem. (2) Cum his, ut in Atticam regionem invaserunt, primum congressi Thessali equites, brevi tempore in fugam sunt versi, cecideruntque ex eisdem amplius quadraginta; reliqui vero e vestigio recta versus Thessaliam abierunt. (3) Cleomenes autem, ut ad urbem pervenit, una cum his ex Atheniensibus, qui liberi vivere cupiebant, tyrannos obsedit, muro Pelasgico inclusos.

LXV. Nequaquam vero expugnaturi Pisistratidas erant Lacedaemonii: nec enim justam obsidionem instituere cogitaverant, et cibariis ac potulentis bene instructi Pisistratidae erant: post paucorumque dierum obsidionem Spartam erant illi abituri. (2) Nunc vero supervenit casus, istis infaustus, his vero idem peropportunus: capti enim sunt Pisistratidarum liberi, quum in eo essent, ut extra Atticam in tuto collocarentur. (3) Quae res postquam accidit, turbatae sunt omnes eorumdem rationes. Itaque deditionem fecerunt eis conditionibus, quae Atheniensibus placuerunt, ut, receptis liberis suis, intra quinque dies Attica excederent. (4) Atque ita relicta Attica Pisistratidae Sigeum ad Scamandrum migrarunt, postquam Athenis sex et triginta annos regnaverant. Fuerunt autem hi origine Pylii et Nelidae, eisdem majoribus prognati atque Codrus et Melanthus; qui et ipsi olim, quum advenae essent, reges fuerunt Atheniensium. (5) Cujus in originis memoriam Hippocrates filio suo nomen Pisistrati imposuerat, de Pisistrato, Nestoris filio,

ductum. (6) Hoc modo tyrannis suis liberati sunt Athenienses: quas vero res post receptam libertatem memoratu dignas vel gesserint vel passi sint, priusquam Ionia a Dario defecit, et Aristagoras Milesius Athenas venit opem illorum implorans, eas primum exponam.

LXVI. Athenae, quum jam ante magnae fuissent, nunc, postquam tyrannis liberatae erant, majores evaserunt. Dominabantur autem in illis duo viri, Clisthenes, de familia Alcmeonidarum, is quem fama fert corrupisse Pythiam, et Isagoras, Tisandri filius, spectata quidem familia natus; caeterum, quibus majoribus antiquitus fuerit oriundus, dicere nequeo, nisi quod cognati ejus Jovi Cario sacra faciunt. (2) Hi viri inter se de principatu contendebant. Qui superabatur ab aemulo Clisthenes plebis favorem sibi conciliabat: et deinde, quum in quattuor tribus distributi fuissent Athenienses, decem tribus constituit, mutatisque nominibus, quae ab Ionis filiis, Geleonte et aegicore et Argada et Hoplete, erant desumpta, ab indigenis heroibus eas denominavit, uno Ajace excepto; quem, ut vicinum et socium, quamquam peregrinum, adjecit.

LXVII. Qua in re, ut mihi videtur, Clisthenes hic avum suum maternum imitatus est, Clisthenem Sicyonis tyrannum. (2) Ille enim, quum bellum gereret cum Argivis, primum rhapsodos vetuit Sicyone inter se decertare, propter Homerica carmina, quoniam in illis ubique fere nonnisi Argivi et Argos celebrantur: deinde, quum esset in foro Sicyoniorum (et est hodieque) aedes Adrasto, Talai filio, tamquam heroi, consecrata, hunc Clisthenes, quippe Argivum, sede sua ejectum cupiebat. (3) Itaque Delphos profectus, consuluit oraculum, an ejiceret Adrastum. Cui Pythia respondit, Adrastum regem esse Sicyoniorum, ipsum vero lapidatorem. Postquam Deus ei hanc potestatem non fecit, domum reversus excogitavit rationem qua Adrastus ipse demigraret. (4) Quam rationem ubi reperisse visus est, Thebas Boeotias misit, dicens velle se Melanippum, Astaci filium, deducere Sicyonem: et permiserunt Thebani. Tum Clisthenes Melanippo Sicyonem deducto templum dedicavit in ipso prytaneo, ipsumque ibi in loco munitissimo statuit. (5) Melanippum autem arcessiverat Clisthenes (nam et hoc me declarare oportet), ut qui inimicissimus fuisset Adrasto, quippe cujus fratrem interfecisset Mecisteum, et Tydeum generum. (6) Huic postquam templum dedicavit, sacrificia et solennia Adrasto adempta eidem Melanippo attribuit. Consueverant autem Sicyonii magnifice admodum honorare Adrastum. Fuerat enim haec regio Polybi, Adrastus autem Polybi ex filia nepos fuit: qui quum sine liberis decederet, tradidit Adrasto regnum. (7) Adrastum autem quum aliis honoribus colebant Sicyonii, tum calamitates ejus tragicis choris celebrabant, non Bacchum, sed Adrastum colentes. (8) Clisthenes vero choros Baccho tribuit, reliquam vero solennitatem Melanippo. Hoc modo cum Adrasto egit Clisthenes.

LXVIII. Idem vero tribuum Doriensium nomina mutavit, ne scilicet eaedem Sicyoniis atque Argivis tribus essent. Atque id agens, maxime derisui habuit Sicyonios: quippe nova nomina a sue et asino desumens, terminationem solam pristinarum tribuum adjecit, sua tribu excepta, cui de suo imperio nomen imposuit: hos enim Archelaos nominavit; reliquorum autem alios Hyatas, alios Onatas, alios Choereatas. (2) Quibus nominibus tribuum usi sunt Sicyonii non solum quoad regnavit Clisthenes, verum etiam post illius obitum sexaginta adhuc annis: deinde tamen, re deliberata, mutarunt ea, et alios Hyllaeos, alios Pamphylos, alios Dymanatas nominarunt: quartae vero tribus nomen ab aegialeo desumpserunt, Adrasti filio, tribulesque aegiales adpellarunt.

LXIX. Haec Sicyonius Clisthenes fecerat. Atheniensis autem Clisthenes, Sicyonii ex filia nepos, qui nomen etiam ab illo erat nactus, hic itidem per contemtum (ut mihi videtur) Ionum, ne eadem Atheniensibus atque Ionibus tribuum nomina essent, cognominem Clisthenem est imitatus. (2) Postquam enim plebem omnem Atheniensium, prius a se alienatam, tum suas ad partes traduxerat, tribuum mutavit nomina, et numerum illarum auxit: decem etiam, quum quattuor fuissent, constituit phylarchas, et per decem tribus distribuit demos (sive curias) omnes Atheniensium. Eratque, plebe suis partibus adjecta, longe potentior quam adversarii.

LXX. Vicissim igitur ab illo superatus Isagoras haec contra molitur: Cleomenem advocat Lacedaemonium, qui hospes ipsi factus erat inde ab obsidione Pisistratidarum: (2) quem quidem fama ferebat consuetudinem tunc habuisse cum uxore Isagorae. Primum igitur Cleomenes, praecone Athenas misso, Clisthenem urbe ejecit, multosque cum eo alios Athenienses, hos dicens qui essent enagees (id est, piaculo contaminati). (3) Haec autem per nuncium edixit, ab Isagora edoctus: habebant enim quidem Alcmeonidae, et hi qui eorumdem erant partium, culpam commissae caedis; at ipse Clisthenes ejusque amici non fuerant caedis participes.

LXXI. Enagees autem dicti sunt nonnulli ex Atheniensibus hac de caussa: fuit Cylon, civis Atheniensis, olympicorum certaminum victor: is cristas tollens, consilium inierat occupandae tyrannidis; comparatisque sibi sociis ex aequalium numero, arcem occupare conatus est: quam quum obtinere non posset, supplex ad deae imaginem consedit. (2) Hos homines igitur surgere inde jusserunt prytanes Naucrarorum, qui tunc civitatem administrabant, fide data punitum eos iri citra mortem; attamen occisi hi sunt culpa Alcmeonidarum. Sed haec gesta sunt ante Pisistrati aetatem.

LXXII. Postquam Cleomenes, misso praecone, ejiciendos urbe Clisthenem et piaculo contaminatos edixit, unus Clisthenes ultro excessit. Deinde vero nihilo minus Athenas venit Cleomenes, non quidem cum magna manu: quo ubi pervenit, septingentas familias urbe ejecit, quas ei Isagoras indicaverat. (2) Quo facto, deinde senatum conatus est dissolvere, et trecentis civibus de Isagorae factione tradidit magistratus. Quum vero resisteret senatus et imperio nollet parere, Cleomenes et Isagoras cum suarum partium civibus arcem occupant. (3) Et caeteri Athenienses, cum senatu sentientes, per biduum illos obsederunt: tertio vero die, deditione facta, Attica excessere quotquot eorum Lacedaemonii erant. (4) Atque ita implebatur Cleomeni ominosum quod acceperat dictum: nam quum in arcem, occupaturus illam, adscendisset, ad penetrale deae accesserat, consulturus eam: at sacerdos de sella surgens, priusquam ille per januam intrasset, dixit: «Retrogredere, hospes Lacedaemonie, nec in hoc templum pedem pone: nefas est enim Doriensibus huc intrare.» (5) Cui ille respondit: «At non Doriensis sum, o mulier, sed Achaeus.» Igitur, quum spreto omine exsequi consilium esset adgressus, tunc rursus excidit cum Lacedaemoniis. Reliquos vero in vincula conjecerunt Athenienses, morti destinatos; et in his Timesitheum Delphensem, cujus viri opera manuum (victorias Pythicas et Olympicas) fortisque animi maxima possem commemorare. Et hi quidem in vinculis mortui sunt.

LXXIII. Post haec Athenienses, revocato Clisthene et septingentis illis familiis, quae a Cleomene patria erant pulsae, Sardes legatos miserunt, cupientes cum Persis contrahere societatem: intellexerant enim, bellum sibi imminere cum Lacedaemoniis et Cleomene. (2) Postquam Sardes advenere legati, et mandata exposuere, quaesivit Artaphernes, Hystaspis filius, praefectus Sardium, quinam homines essent, et ubi terrarum habitarent, qui Persarum peterent societatem. Quod ubi ex legatis cognovit, brevibus verbis eos ita expedivit: (3) si regi Dario Athenienses terram traderet et aquam, societatem illis pollicitus est: si non traderent, abire illos jussit. Tum legati, re privatim inter se deliberata, tradere se, dixerunt; scilicet cupientes contrahi societatem. At hi, quum domum rediissent, gravem culpam sustinuerunt.

LXXIV. Cleomenes, quum se et verbis et factis contumeliose ab Atheniensibus acceptum existimaret, ex universa Peloponneso contraxit exercitum, quo consilio contrahat non dicens; sed poenas sumere de populo Atheniensium cupiens, et Isagoram constituere tyrannum: hic enim cum illo ex arce Athenarum erat egressus. (2) Dum igitur ingenti cum exercitu Cleomenes Eleusinem invadit, per idem tempus Boeoti ex composito capiunt oenoen et Hysias, extremos Atticae pagos; et Chalcidenses ab alia parte Atticam ingressi regionem vastabant. (3) Tum Athenienses, quamquam ancipite pressi periculo, Boeotorum et Chalcidensium ultione in aliud tempus dilata, Peloponnesiis, quippe qui jam Eleusine erant, arma opposuerunt.

LXXV. Quum vero jam in eo essent utrimque exercitus ut ad manus venirent, ibi primum Corinthii, reputantes secum injuste se facere, retro conversi abscesserunt: deinde idem fecit Demaratus, Aristonis filius, qui et ipse rex erat Lacedaemoniorum, et una cum Cleomene exercitum eduxerat Lacedaemone, neque superiore tempore cum illo discordaverat. (2) Ab hoc vero dissidio facta lex est Spartae, ne ambo reges, exeunte exercitu, castra sequerentur: adhuc enim ambo sequi consueverant: altero autem vacante a militia, alterum etiam Tyndaridarum domi relinqui; nam ante id tempus hi ambo, tamquam auxiliares, secuti erant. (3) Tunc igitur reliqui socii, qui Eleusine erant, reges dissidere videntes, et Corinthios relinquere stationem, etiam ipsi converso agmine discessere.

LXXVI. Quarta haec est expeditio, quam in Atticam suscepere Dorienses: bis enim hostiliter eam sunt ingressi, bis vero commodi caussa populi Atheniensis. Primo quidem loco, quum Megara colonis frequentarunt (nam haec expeditio, Codro regnante Athenis suscepta, prima merito nominabitur): iterum vero, atque tertio, quando ad ejiciendos Pisistratidas ex Sparta advenerunt: quarto tunc, quum Peloponnesios ducens Cleomenes, Eleusinem invasit. Ita tunc quarta vice Dorienses Athenas invaserunt.

LXXVII. Postquam inglorium hunc exitum habuit ista expeditio, tunc Athenienses, poenas de Chalcidensibus sumturi, primum adversus hos arma moverunt: Chalcidensibus vero Boeoti opem laturi ad Euripum properarunt. (2) Quos ubi conspicati sunt Athenienses, Boeotos prius quam Chalcidenses adgredi placuit. Pugna cum Boeotis commissa, insignem victoriam Athenienses reportarunt, plurimis eorum occisis, et septingentis captis. (3) Deinde eodem die in Euboeam transgressi Athenienses cum Chalcidensibus etiam pugnam committunt: quibus et ipsis praelio victis, quater mille colonos in hippobotarum praediis relinquunt: hippobotae autem

(id est, qui equos alunt) vocantur apud Chalcidenses homines locupletes. (4) Quotquot ex Chalcidensibus vivos ceperant Athenienses, perinde atque Boeotos, in custodia habuerunt, compedibus vinctos. Interjecto vero tempore eosdem manumiserunt, binis minis aestimatos: compedes autem, quibus isti vincti fuerant, suspenderunt in acropoli; quae ad meam usque aetatem ibi superfuerunt, e muro pendentes a Medis ambusto, qui est ex adverso aedis occidentem spectantis. (5) Pretii autem redemptionis decimam consecrarunt, ex illaque quadrigam conficiendam curarunt aeneam, quae a sinistra stat primum ingredienti in propylaea quae sunt in acropoli. Est autem in illa inscriptio haec:

Attica perdomitis acri sub Marte juventus

Boeotis populis Chalcidicaque manu,

damna rependerunt vinclis et carcere caeco,

quorum hae de decima stant tibi, Pallas, equae.

LXXVIII. Auctae igitur erant Athenarum opes. Adparet autem, non hoc uno exemplo, sed ubique, quam praeclara res sit juris aequabilitas.[TR8] Nam et Athenienses, quamdiu sub tyrannis erant, nullis ex finitimis populis bello fuerunt superiores; tyrannis autem liberati, longe primi evaserunt. (2) Quae res declarat, quoad tyrannide erant pressi, ultro illos minus fortiter rem gessisse, quippe pro domino laborantes: postquam vero in libertatem sunt restituti, unusquisque pro se ipse studiose dabat operam ut recte rem gereret.

LXXIX. In hoc igitur statu res Atheniensium erat. Thebani vero, ultionem sumpturi de Atheniensibus, Delphos miserunt qui deum consulerent. Quibus Pythia respondit, per se non posse illos ultionem capere; sed rem ad clamosum (populum) referre jussit, et proximos rogare. (2) Legati domum reversi, convocata populi concione, renunciant oraculi responsum. Tum Thebani, ubi ex his audiverunt proximos debere rogari, dixere: «Nimirum proximi a nobis habitant Tanagraei, et Coronaei, et Thespienses: atque hi constanter nobiscum pugnant, strenueque arma nobiscum usque sociant. Quid opus est hos rogare? Immo videndum ne haec non fuerit oraculi sententia.»

LXXX. Ita dum hi inter se disceptant, postremo aliquis, re audita, ait: «Ego mihi videor intelligere quid velit oraculum. Asopi dicuntur filiae fuisse Thebe et aegina: hae quum sint sorores, puto jubere nos deum ab aeginetis auxilia petere.» (2) Et Thebani, quum nulla ex sententiis, quae dicebantur, hac potior esse videretur, protinus ad aeginetas miserunt, ex oraculi mandato auxilia ab illis petentes, ut qui sibi essent proximi. Petentibus aeginetae tradentes aeacidarum imagines, responderunt, se eis aeacidas auxilio mittere.

LXXXI. Thebani vero, aeacidarum auxilio freti, quum bello lacessissent Athenienses, aspere ab illis sunt accepti. Itaque iterum ad aeginetas miserunt, aeacidas illis reddentes, et virorum petentes auxilia. (2) Tum aeginetae, opum magnitudine elati, et veteris memores inimicitiae, quae cum Atheniensibus obtinebat, precibus Thebanorum adnuentes, bellum Atheniensibus non ante denuntiatum intulerunt. Nam dum hi Boeotis instabant, interim aeginetae longis navibus in Atticam profecti, Phalerum diripiebant, multosque reliquae regionis maritimae pagos; et ingens Atheniensibus damnum inferebant.

LXXXII. Vetustum, quod dixi, aeginetarum adversus Athenienses odium hanc habuit originem. Epidauriorum terra fructum nullum ediderat. Quam ob calamitatem quum oraculum Delphicum consulerent Epidaurii, jussit eos Pythia Damiae et Auxesiae imagines statuere: id si fecissent, melius cum illis actum iri. (2) Sciscitabantur igitur Epidaurii, utrum aeneas faciendas curarent statuas, an ligneas. Responditque Pythia, Neutrum horum; sed ex sativae oleae ligno. Igitur Epidaurii ab Atheniensibus veniam petunt oleam arborem caedendi, quod sanctissimas existimassent Atticas oleas: sunt etiam qui dicant, per id tempus nullibi terrarum oleas exstitisse, nisi Athenis. (3) Athenienses se illis potestatem facere dixerunt ea conditione, ut illi quotannis Minervae Urbis Praesidi et Erechtheo victimas adferrent. In hanc conditionem consentientes Epidaurii, nacti sunt quod petierant, et statuas ex his oleis confectas posuerunt. Ac dehinc illis terra fructum ferebat, et ipsi Atheniensibus id, de quo inter eos convenerat, persolvebant.

LXXXIII. Erant per illud adhuc tempus, sicuti etiam antea, aeginetae Epidauriorum imperio subjecti, quum aliis in rebus, tum lites suas coram judice disceptaturi Epidaurum trajicere tenebantur. Deinde vero, constructis navibus, virium fiducia ferocientes, ab Epidauriis defecerunt. (2) Jamque ut hostes, et qui mari essent potentes, vexabant illos: atque etiam statuas hasce Damiae et Auxesiae illis subripuerunt, easque ablatas in mediterraneo suae insulae loco collocarunt, cui est oea nomen et qui viginti fere ab urbe stadiis abest. (3) Hoc in loco erectas sacrificiis et cavillatoriis mulierum choris placabant, constitutis utrique dearum denis viris qui essent choragi. Dicteriis autem chori illi neminem virum lacessebant, sed mulieres indigenas. Eaedem caerimoniae apud Epidaurios obtinuerant: qui arcanis etiam sacris et ritibus utuntur.

LXXXIV. Epidaurii, ex quo eis subreptae hae statuae sunt, jam Atheniensibus ea, de quibus inter ipsos convenerant, non solvebant. (2) Qua de re per legatos secum expostulantibus Atheniensibus demonstrarunt Epidaurii, nullam se injuriam facere: quoad enim in sua terra habuissent illas statuas, quod pacti erant exsolvisse; quibus sibi subreptis jam non aequum esse ut porro solvant, sed ab aeginetis, qui illas habeant, esse hoc exigendum. (3) Hoc accepto responso, Athenienses, aeginam missis legatis, statuas ab aeginetis repetiverunt: quibus illi responderunt, nihil sibi cum Atheniensibus esse negotii.

LXXXV. Jam porro aiunt Athenienses, postquam frustra repetitae fuissent statuae, profectos esse Athenis una triremi cives illos, qui publico nomine missi, quum aeginam pervenissent, statuas has, ut quae ex ipsorum ligno fuissent confectae, de basibus suis conati sunt abstrahere, Athenas transferendas. (2) Hos vero, quum isto modo compotes illarum fieri non potuissent, circumjectis

funibus statuas traxisse. Sed dum trahebant, tonitru et cum tonitru exstitisse terrae motum: eaque re territos vectores illos qui trahebant, mente fuisse alienatos; in furoremque actos, mutuo sese invicem, veluti hostes, interfecisse; donec ex omnibus, qui triremi illa advenerant, unus superfuisset, solusque Phalerum rediisset.

LXXXVI. Athenienses igitur, rem ita gestam esse aiunt. aeginetae vero contendunt, non una navi advenisse Athenienses: unam enim navem, atque etiam paulo plures una, etiamsi sibi nullae naves fuissent, facile a se repelli potuisse: sed multis navibus terram suam adgressos esse Athenienses; aeginetas vero his ultro cessisse, nec pugnae navalis adiisse discrimen. (2) Illud vero liquido definire non possunt, utrum ea caussa cesserint, quod se impares esse committendo praelio navali intellexissent, an quod in animo habuissent facere id ipsum quod fecerunt. (3) Aiunt igitur, Athenienses, quum nemo ad pugnam paratus se illis opponeret, e navibus exscendisse, atque iter versus statuas esse ingressos: quas ubi e basibus suis non potuissent avellere, ita circumjectis funibus illas traxisse, donec utraque statua, dum ita trahebatur, eamdem rem fecerit; rem narrantes mihi quidem non credibilem, sed fortasse alii cuipiam: dicunt enim, in genua illas coram trahentibus procubuisse, atque ex illo tempore in hoc statu mansisse. (4) Haec igitur ab Atheniensibus gesta esse aiunt aeginetae; se vero, postquam de expeditione, quam Athenienses adversus aeginam erant suscepturi, certiores fuissent facti, Argivos ut sibi praesto essent rogasse: (5) hosque, quo tempore Athenienses in aeginam exscendissent, eodem tempore suppetias sibi ferentes adfuisse; et, quum clam ex Epidauro in insulam trajecissent, in inscios Athenienses, itinere a navibus intercluso, fecisse impetum: eodemque simul tempore tonitru et terrae motum illis exstitisse.

LXXXVII. Haec Argivi atque aeginetae memorant. Caeterum Athenienses etiam fatentur, unum solummodo e suis salvum in Atticam rediisse; nisi quod Argivi aiunt, e clade, quam ipsi intulissent Attico exercitui, unum illum superstitem fuisse; Athenienses vero aiunt, e clade quam deus ipsis immisisset. Verumtamen ne hunc quidem, aiunt, calamitati supervixisse; sed periisse tali modo. (2) Athenas ut rediit, nunciavit calamitatem: quo divulgato nuncio, uxores virorum qui expeditionis in aeginam susceptae fuerant socii, indigne ferentes solum hunc ex omnibus salvum rediisse, circa hominem circumfusas, fibulis vestium suarum fodicasse hominem, quaesisseque ex eo unamquamque, ubinam suus esset maritus. (3) Atque ita illum periisse: Atheniensibus autem hoc mulierum factum ipsa clade tristius fuisse visum; in quas quum alia ratione animadvertere non possent, vestem illarum in Ionicam mutarunt. Prius enim Doricam vestem gestaverant Atticae mulieres, Corinthiacae vesti simillimam: hanc igitur linea tunica permutarunt, quo ne fibulis utantur.

LXXXVIII. Est autem, verum si quaerimus, non Ionicum hoc vestimentum, sed Caricum: nam omnium mulierum Graecarum vestimentum olim idem fuerat quod nunc Doricum nominamus. (2) Aiunt autem, apud Argivos et aeginetas ex occasione illius facti invaluisse morem, qui etiam nunc apud utrosque obtinet, ut fibulas faciant dimidio quam ad id tempus majores, utque in templo harum dearum fibulas maxime dedicent mulieres; tum lege apud illos cautum fuisse, ut nec aliud quidquam quod ex Attica profectum sit, in templum inferatur, nec fictile Atticum, sed ex indigenis ollulis posthac ibi bibatur. (3) Certe Argivorum et aeginetarum mulieres ab illo inde tempore ex contentione cum Atheniensibus, ad meam usque aetatem, majores quam antea fibulas gestabant.

LXXXIX. Inimicitiae Atheniensium adversus aeginetas isto, quod exposui, principio ortum ceperant. Nunc igitur aeginetae a Thebanis auxilio vocati, memores rerum circa statuas gestarum, libenter suppetias venere Thebanis. (2) Itaque maritima Atticae ora ab aeginetis diripiebatur. Atheniensibus vero, expeditionem in aeginetas parantibus, adlatum est Delphis oraculum, jubens, ut triginta annos, ex quo injuriae initium fecissent aeginetae, abstinerent bello; primo autem et trigesimo anno belli adversus aeginetas initium facerent, postquam aeaco templum statuissent. Id si fecissent, rem eis ex voluntate cessuram. Sin protinus susciperent bellum, multa medio tempore passuros, multa vero etiam facturos; verumtamen ad extremum subacturos aeginam. (3) Haec renunciata ubi audivere Athenienses, aeaco templum statuerunt, quod etiam nunc in foro exstructum conspicitur: triginta vero annos non sustinuerunt bello abstinere, quamquam audiverant ita praecipi oraculo, quippe qui tam indigna ab aeginetis essent passi.

XC. Sed dum ad ultionem capiendam sese comparant, objicitur illis impedimentum a Lacedaemoniis suscitatum. (2) Quum enim dolum cognovissent Lacedaemonii, quem Alcmeonidae cum Pythia adversus se et adversus Pisistratidas erant machinati, duplici dolore adfecti sunt; quod et viros, qui hospites ipsorum fuerant, patria pepulissent, et quod nullam sibi ob id factum gratiam ab Atheniensibus haberi viderent. (3) Praeter haec moverunt eos oracula, quae multa sibi indigna ab Atheniensibus imminere praedicebant: quae oracula, quum antea ignorassent, per id tempus illis innotuere, a Cleomene Spartam delata. (4) Nactus enim Cleomenes erat ex arce Athenarum oracula illa, quae olim Pisistratidae habuerant, eaque, quum Athenis pellerentur, in templo reliquerant. Haec ibi relicta Cleomenes acceperat.

XCI. Tum igitur Lacedaemonii, acceptis his oraculis, quum Athenienses viderent augeri opibus, et neutiquam paratos Lacedaemoniis parere, reputarunt secum, populum Atheniensem, si libertate uteretur, sibi viribus fore parem; sin tyrannide premeretur, infirmum fore et ad parendum paratum. Haec singula perpendentes Hippiam Pisistrati filium a Sigeo ad Hellespontum, quo confugerant Pisistratidae, arcessiverunt. (2) Qui postquam vocatus advenit, convocatis etiam caeterorum sociorum legatis, haec ad eos verba Spartani fecerunt: «Viri socii, agnovimus fatemurque non recte nos fecisse. Ementitis enim oraculis inducti, viros hospitii jure inprimis nobiscum conjunctos, quique Athenas nobis obnoxias reddere receperant, patria ejecimus, et post hoc peractum ingrato populo urbem et rempublicam restituimus: qui postquam per nos liberatus vires recepit, nos et regem nostrum contumeliose urbe ejecit, et magnos spiritus sumens crescit: quod experti sunt maxime finitimi illorum Boeoti et Chalcidenses, brevi vero etiam alii experientur, qui recta non inierint consilia. (3) Quoniam igitur nos, ista faciendo, peccavimus, nunc operam dabimus, ut una vobiscum illos adgressi puniamus. Hanc enim ipsam ob caussam et Hippiam hunc arcessivimus, et vos e civitatibus convocavimus, ut communi consilio et consociatis armis, illum Athenas reducamus, eique quae ademimus restituamus.»

XCII. Haec Spartani dixerunt. Quae quum plerisque sociorum displicuissent, alii quidem silentium tenuere, sed Corinthius Sosicles in hunc modum est locutus: (I.) «Profecto nimirum coelum sub terram subibit, et terra supra coelum erit sublimis, hominesque habitabunt in mari, et pisces

domicilium occupabunt hominum, quando vos quidem, Lacedaemonii, juris aequabilitate sublata, tyrannides in civitate reducere paratis: quo nihil est inter homines iniquius, nihil sceleratius. (2) Etenim, si vobis bonum hoc videtur, ut a tyrannis regantur civitates, ipsi primum apud vos ipsos tyrannum constituite, atque sic deinde apud alios constituere tentate! Nunc, qui tyrannos numquam estis experti ipsi, diligentissimeque cavetis ne quis Spartae exoriatur, indigne cum sociis agitis. (3) Quodsi vos experti tyrannos essetis, quemadmodum nos, meliores de hac re, quam nunc, sententias in consilium adferre possetis. (II.) Apud Corinthios olim status civitatis hujusmodi fuit: erat oligarchia; et hi qui Bacchiadae nominabantur administrabant civitatem, nec nisi inter se matrimonia inibant mutua. (4) Ex eorum numero virorum Amphioni erat filia pede clauda, cui nomen Labda: quam quum nemo Bacchiadarum ducere vellet uxorem, duxit eam Eetion (sive Aetion), Echecratis filius, homo ex pago Petra, caeterum generis origine Lapitha et Caenides. Cui quum nec ex hac, nec ex alia uxore, liberi essent nati; (5) proficiscitur ille Delphos, de sobole consulturus. Et intrantem protinus Pythia his est verbis adlocuta:

Aetion, nemo te honorat, quum sis valde honoratus.

Gravida est Labda, saxumque volubile pariet, quod incidet

in viros monarchos, et castigabit Corinthum.

(6) Responsum hoc Aetioni datum renunciatur forte Bacchiadis, quibus obscurum fuerat responsum aliud Corinthum spectans, quod prius editum erat eamdem in sententiam cum hoc quod nunc Aetioni datum est. Istud oraculum hujusmodi fuerat:

Aquila in petris gravida est, parietque leonem

validum, carnivorum, qui multorum genua solvet.

Hoc bene in animis versate, Corinthii, qui circa pulcram

Pirenen habitatis et superciliosam Corinthum (Acrocorinthum).

(III.) Hoc igitur responsum, prius redditum, obscurum fuerat Bacchiadis: nunc vero, ubi cognoverunt istud quod Aetioni datum est, statim etiam prius illud, quod congruebat Aetionis responso, intellexerunt. (7) Hoc igitur quum intelligerent, presserunt silentio, prolemque Aetioni nascituram interficere decreverunt. Ac postquam peperit mulier, mittunt protinus decem de suis in pagum quem habitabat Aetion, qui interimerent puerum. (8) Hi ubi Petram venerunt, aulamque intrarunt Aetionis, puerum postulant: et mater, ignara quo consilio advenissent,

existimansque benevolentiae caussa in patrem cupere illos infantem videre, adfert illum, et uni horum in manus tradit. In itinere autem hi inter se constituerant, ut, qui puerulum primus in manus accepisset, is eum humo adlideret. (9) Jam vero divina quadam fortuna accidit, ut infans, dum tradebat eum mater, arrideret ei qui sumpserat: et hunc, ubi id animadvertit, misericordia retinuit ne occideret. Miseratus igitur puerum tradit alteri; et ille tradidit tertio: atque ita per cunctos decem transiit, ab altero alteri traditus; nemine interimere eum volente. (10) Postquam igitur matri puerum reddiderant, et domo erant egressi, stantes pro foribus, conviciabantur alter alterum accusabantque, et eum maxime qui primus acceperat infantem, quod non fecisset quemadmodum inter ipsos constitutum fuisset. Ad extremum, interjecto tempore, placuit iterum intrare, et cunctos participare caedem. (IV.) Sed voluere fata, ut ex Aetionis prole malum exsisteret Corintho. Labda, stans ad ipsas fores, omnia ista exaudiverat. Itaque verita, ne mutato consilio puerum iterum acceptum interimerent, asportatum occultavit in loco, de quo minime cogitaturos illos existimavit, in arca: noverat enim si reversi denuo requirerent puerum, omnia illos pervestigaturos. Idque illi fecerunt. (11) Sed postquam redeuntibus quaerentibusque nusquam comparuit infans, placuit abire, renunciareque his qui ipsos miserant, omnia a se peracta esse quae mandata fuissent. Illi igitur abierunt, idque renunciarunt. (V.) Posthaec crevit Aetionis filius: et, quoniam periculum hoc effugerat, ab arca illa (arcam Graeci cypselen dicunt) impositum ei nomen est Cypselus. (12) Qui postquam virilem aetatem est ingressus, oraculumque Delphis consuluit, ambiguum accepit responsum, quo fretus adgressus est tenuitque Corinthum. Responsum hoc erat:

Felix vir nostras hic qui descendit ad aedes,

Cypselus Aetides, clarae rex ille Corinthi,

ipse, et eo nati, sed nulli deinde nepotes.

Hoc accepto responso postquam tyrannide potitus est Cypselus, vir fuit hujusmodi: multos Corinthiorum in exsilium ejecit, multis bona eripuit, sed longe plurimis vitam. (VI.) Huic, quum triginta regnasset annos, et prospera in fortuna vitam finisset, successor tyrannidis fuit filius Periander. (14) et Periander quidem initio mitior erat quam pater: sed, ex quo per nuncios commercium habuit cum Thrasybulo, Milesiorum tyranno, multo etiam sanguinolentior evasit Cypselo. Misso enim ad Thrasybulum praecone quaesivit ex illo, quo pacto, rebus omnibus firmissime constitutis, optime praeesset civitati. (15) Thrasybulus, homine qui a Periandro missus erat extra urbem educto, ingressus est arvum quoddam satum, cum illoque per segetem ambulans, sciscitansque ex eo et repetere jubens caussam cur ad se Corintho missus esset, detruncabat iterim ut quamque vidit spicam super alias eminentem, praecisamque abjiciebat, donec pulcerrimam et pinguissimam segetis partem tali modo corrupit: denique, postquam agrum ita pervagatus est, dimisit legatum, nullum verbum ei praecipiens. (16) Ubi Corinthum rediit legatus, cupidus erat Periander cognoscendi Thrasybuli praecepta. At ille, nihil, ait, sibi mandasse Thrasybulum: mirari se vero qualem ad hominem a Periandro missus esset, vesanum quippe, et qui sua ipse destrueret. His dictis renunciavit, quid agentem Thrasybulum vidisset. (VII.) At Periander, intelligens factum, reputansque moneri se a Thrasybulo ut eminentiores

quosque cives interimeret, tum vero omnem adversus cives nequitiam coepit exercere. Nam quidquid Cypselus occidendo et in exsilium mittendo reliquum fecerat, id Periander consummavit. Atque etiam uno die universas mulieres Corinthias vestibus exuit, uxoris suae gratia Melissae. (17) Etenim quum in Thesprotiam ad Acherontem fluvium legatos misisset, qui oraculum, quod ibi per mortuorum evocationem responsa dat, consulerent de hospitis alicujus deposito, evocata Melissa respondit: «se nec significaturam, nec edicturam quo loco esset illud depositum: algere enim se, et esse nudam; nam quae sepulta secum fuissent vestimenta, nihil sibi prodesse, quum non fuerint combusta. Argumentum autem, quo cognoscere Periander possit vere haec a se dici, hoc esse, quod ille in frigidum furnum panes ingessisset.» (18) Haec postquam Periandro sunt renunciata, quum satis certum ipsi esset illud veritatis argumentum, quippe qui cum mortua coiisset Melissa; statim post acceptum nuncium praeconio edixit, ut omnes Corinthiorum mulieres in Junonis templum convenirent. (19) Et illae, tamquam ad solennitatem, pulcerrimo ornatu instructae convenerunt. Ille vero constitutis ad hoc satellitibus, vestimentis cunctas exuit, liberas perinde mulieres, et illarum famulas: collatasque in fossam vestes, invocatis Melissae manibus, cremavit. (20) Quo facto, ubi iterum ad necromantium misit, demonstravit ei Melissae idolum, quo in loco depositum hospitis collocasset. Hujusmodi vobis est tyrannis, o Lacedaemonii, et talia sunt illius facta! (21) Nos vero Corinthii tunc statim mirabamur, quum a vobis Hippiam arcessiri cognovimus; nunc vero etiam magis miramur haec a vobis verba fieri; vosque obtestamur, deos invocantes Graeciae praesides, ne tyrannides in civitatibus contituatis. Non igitur ab eo incepto abstinebitis, sed conaturi estis praeter id quod justum est reducere Hippiam? Scitote Corinthios quidem non probaturos esse factum vestrum.»

XCIII. Haec quum locutus esset Sosicles, Corinthiorum legatus; respondit Hippias, eosdem quos ille deos testes invocans, certe Corinthios maxime desideraturos esse Pisistratidas, quando adfuerint illis statuti dies, quibus illos vexaturi sint Athenienses. (2) Haec illi Hippias respondit, ut qui omnium adcuratissime cognita haberet oraculorum effata. Reliqui ex sociis silentium adhuc tenuerant: postquam vero Sosiclem audiverunt libere verba facientem, pro se quisque vocem rumpens, accedebant sententiae Corinthii, obtestabanturque Lacedaemonios, ne quid adversus Graecam civitatem novi molirentur.

XCIV. Atque ita haec res finem habuit. Hippiae vero Lacedaemone profecto Amyntas Macedo Anthemunta oppidum obtulit, Thessali vero Iolcon. At ille, neutrum accipiens, Sigeum rediit; quod oppidum armis Pisistratus Mytilenaeis eripuerat, et tyrannum ibi constituerat filium suum nothum Hegesistratum, ex Argiva muliere natum. Nec vero citra belli discrimen tenuerat ille regionem a Pisistrato acceptam. (2) Diu enim inter se Mytilenaei et Athenienses armis decertarunt, illi ex Achilleo oppido erumpentes, hi e Sigeo; et illi quidem suam repetentes ditionem, Athenienses vero negantes illorum esse, et rationibus arguentes, nihilo magis ad aeolenses pertinere Iliadem ditionem, quam ad se et ad reliquos Hellenes, qui cum Menelao ulti essent Helenae raptum.

XCV. Dum hi inter se bellum gerebant, quum alia multa atque varia in praeliis gesta erant, tum Alcaeus poeta, praelio facto, in quo victores erant Athenienses, fuga quidem ipse evaserat, sed armorum ipsius Athenienses erant potiti, qui ea in Minervae templo Sigei suspenderunt. (2) Quam rem Alcaeus, lyrico carmine descriptam, Mytilenen nunciavit, certiorem faciens de calamitate sua Melanippum, unum de suis amicis. Mytilenaeos vero et Athenienses reconciliavit

deinde Periander, Cypseli filius, quem suarum contentionum arbitrum utrique constituerant: conciliavit autem hac ratione, ut utrique eam tenerent regionem, quam possiderent. Ita Sigeum sub Atheniensium venerat potestatem.

XCVI. Hippias vero, ut Lacedaemone in Asiam pervenit, omnia movebat, insimulando Athenienses apud Artaphernem, omniaque moliebatur quibus efficeret, ut Athenae in suam et Darii venirent potestatem. (2) Dum haec Hippias agebat, re cognita, Athenienses Sardes misere legatos, qui Persas hortarentur, ne morem gererent exsulibus Atheniensium. (3) At eos Artaphernes, si salvi esse vellent, jussit Hippiam recipere. Quam conditionem ad se relatum quum neutiquam admitterent Athenienses, decreverunt ex professo hostes esse Persarum.

XCVII. Per idem tempus, quo id decreverant Athenienses, et odium incurrerant Persarum, Milesius Aristagoras, a Cleomene Lacedaemonio Sparta pulsus, venit Athenas: haec enim civitas inter caeteras potentia maxime eminebat. (2) In concionem igitur populi progressus Aristagoras eadem quae Spartae verba fecit, de Asiae bonis, et de bello cum Persis, quam faciles hi essent superatu, ut qui nec scuto nec hasta uterentur. (3) Praeter haec commemorabat, Atheniensium colonos esse Milesios, et aequum esse ut ab illis servarentur qui potentia praestarent. Denique nihil non pollicebatur, impense rogans; donec eis persuasit. (4) Videtur enim facilius esse decipere multitudinem, quam unum hominem: nam unum quidem Cleomenem Lacedaemonium non potuerat decipere, sed triginta Atheniensium millia facile potuit. (5) Athenienses igitur, oratione illius persuasi, decreverunt viginti naves auxilio mittere Ionibus, quarum ducem nominarunt Melanthium, civem quovis nomine probatum. Hae naves et Graecis et barbaris principium fuere malorum.

XCVIII. Aristagoras ante illarum egressum domum revectus, postquam Miletum pervenit, consilium cepit, ex quo nihil quidem utilitatis rediturum ad Ionas erat; neque etiam hac caussa id fecit, sed quo regi Dario crearet molestiam: hominem misit in Phrygiam ad Paeones illos, qui a Strymone fluvio captivi abducti a Megabazo, regionem vicumque Phrygiae seorsum habitabant. Ad quos ubi pervenit legatus, his verbis cum eis egit: «Paeones, inquit, misit me Aristagoras Mileti tyrannus, ut salutis viam, si obtemperare volueritis, vobis ostendam. (2) Etenim Ionia nunc universa descivit a rege, licetque vobis salvis in patriam redire vestram. Ad mare quidem ut perveniatis, vos ipsi curabitis: reliqua jam nobis curae erunt.» His auditis, laetati admodum Paeones, cum liberis et uxoribus ad mare se fuga receperunt: nonnulli tamen ex eisdem, metu retenti, loco se non moverunt. (3) Postquam ad mare pervenere Paeones, Chium inde trajecere. Quumque jam in Chio essent, e vestigio venit Persarum equitum magna manus, illos prosequentium: qui ubi Paeones non sunt consecuti, Chium miserunt praeconem, ab illisque ut redirent postularunt. (4) Sed Paeones, propositam aspernati conditionem, Chio a Chiis Lesbum sunt transducti, Lesbiique eos Doriscum trajecerunt: inde vero pedibus redeuntes, in Paeoniam pervenerunt.

XCIX. Interim Athenienses cum viginti navibus Miletum advenerunt, quas sequebantur quinque triremes Eretriensium. Et Eretrienses quidem non Atheniensium gratia huic se adjunxerant expeditioni, sed ipsis Milesiis gratum facturi, beneficiumque ab illis acceptum rependentes.

Namque Milesii prius sociam Eretriensibus operam in bello cum Chalcidensibus praestiterant, quo tempore Samii Chalcidensibus adversus Eretrienses et Milesios miserant auxilia. Athenienses igitur postquam advenere cum Eretriensibus, quum et reliqui adessent socii, expeditionem adversus Sardes suscepit Aristagoras: (2) ita quidem ut in bellum ipse non proficisceretur, sed Mileti maneret, constitutis aliis Milesiorum ducibus, fratre suo Charopino, et ex reliquorum numero civium Hermophanto.

C. Hac classe quum Ephesum pervenissent Iones, relictis navibus Coressi in finibus Ephesiorum, ipsi magna manu ascenderunt, viae ducibus utentes Ephesiis. (2) Progressi autem secundum Caystrium flumen, inde superato Tmolo, Sardes pervenere; et urbem capiunt, nemine contra prodeunte: nempe reliqua omnia occuparunt praeter arcem; arcem vero ipse Artaphernes cum haud exigua vi militum tutabatur.

CI. Quominus vero captam diripere possent urbem, haec res fuit impedimento: erant Sardibus pleraeque domus ex arundine constructae; quaecumque vero etiam ex lateribus, earum tecta arundinea erant. Harum unam quum incendisset quidam ex militibus, continuo de domo in domum grassatus ignis universam urbem depascebat. (2) Ardente urbe, Lydi et quicumque Persae in urbe erant, undique interclusi, utpote extrema absumente incendio, neque exitum ullam habentes ex urbe, in forum confluxerunt ad Pactolum fluvium: qui fluvius auri ramenta illis ex Tmolo deferens, per medium forum labitur, et deinde Hermo fluvio miscetur, qui in mare influit. Ad hunc igitur Pactolum et in forum congregati Lydi atque Persae defendere sese coacti sunt. (3) At Iones, ubi viderunt alios ex hostibus fortiter pugnantes, alios vero magno numero ingruentes, trepidi cedentes ad Tmolum, qui vocatur, montem se receperunt: atque inde sub noctem versus naves suas abierunt.

CII. Ita incendio consumptae sunt Sardes, in eisque indigenae deae Cybebes templum: quam causam postea praetexentes Persae templa vicissim in Graecia cremarunt. Tunc vero Persae qui intra Halyn fluvium pagos tenebant, certiores facti quid ageretur, juntis viribus auxilio Lydis venerunt. (2) Qui quum Ionas non amplius Sardibus essent nacti, e vestigio subsecuti, Ephesi illos deprehenderunt. Et Iones quidem in aciem adversus eos progressi sunt, sed praelio commisso ingenti clade sunt adfecti: (3) magnumque eorum numerum Persae interfecerunt, quum alios spectatos viros, tum Eualcidem, Eretriensium ducem, virum qui in ludorum solennibus coronas reportaverat, multumque a Simonide Ceo erat laudatus. Qui vero ex pugna evaserunt per civitates sunt dissipati.

CIII. Tali igitur modo tunc pugnatum est. Posthaec vero Athenienses prorsus deseruerunt Ionas; et saepe multumque ab Aristagora per nuncios solicitati, constanter negarunt se auxilio illis futuros. Sed Iones, Atheniensium auxilio privati, nihilo minus ad bellum adversus Darium, quod post ea quae adversus regem patraverant evitari non posse intelligebant, sese comparabant. (2) In Hellespontum navibus profecti, Byzantium et alias omnes eo loci civitates suum sub obsequium redegerunt. Dein extra Hellespontum evecti, majorem Cariae partem societati suae adjecerunt: nam et Caunus, quae prius, quando Sardes cremarunt, societatem illorum recusaverat, nunc eis ipsa quoque accessit.

CIV. Cyprii vero universi, Amathusiis exceptis, ultro se illis adjunxerunt. Nam et hi a Medis desciverant tali occasione. Onesilus erat, Gorgi Salaminiorum regis frater natu minor, Chersidis filius, Siromi nepos, pronepos Euelthontis. (2) Hic vir, postquam saepius antea Gorgum, ut a rege deficeret, esset hortatus; tunc, ubi Ionas etiam cognovit descivisse, vehementius illum instigare conatus est. Cui quum morem non gereret Gorgus, tempus observans Onesilus, quo extra urbem Salaminiorum ille erat egressus, una cum sectatoribus suis fratrem portis exclusit. (3) Itaque Gorgus, urbe spoliatus, ad Medos profugit. Onesilus vero Salaminis tenuit imperium; omnibusque Cypriis, ut secum desciscerent, persuasit. Caeteris quidem persuasit cunctis; Amathusios vero, morem ei gerere nolentes, obsidione cinxit.

CV. Dum Amathunta Onesilus obsidet, interim Dario regi nunciatur, Sardes captas esse incensasque ab Atheniensibus et Ionibus, illiusque tumultus auctorem, cujus consilio haec suscepta sint, Aristagoram esse Milesium. Quo accepto nuncio, dicitur rex, nulla ratione habita Ionum, quippe quos bene noverat non impune laturos quod defecissent, quaesisse quinam essent Athenienses; (2) deinde, postquam audivit, poposcisse arcum, et sagittam arcui impositam emisisse in coelum, utque illa in aerem evolavit, exclamasse, «Proh Juppiter, contingat mihi poenas sumere ab Atheniensibus!» hisque dictis, mandasse uni e ministris, ut, quoties coena ipsi adponeretur, ter ipsi diceret, «Domine, memento Atheniensium!»

CVI. Hoc dato mandato, vocato in conspectum suum Histiaeo Milesio, quem jam multo abhinc tempore apud se Darius retinuerat: «Histiaee, inquit, tuum procuratorem, cujus fidei Miletum commisisti, audio res novas adversus me esse molitum. Homines enim ex altera continente adversus me duxit, et Ionas cum illis, factorum poenas mihi daturos: his persuasit ut illos sequerentur, et Sardes mihi eripuit. (2) Nunc igitur, quo pacto tibi hoc bene habere videtur? quove pacto tale quidpiam absque tuo consilio factum est? Vide ne deinde tu ipse hac culpa tenearis.» Ad haec Histiaeus respondit: «Quale verbum, rex, pronunciasti? mene agitare consilium, ex quo tibi ulla molestia, sive magna, sive exigua, exsistat? (3) Quid quaerens equidem, tale quidpiam facerem? cujus rei indigeo? cui eadem[TR9] quae tibi, praesto sunt; quicum tu omnia tua communicare consilia dignaris. Immo, si quid tale, quale tu ais, meus agitat procurator, scito id eum suo fecisse arbitratu. (4) At mihi statim ne persuaderi quidem potest, Milesios et meum procuratorem novas res adversus te moliri. Sin utique tale quid agunt, tibique si vera relata sunt, vide, rex, quid sit quod tu feceris, dum me a mari abstraxisti. (5) Videntur enim Iones, ex quo ego ex illorum conspectu remotus sum, agitare id cujus olim desiderium habuerunt. Sin ego in Ionia adessem, nulla civitas se vel pauxillum motura erat. Nunc igitur quamprimum dimitte me, ut in Ioniam proficiscar, tibique omnia ibi in integrum restituam, et procuratorem hunc Mileti, qui haec machinatus est, vinctum tradam. (5) Haec quum ex animi tui sententia perfecero, deos juro regios, non prius tunicam exuturum qua indutus Ioniam intravero, quam tibi Sardiniam, maximam insulam, tributariam reddidero.»

CVII. His Histiaei verbis deceptus Darius morem ei gessit, dimisitque eum adjecto mandato, ut, postquam quae pollicitus esset effecta dedisset, ad se Susa rediret.

CVIII. Per idem tempus, quo nuncius de incensis Sardibus ad regem missus est, et Darius sagitta in coelum emissa cum Histiaeo sermonem contulit, Histiaeusque a rege dimissus ad mare est profectus; per totum hoc tempus haecce gesta sunt. (2) Onesilo Salaminio Amathusios obsidenti nunciatur, Artybium Persam cum classe et ingenti Persarum exercitu adfuturum esse in Cyprum. Quo cognito Onesilus praecones dimisit per Ioniam, auxilio Ionas advocans: (3) nec diu re deliberata, adfuerunt Iones cum magna classe. Eodemque tempore quo Iones in Cyprum advenere, Persae etiam quum navibus e Cilicia trajecissent, pedestri itinere Salaminem contenderunt: navibus autem Phoenices circumnavigarunt promontorium illud, quae Claves Cypri vocantur.

CIX. Quae quum ita essent, Cyprii tyranni convocatis Ionum ducibus dixere: «Vobis, Iones, nos Cyprii damus optionem cum utris velitis confligere, cum Persis, an cum Phoenicibus. (2) Quod si pedestri pugna cum Persis vultis congredi, nulla interposita mora oportet vos, navibus egressos, pedestrem instruere aciem; nos vero, conscensis navibus vestris, Phoenicibus nos opponere. Sin cum Phoenicibus tentare fortunam mavultis; utrumlibet horum elegeritis, operam dare necesse est, ut, quoad est situm in vobis, liberae sint et Ionia et Cyprus.» (3) Ad haec Iones responderunt: «Nos commune Ionum misit, ut mare custodiremus; non ut naves nostras tradentes Cypriis, ipsi cum Persis pedestri acie confligamus. (4) Nos igitur, qua parte locati sumus, in ea utilem praestare operam conabimur: vos autem, memores qualia Persis servientes passi ab illis sitis, fortes viros esse oportet.» Hoc illis responsum Iones dederunt.

CX. Post haec, quum Persae in Salaminiorum advenissent campum, aciem instruxerunt reges Cypriorum; ita quidem, ut caeteros Cyprios caeteris hostium militibus opponerent, Persis autem fortissimos e Salaminiis et Soliis selectos. Contra Artybium vero, ducem Persarum, volens lubens stetit Onesilus.

CXI. Vehebatur Artybius equo, qui erectus stare adversus armatum militem erat edoctus. Qua re cognita Onesilus, quum esset ei armiger genere Car, arte bellica probatus, et animi plenus, dixit huic: «Artybii equum audio erectum stare, et pedibus atque ore pugnare contra adversarium. (2) Tu igitur ocyus delibera tecum, mihique ede, utrum observare ferireque velis, equum, an ipsum Artybium.» Ad haec famulus respondit: «Paratus equidem sum, rex, et utrumque facere, et alterutrum, et omnino quidquid tu jusseris: dicam tamen id quod tuis rebus conducibilius esse mihi videtur. (3) Regem ducemque aio oportere cum rege duceque congredi: nam, sive tu virum ducem interfeceris, magnum hoc tibi erit: sive, quod dii prohibeant, te ille, ab digno etiam occidi, dimidiata calamitas est. (4) Nos vero famulos aio oportere cum famulis congredi, et cum equo; cujus tu artes noli timere: ego enim tibi recipio, adversus nullum porro hominem illum se erecturum.»

CXII. Haec postquam ille dixit, mox deinde commissa pugna est, et terra, et mari. Et navibus quidem Iones, acriter illo die pugnantes, superaverunt Phoenices: et inter Ionas Samiorum prae caeteris virtus eminuit. Pedestres vero ubi congressae sunt copiae, magno impetu invicem irruentes pugnarunt. Circa imperatores autem utrimque haec gesta sunt: (2) ubi Artybius, equo quem dixi vectus, adversus Onesilum impetum fecit, Onesilus, quemadmodum ei cum armigero

convenerat, ferit ipsum irruentem Artybium: quumque equus scuto Onesili pedes injiceret, famulus falce feriens pedes praecidit equi. Ita Artybius dux Persarum, una cum equo, ibidem cecidit.

CXIII. Dum vero caeteri etiam acie pugnant, deserit Cyprios Stesenor, Curii tyrannus, cum non exigua militum manu, quos secum habebat: dicuntur autem Curienses hi Argivorum esse coloni. Postquam Curienses deseruere socios, protinus Salaminiorum quoque currus bellici idem fecerunt. (2) Quo facto, superiores Persae fuerunt Cypriis. Quorum exercitu in fugam verso, ceciderunt et alii multi, et Onesilus Chersidis filius, qui Cypriis auctor fuerat defectionis, et Solensium rex Aristocyprus, Philocypri filius; Philocypri illius, quem Solon Atheniensis postquam Cyprum venit, prae omnibus tyrannis carmine celebravit.

CXIV. Onesili caput Amathusii, quod ipsos ille obsederat, abscissum Amathunta deportarunt, et super oppidi portam suspenderunt. Postquam suspensum ita caput sensim excavatum est, apium examen in illud sese insinuans, favis replevit. (2) Quod quum tale accidisset, oraculum consulentibus Amathusiis, quid capite facerent, datur responsum, auferrent caput humarentque; Onesilo vero, ut heroi, annua sacra facerent; id si fecissent, melius cum ipsis actum iri. Idque fecerunt Amathusii et faciunt ad meam usque aetatem.

CXV. Iones qui ad Cyprum praelium fecerant navale, ut intellexere perditas res esse Onesili, et Cypriorum oppida omnia obsideri, excepta Salamine, quam priori regi Gorgo reddiderant Salaminii; his rebus Iones cognitis, nulla interposita mora in Ioniam renavigarunt. (2) Praeter caeteras Cypri civitates diutissime obsidionem sustinuere Soli; sed et hanc, suffosso circumcirca muro, quinto mense Persae ceperunt.

CXVI. Ita igitur, Cyprii, postquam unum annum liberi fuerant, denuo in servitutem sunt redacti. Interim Daurises, gener Darii, et Hymeas, et Otanes, aliique duces Persae, qui et ipsi filias Darii in matrimonio habebant, postquam Ionas, expeditionis adversus Sardes socios, erant persecuti, eosdemque praelio victos in naves compulerant, deinde divisis inter se vicibus civitates diripiebant.

CXVII. Et Daurises quidem, contra civitates ad Hellespontum conversus, Dardanum cepit, et Abydum, et Percoten, et Lampsacum, et Paesum: (2) quarum singulas singulis cepit diebus. A Paeso vero adversus Parium urbem ducenti adfertur nuncius, Cares communicato cum Ionibus consilio defecisse a Persis: itaque ab Hellesponto remotum adversus Cariam duxit exercitum.

CXVIII. Ea res forte renunciata Caribus erat priusquam Daurises advenisset. Cujus cognito consilio, Cares ad Albas Columnas, quae vocantur, amnemque Marsyam congregabantur, qui ex Idriade regione fluens, Maeandro miscetur. (2) Eo postquam convenere Cares, quum aliae multae dictae sunt sententiae, tum illa, optima quae mihi videtur, Pixodari, Mausoli filii, civitate Cyindensis, qui Syennesis filiam, Cilicum regis, in matrimonio habebat. (3) Hujus viri sententia

haec erat, Maeandrum transmittere debere Cares, atque ita praelium committere ut fluvium a tergo haberent; ne scilicet retro fugere possent Cares, sed ibi manere coacti, fortiores sese quam pro sua natura praestarent. (4) At haec non vicit sententia: sed Persis maluerunt a tergo esse Maeandrum, quam sibi; scilicet, ut illi, si praelio superati in fugam verterentur, receptum non haberent, sed in fluvium inciderent.

CXIX. Deinde, ubi adfuerunt Persae, Maeandrumque trajecerunt, ibi tunc ad Marsyam fluvium cum illis congressi sunt Cares: et acri commisso praelio, postquam diu fortiter pugnarunt, ad extremum hostium multitudine sunt superati. (2) Persarum ad bis mille ceciderunt, Carum vero ad decies mille. Qui ex illorum numero cladem effugerunt, hi ad Labranda in amplum sanctumque platanetum Jovi Stratio (quasi dicas Militari) sacratum sunt compulsi. Soli autem hominum, quos novimus, Cares sunt, qui Jovi Stratio sacra faciant. (3) Ibi igitur conglobati, de salute deliberarunt, utrum Persis sese dedere, an Asiam prorsus relinquere satius sibi esset.

CXX. Dum haec deliberant, auxilio eis adveniunt Milesii eorumque socii. Tum vero, missa priori deliberatione, Cares ad redintegrandum denuo bellum sese compararunt. (2) Atque invadentibus Persis in aciem occurrunt: sed, praelio commisso, majorem etiam quam antea cladem acceperunt. Cecidere plurimi ex omnibus; sed Milesiorum prae ceteris maxima strages facta est.

CXXI. Postea vero vulnus hoc repararunt sanaveruntque Cares. Postquam enim cognoverunt progredi Persas, oppida sua invasuros, in via ad Pedasum collocarunt insidias; in quas noctu incidentes Persae interfecti sunt et ipsi et eorum duces, Daurises, et Amorges, et Sisimaces: cum iisdemque periit etiam Myrsus, Gygis filius. (2) Insidiarum illarum dux fuerat Heraclides, Ibanolidis filius, Mylasensis. Ita igitur Persae illi perierunt.

CXXII. Hymeas vero, alter ex his qui Ionas eos persecuti sunt qui contra Sardes militaverant, ad Propontidem conversus, Cion Mysiam cepit. Qua expugnata, ubi cognovit Daurisen relicto Hellesponto versus Cariam arma promovere, ipse Propontide relicta in Hellespontum duxit exercitum: (2) et aeolenses subegit omnes, quotquot Iliadem habitant terram, et Gergithas subegit, priscorum Teucrorum reliquias. At ipse Hymeas, dum hos populos subigit, morbo correptus moritur in Troade.

CXXIII. Et hic quidem illi finis fuit: Artapherni vero, Sardium praefecto, et Otani, tertio duci Persarum, mandatum erat bellum Ioniae et finitimae aeolidi a continente inferendum. Atque hi Clazomenas Ioniae ceperunt, et Cymen aeolidis.

CXXIV. Ita dum capiuntur oppida, Aristagoras Milesius haec videns, homo parum acri, ut factis ipse ostendit, ingenio, qui Ioniam concitaverat magnasque miscuerat turbas, fugam agitabat, satis ille intelligens superari Darium regem prorsus non posse. (2) Hoc consilio, convocatis suarum partium hominibus, deliberationem proposuit, dicens, commodum ipsis fore, certum

habere refugium, si Mileto pellerentur, sive in Sardiniam ipsos ex hoc ducat in coloniam, sive in Myrcinum Edonorum, Histiaeo a Dario dono datam, et in oppidum ibi ab Histiaeo munitum. Haec igitur, nimirum utrum vellent, ex ipsis quaerebat Aristagoras.

CXXV. Jam Hecataeus quidem, Hegesandri filius, historiarum scriptor, in neutrum horum locorum abeundum censuit; sed in Lero insula debere castellum munire Aristagoram, ibique, si Mileto excideret, quietum se tenere, donec impetu inde facto Miletum repetere posset. Hoc Hecataei fuit consilium.

CXXVI. Ipse vero Aristagoras eo maxime inclinabat, ut Myrcinum abiret. Itaque Mileto Pythagorae fidei commissa, probati inter cives viri, ipse, secum sumpto quicumque voluisset, in Thraciam navigavit, regionemque quam petierat tenuit. (2) Inde vero progressus, interfectus est a Thracibus et ipse et exercitus ejus, quum oppidum aliquod obsideret, rejectis conditionibus, quibus Thraces excedere oppido voluerant.

HERODOTI HISTORIARUM LIBER SEXTUS. (ERATO.)

I. Aristagoras igitur, quo auctore Ionia defecerat, hoc modo vitam finivit. Histiaeus vero, Mileti tyrannus, a Dario dimissus, Sardes erat profectus: quo ubi Susis pervenit, interrogavit eum Artaphernes, Sardium praefectus, qua re inductos putaret Ionas a rege defecisse. (2) Id quum ille se ignorare diceret, mirareturque factum, quasi nihil de rebus praesentibus compertum haberet, artificiis utentem videns Artaphernes ait: «Ita tibi, Histiaee, haec res habet: calceum hunc tu suisti, et induit eum Aristagoras.»

II. Hoc quum Artapherenes, ad defectionem quod attinet, dixisset; metuens eum Histiaeus, utpote intelligentem quid rei esset, protinus prima nocte ad mare profugit: qui, quum Dario pollicitus esset Sardiniam maximam insulam imperio se illius esse subjecturum, decepto rege, clam auctor Ionibus fuerat belli adversus illum suscipiendi. (2) Sed Chium transgressus, in vincula a Chiis conjectus est, suspectum eum habentibus quasi res novas adversus ipsos Darii nomine molientem. Mox tamen, cognita rei veritate, hostem esse regi, vinculis eum Chii solverunt.

III. Ibi vero interrogatus Histiaeus a Ionibus, cur ita studiose Aristagorae, ut a rege deficeret, mandasset, et in tantas calamitates Ionas conjecisset, veram illis caussam nequaquam exprompsit; (2) sed, regem Darium, ait, constituisse Phoenices sedibus suis excitos in Ioniam transferre, Ionas autem in Phoenicen: ea caussa se istud mandasse. Ita Ionas terruit, quum nihil umquam tale rex animo agitasset.

IV. Post haec internuncio Hermippo usus Histiaeus, homine Atarnita, ad Persas nonnullos, qui Sardibus erant, epistolas misit, ut qui secum antea de defectione sermones miscuissent. At Hermippus eis, ad quos missus erat, non reddidit epistolas, sed Artapherni tradidit. (2) Ille vero,

re omni cognita, jussit Hermippum eis epistolas reddere ad quos datae erant ab Histiaeo; sibi vero tradere illas, quas Persae vicissim ad Histiaeum perferendas ipsi dedissent. Quo facto postquam illi comperti fuerunt, de multis Persarum supplicium sumpsit Artaphernes.

V. Atque ita tumultus Sardibus exstitit. Illa autem spe frustratum Histiaeum Chii, rogante ipso, Miletum deduxere. At Milesiis, lubenter Aristagora etiam liberatis, neutiquam volupe erat alium tyrannum in terram suam recipere, quippe qui libertatem gustassent. (2) Itaque, quum noctu per vim intrare Miletum conatus esset Histiaeus, repulsus est, atque etiam ab aliquo ex Milesiis in femore vulneratus. Rejectus igitur a patria Chium rediit: inde vero, quum Chiis ut sibi naves darent persuadere non potuisset, Mytilenen trajecit; et Lesbiis, ut naves sibi darent, persuasit. (3) Hi igitur, instructis octo triremibus, cum Histiaeo Byzantium navigarunt: ibique in insidiis stantes, naves ex Ponto navigantes vi ceperunt, exceptis eorum navigiis qui se paratos esse Histiaeo parere profiterentur.

VI. Dum haec Histiaeus et Mytilenaei agebant, interim ad ipsam Miletum ingens et navalis et pedestris exspectabatur exercitus. Nam Persarum duces, junctis viribus et in unum exercitum collatis, adversus Miletum, insuper habitis minoribus oppidis, proficiscebantur: (2) et navalium copiarum promptissimi erant Phoenices: una autem militabant et Cyprii, nuper subacti, et Cilices, atque aegyptii.

VII. Quos ubi Iones intellexerunt adversus Miletum reliquamque Ioniam proficisci, miserunt de suis ad Panionium, qui de rebus ad se pertinentibus deliberarent. (2) Quibus praedicto loco congregatis, habito consilio, placuit, ut pedestris exercitus, qui opponeretur Persis, nullus cogeretur, sed muros defenderent ipsi per se Milesii; classis autem, nulla excepta navi, rebus omnibus instrueretur, atque ita instructa quamprimum ad Laden occurreret, et pro Mileto pugna navali decerneret. Est autem Lade parva insula, urbi Milesiorum obversa.

VIII. Post haec, ubi instructis navibus adfuere Iones, cum eisque aeolenses Lesbum incolentes, aciem in hunc modum ordinarunt. (2) Cornu ad orientem spectans ipsi tenebant Milesii, naves praebentes octoginta: his contigui erant Prienenses cum duodecim navibus, et Myusii navibus tribus: Myusiis proximi stabant Teii, septemdecim navibus: Teiis proximi Chii, navibus centum. (3) Juxta hos locati Erythraei et Phocaeenses, quorum illi octo contulerant naves, hi vero tres. Phocaeensibus contigui erant Lesbii, navibus septuaginta. Postremi locati Samii, cornu tenentes occidenti obversum, navibus sexaginta. Universus harum omnium numerus fuit, triremes trecentae quinquaginta tres.

IX. Et hae quidem Ionum erant. At barbari quas habebant naves, multitudine erant sexcentae. Quae ubi et ipsae ad Milesiorum fines pervenere, simulque pedestres universae aderant copiae, ibi tum duces Persarum, cognita Ionicarum navium multitudine, veriti sunt ne superare has non possent, adeoque nec Miletum possent capere, mari non potentes, atque ita periculum incurrerent poenas dandi Dario. (2) Haec secum reputantes, convocarunt Ionum tyrannos, qui ab Aristagora Milesio imperiis dejecti ad Medos profugerant, jamque cum illis adversus Miletum

militabant. Ex horum igitur numero convocatos, quotquot praesentes erant, in hunc modum sunt adlocuti: «Nunc, viri Iones, quisque vestrûm palam faciat, de regis domo se bene velle mereri. Unusquisque nempe vestrûm det operam, ut populares suos a reliquorum abstrahat societate. (3) Proponite igitur illis, enunciateque, nihil triste illos ob defectionem passuros, nec aedes eorum vel sacras vel privatas iri incensum, nec duriore conditione, quam ante, futuros. (4) Sin a societate non recesserint, sed utique pugnae periculo rem commiserint, haec minitantes illis praedicite, quae ipsis sint eventura: nos praelio victos in servitutem rapturos, pueros eorum castraturos, virgines Bactra abducturos, et terram aliis esse tradituros.»

X. Quae quum illi dixissent, Ionum tyranni noctu ad populares suos unusquisque dimisit qui haec eis renunciarent. (2) At Iones, ad quos hi nuncii pervenere, tenaciter in proposito suo perstiterunt, nec admiserunt proditionem: et quique sibi solis haec a Persis edici existimabant. Et haec quidem protinus, ex quo ad Miletum Persae pervenerant, peracta sunt.

XI. Deinde vero, ubi in Lade insula Iones convenere, conciones sunt habitae; et quum alii apud eos verba fecere, tum Phocaeensium dux Dionysius sic est locutus: «Nunc, quum in novaculae acie sint res nostrae, ut vel liberi simus, vel servi, et ii quidem velut fugitivi; (2) si quidem volueritis, viri Iones, labores suscipere, erit id quidem in praesentia vobis molestum, sed poteritis superatis hostibus esse liberi; sin disciplina militari insuper habita, mollitiei vos dedideritis; nullam equidem spem habeo, poenam defectionis regi dandam effugere vos posse. (3) Sed me audite mihique vos permittite; et vobis ego, si modo dii aequa dederint, recipio, aut pugnae aleam non subituros esse hostes, aut, si nos adgressuri sunt, magnam cladem accepturos.»

XII. His auditis, Dionysio se permiserunt Iones. Tum ille quotidie, navibus longo ordine eductis, postquam remiges in discurrendo singulis navibus per binas alias exercuisset, et classiarios jussisset armatos in ponte stare, reliquam diei partem in ancoris naves tenebat; atque ita toto die laborem Ionibus exhibebat. (2) Et illi quidem ad septimum usque diem ei parebant, mandataque exsequebantur; insequente vero die, quum impatientes essent talium laborum, molestiis et solis ardore vexati, hosce inter se sermones miscere: «Quo tandem numine laeso hos exhaurimus labores? (3) qui desipientes et de statu mentis dejecti, homini Phocaeensi, vano jactatori, qui tres naves in commune contulit, nos totos permisimus. Et ille nos, sibi traditos, miseriis intolerabilibus vexat; ita ut nostrûm multi in morbos inciderint, et multis item aliis eadem sors imminere videatur! (4) Quanto nobis praestat, quidvis aliud, quam haec mala, pati, et futuram servitutem potius tolerare, qualiscumque illa fuerit, quam hanc praesentem, qua constricti sumus! Agite, ne porro huic homini pareamus!» (5) Haec dixerant, et extemplo nemo amplius mandata facere voluit; sed, tamquam pedestris exercitus, tentoriis in insula fixis degebant in umbra, naves conscendere exercerique nolentes.

XIII. Quae ubi a Ionibus fieri viderunt Samiorum duces; tum vero, quos sermones jubentibus Persis ad eos deferendos prius curaverat aeaces, Sylosontis filius, deserere eos jubens Ionum societatem, (2) hos tunc sermones animis admittebant Samii, spretam ab Ionibus militarem omnem videntes disciplinam, simulque intelligentes superari non posse regis potentiam; satis quippe gnari, etiamsi praesentes navales copias superarent Darii, alias quintuplices contra se

adfuturas. (3) Adripientes igitur occasionem, simulatque Ionas viderunt negantes in officio se futuros, lucro sibi duxerunt servare res suas et sacras et privatas. (4) Erat autem aeaces ille, cui morem Samii gesserunt, filius Sylosontis, aeacis nepos: qui, quum tyrannus fuisset Sami, ab Aristagora Milesio exutus fuerat imperio, quemadmodum reliqui Ioniae tyranni.

XIV. Tunc igitur, ubi Phoenices cum classe contra progressi sunt, Iones etiam naves suas longo ordine eduxerunt. Ut vero prope invicem fuerunt, commiseruntque praelium, exinde quinam ex Ionibus aut ignavi in hac navali pugna aut fortes viri fuerint, adcurate scribere non possum: nam alii alios invicem culpant. (2) Dicuntur autem tunc Samii, ut convenerat cum aeace, sublatis velis, deserta acie, Samum navigasse, undecim navibus exceptis. (3) Harum enim praefecti manserunt, pugnaveruntque spreto ducum suorum imperio: hisque commune Samiorum, ob hoc factum, eum honorem habuit, ut nomina ipsorum cum paternis nominibus columnae inscriberentur, ut qui probi fortesque viri fuissent; et est haec columna in foro. (4) Lesbii vero, proximos profugere videntes, idem fecerunt quod Samii; eorumque exemplum major pars Ionum secuta est.

XV. Ex his vero qui in praelio substiterunt, pessime accepti sunt Chii, praeclaris quidem factis nobilitati, et neutiquam, ut alii, de industria cessantes. Contulerant enim, quemadmodum ante etiam dictum est, naves centum, et in earum unaquaque erant quadraginta selecti ex civibus propugnatores. (2) Qui ubi plerosque socios prodere rem communem viderunt, noluerunt pravorum esse similes; sed cum paucis e sociis soli relicti, pugnarunt discurrentes per hostium naves, easque perrumpentes; donec, postquam plures naves ceperant, ipsi suarum majorem partem amiserunt. Chii igitur cum reliquis e suis navibus domum profugerunt.

XVI. Quibus vero ex Chiorum numero invalidae naves erant ob accepta vulnera, hi, quum hostis eos persequeretur, ad Mycalen profugerunt; et relictis ibi navibus in brevia ejectis, pedibus per continentem redire instituerunt. (2) Ut vero Ephesiorum fines ingressi sunt redeuntes Chii, noctuque ad eum locum pervenerunt, ubi tunc mulieres Thesmophoria celebrabant; ibi tunc Ephesii, quum quo pacto res Chiorum se haberent ante non audivissent, viderentque militum multitudinem fines suos invadentem, prorsus persuasi fures hos esse, qui mulieribus suis insidiarentur, universi ad vim arcendam procurrerunt, et Chios interfecerunt. Ac Chii quidem tali utrimque fortuna usi sunt.

XVII. Dionysius vero Phocaeensis, perditas res esse intelligens Ionum, captis tribus hostium navibus, abiit non jam Phocaeam navigans, satis gnarus eam cum reliqua Ionia in servitutem iri redactum; sed e vestigio recta in Phoenicen contendit. Ibi quum onerarias multas naves demersisset, multaque pecunia et aliis rebus pretiosis esset potitus, in Siciliam inde vela fecit: ex qua coortus, praedatoriam exercuit; Graecanicae quidem nulli navi insidiatus, sed Carthaginiensibus ac Tyrrhenis.

XVIII. Persae, victis pugna navali Ionibus, terra marique Miletum oppugnarunt, et, suffossis muris, admotisque cujusque generis machinis, penitus vi ceperunt, sexto a defectione Aristagorae

anno; captamque in servitutem redegerunt. Ita ea ipsa calamitate defuncta Miletus est, quae in illam ab oraculo praedicta erat.

XIX. Nam quum Argivi Delphis oraculum de suae urbis salute consuluissent, editum est promiscuum effatum, unum quidem ad Argivos spectans, sed huic immixtum aliud ad Milesios pertinens. (2) Et illud quidem, quod Argivos spectabat, deinde referam, quum ad illum narrationis locum pervenero; quae vero Milesiis, tunc non praesentibus, praedixit deus, ita habent.

Tunc quoque, commentrix operum Milete malorum,

permultis coena et praestantia munera fies,

crinitisque pedes tua pluribus abluet uxor;

templi aliis nostri in Didymis sua cura manebit.

(3) Tunc igitur haec Milesiis acciderunt, quando virorum major pars interfecta est a Persis longos capillos alentibus, et mulieres et liberi mancipiorum loco sunt habiti, et templum Didymis, aedes et oraculum, exspoliatum deflagravit. Caeterum pecuniae rerumque pretiosarum, quae in hoc templo depositae erant, saepe alibi in hac narratione feci mentionem.

XX. Inde, quotquot Milesii viri capti erant, Susa sunt ducti: quibus rex Darius, nullo alio malo adfectis, sedes adsignavit ad Rubrum quod vocatur mare, in Ampe oppido, juxta quam praeterfluens Tigris fluvius in mare evolvitur. (2) Agri vero Milesii eam partem, quae prope urbem et in planitie sita est, Persae tenuerunt ipsi; colles et montana Caribus Pedasensibus possidenda dedere.

XXI. Milesiis, hac calamitate adflictis a Persis, parem gratiam non retulerunt Sybaritae, qui patria urbe exuti Laum et Scidrum incolebant. Nam Sybari a Crotoniatis capta Milesii universi, nulla excepta aetate, capita raserant, et ingentem prae se tulerant luctum: hae enim civitates maxime omnium, quas novimus, hospitii inter se jura coluerant. (2) Diverso modo fecere Athenienses. Hi enim et aliis multis modis testatum fecerunt, quam acerbum ex Mileti expugnatione luctum perceperint; et, quum Phrynichus drama scripsisset docuissetque, Mileti expugnationem, in lacrimas eruperunt spectatores omnes, et mille drachmis multatus est poeta, quod domesticarum calamitatum memoriam refrixisset; legeque cautum est, ne quis amplius hoc dramate uteretur.

XXII. Ita Miletus viduata est Milesiis. Samiorum vero his, qui aliquid in bonis habebant, minime placuit id quod ab ipsorum ducibus in gratiam Medorum erat factum. Itaque statim a navali pugna deliberantes decreverunt, prius quam in ipsorum terram advenisset aeaces tyrannus, navibus in coloniam emigrare, nec manere dum Medis et aeaci servire cogerentur. (2) Etenim per idem tempus Zanclaei ex Sicilia nuncios miserant in Ioniam, qui Ionas ad Calactam invitarent, ubi Ionicam condi urbem Zanclaei cupiebant. Est autem haec Cale Acte (Pulcrum littus) quae vocatur, Siciliae tractus, Tyrrheniae obversus. (3) His igitur invitantibus, soli ex Ionibus Samii in coloniam abierunt, cum eisque Milesii, qui patriae calamitatem effugerant.

XXIII.[TR1] Interim res accidit hujusmodi. Samii, dum Siciliam petunt, in Locris erant Epizephyriis, et Zanclaei cum rege ipsorum, cui nomen erat Scythes, urbem aliquam Siciliae obsidebant, quam expugnare cupidi erant. (2) Ea re cognita, Anaxilaus Rhegii tyrannus, infensus tunc Zanclaeis, cum Samiis egit, monens eos omittendam esse, quam peterent, Calactam, occupandamque Zanclam, viris tum vacuam. (3) Et Samii, dicto audientes, Zanclam tenuere. Zanclaei, ut occupatam suam urbem audivere, ad opem ferendam adcurrunt, advocato etiam Hippocrate, Gelae tyranno, cui cum illis societas erat. (4) At Hippocrates, postquam cum exercitu tamquam opem illis laturus advenit, ipse Scytham Zanclaeorum monarcham, qui urbem amiserat, fratremque ejus Pythogenem, compedibus vinctos in oppidum Inycum misit; reliquos autem Zanclaeos, foedere cum Samiis inito, et fide data acceptaque, prodidit. (5) Merces ei a Samiis haec erat stipulata, ut omnium quae moveri possent mancipiorumque, quae in urbe essent, dimidiam partem Hippocrates acciperet; quae vero in agris essent, ea cuncta sortiretur. (6) Igitur Zanclaeorum plerosque ipse mancipiorum loco in vinculis habuit, eminentiores autem illorum trecentos Samiis tradidit interficiendos: at ab hac quidem culpa Samii abstinuere.

XXIV. Scythes vero, Zanclaeorum monarcha, ex Inyco Himeram profugit; indeque in Asiam profectus, ad regem Darium adscendit. (2) Et hunc Darius justissimum judicavit virorum omnium, qui ex Graecia ad ipsum adscenderant: nam venia a rege impetrata in Siciliam redierat, rursusque ex Sicilia ad regem erat reversus. Denique senex et beatus apud Persas e vita discessit. Ita igitur Samii, procul a Medis profecti, nullo labore pulcerrima urbe Zancla sunt potiti.

XXV. Post peractam pro Mileto navalem pugnam, Phoenices ex Persarum mandato aeacem, Sylosontis filium, Samum reduxerunt, utpote qui utilissimam illis egregiamque operam praestitisset. (2) Et solis, ex omnibus qui a Dario defecerant, Samiis neque urbs neque templa incensa sunt, propterea quod naves eorum in pugna navali socios deseruerant. Capta vero Mileto, protinus Caria in potestatem venit Persarum, aliis oppidis ultro sese dedentibus, aliis vi ad obsequium redactis.

XXVI. Atque ita hae res gestae sunt. Histiaeo autem Milesio circa Byzantium versanti et Ionum onerarias naves e Ponto venientes intercipienti, adfertur nuncius de rebus ad Miletum gestis. (2) Itaque, rebus ad Hellespontum Bisaltae Abydeno permissis, Apollophanis filio, ipse secum sumptis Lesbiis Chium navigavit. Ubi quum non reciperet eum Chiorum praesidium, acie cum his congressus est in Coelis (id est Cavis) quae vocantur Chiae terrae; (3) et eorum multos interfecit:

mox reliquos etiam Chios, quippe navali pugna misere adflictos, sub potestatem suam Histiaeus, Lesbiis adjutus, redegit, ex Polichna Chiorum oppido impetu facto.

XXVII. Solet autem deus ante significare, quando magna mala civitati aut populo cuipiam imminent; atque etiam Chiis ante has calamitates ingentia signa acciderant. Primum enim, quum centum juvenum chorum Delphos misissent, non nisi duo ex his redierant, caeteris octo et nonaginta peste absumptis: (2) tum per idem tempus, haud multo ante navalem pugnam, super puerorum capitibus literas discentium tectum corruerat, ut de centum et viginti pueris unus solus evaserit. (3) His signis a deo ante ostensis, deinde secuta pugna navalis in genu projecit civitatem; post pugnam vero navalem supervenit Histiaeus cum Lesbiis, et Chios jam ante adtritos facile prorsus depressit.

XXVIII. Inde Thaso arma Histiaeus intulit, magnam Ionum et aeolensium manum secum ducens. Dum vero Thasum circumsidet, adfertur ei nuncius, Phoenices Mileto profectos reliquam Ioniam navibus petere. (2) Quo cognito, Thasum inexpugnatam relinquens, Lesbum contendit, universis copiis secum ductis. Lesbo vero, quum fame laboraret exercitus, in continentem trajecit, frumentum demetere et ex Atarneo cogitans, et ex Caico campo Mysorum ditionis. (3) At fuit forte in ea regione Harpagus Persa, haud exigui dux exercitus: qui, cum illo in terram egresso commissa pugna, et ipsum Histiaeum vivum cepit, et majorem copiarum illius partem interfecit.

XXIX. Captus est autem Histiaeus hoc modo. Commisso Graecos inter et Persas praelio in Malena agri Atarnensis, per satis longum tempus aequo marte pugnatum est; ad extremum vero immissus est Graecis equitatus, qui pugnam hanc confecit: (2) et in fugam versis Graecis, Histiaeus, sperans se ob admissam culpam non supplicio adfectum iri a rege, talem quemdam vitae amorem concepit: quum fugientem adsecutus esset homo Persa, qui jam in eo erat ut deprehensum confoderet, Persico ille sermone hominem adloquens, esse se Histiaeum Milesium indicavit.

XXX. Qui si in vita fuisset servatus, et ad Darium regem adductus, puto equidem nihil mali fuisse eum passurum, remissurumque ei culpam fuisse regem. Nunc hanc ipsam ob caussam, ne salvus evaderet iterumque magnus fieret apud regem, Artaphernes Sardium praefectus, et qui illum captivum fecerat Harpagus, ut Sardes adductus est Histiaeus, corpus illius suspenderunt e cruce, caput autem,[TR2] sale conditum, Susa ad Darium regem miserunt. (2) Quibus rebus cognitis Darius, vituperatis his qui hoc fecerant, quod non vivum illum in suum conspectum adduxissent, caput Histiaei lotum et bene curatum jussit sepeliri, ut viri de se et de Persis praeclare meriti. Hoc igitur fato functus Histiaeus est.

XXXI. Jam navalis Persarum exercitus, postquam circa Miletum hiemaverat, sequenti anno inde profectus, insulas facile cepit haud procul a continente sitas, Chium et Lesbum et Tenedum. (2) Quarum insularum ut quaque potiti erant barbari, incolas omnes indagine cinctos capiebant. Indagine autem cingunt hoc modo: vir virum manu prehendens, a mari septemtrionali ad australe pertinentes, totam pervadunt insulam, atque ita homines venantur. (3) Pariter vero

etiam Ionicas in continente ceperunt civitates, nisi quod ibi homines non indagine cinctos venati sunt; neque enim fieri id poterat.

XXXII. Tunc vero Persarum duces vera praestiterunt ea, quae minati Ionibus erant, quum illi ex adverso castra haberent. (2) Postquam enim urbibus potiti sunt, selectos puerorum formosissimos castrabant, ex viris eunuchos facientes; et virgines forma praecellentes abducebant ad regem: et haec igitur faciebant et urbes cum ipsis templis incendio cremabant. (3) Atque sic tertio in servitutem Iones redacti sunt: primum a Lydis, et bis deinceps tunc a Persis.

XXXIII. Post haec, relicta Ionia, navalis exercitus omnia Hellesponti loca, quae ad sinistram sunt intranti, subegit: nam, quae a dextra sunt, ea Persae jam ipsi per se, terra adgressi, suam in potestatem redegerant. (2) Sunt autem ad Hellespontum in Europa loca haec: Chersonesus, in qua complura insunt oppida, tum Perinthus, et castella Thracia, et Selybria, et Byzantium. (3) Jam Byzantii quidem, et his ex adverso oppositi Calchedonii, ne exspectarunt quidem Phoeniciae classis adventum; sed, relictis suis sedibus, introrsus in Pontum Euxinum se receperunt, ibique urbem condiderunt Mesembriam. Phoenices vero, incensis his quae nominavi locis, contra Proconnesum et Artacam se converterunt: quibus et ipsis igni datis, iterum in Chersonesum navigarunt, reliquas urbes expugnaturi, quas superiori adpulsu non everterant. (4) Adversus Cyzicum vero cursum omnino non direxerunt: nam Cyziceni ipsi jam ante Phoenicum adventum in obsequio erant regis Persarum, deditionem cum oebare pacti, Megabazi filio, Dascylei praefecto. Chersonesi vero, una Cardia excepta, reliquis omnibus urbibus potiti sunt Phoenices.

XXXIV. Tyrannus tunc Chersonesi Miltiades erat, Cimonis filius, Stesagorae nepos: quod regnum primus olim susceperat Miltiades, Cypseli filius, hoc modo. Tenebant hanc Chersonesum Dolonci Thraces. (2) Hi, bello pressi ab Apsinthiis, reges suos miserant Delphos, qui de hoc bello oraculum consulerent; quibus Pythia respondit, coloniae conditorem in hanc regionem secum adducerent eum, qui ipsos, postquam templo egressi essent, primus ad hospitium vocasset. (3) Rediere Dolonci sacra via, per Phocenses et Boeotos: ubi quum nemo eos vocasset, Athenas deflectunt.

XXXV. Erat tunc Athenis summa potestas penes Pisistratum: caeterum dominabatur etiam Miltiades Cypseli filius, e familia quadrigas alente; originem quidem generis ab aeaco ex aegina repetens, sed recentiori memoria civis Atheniensis; Philaeus enim, Ajacis filius, primus ex hac familia in civium Atheniensium numerum erat receptus. (2) Hic Miltiades, in vestibulo aedium suarum sedens, quum praetereuntes conspiceret Doloncos, vestem gestantes extraneam et lanceas, inclamavit illos; accedentibusque deversorium et hospitalia officia obtulit. (3) Tum illi, accepta conditione, hospitio ab eo recepti, totum hospiti effatum oraculi aperuerunt, rogaruntque eumdem ut deo obsequeretur. Quorum audito sermone, protinus persuasus Miltiades est, quippe aegre ferens Pisistrati imperium, et procul ipse abesse cupiens. (4) Itaque extemplo Delphos profectus, consuluit oraculum, an faceret quod eum Dolonci rogassent.

XXXVI. Quod ubi etiam Pythia facere jussit, ita Miltiades Cypseli filius, qui ante id tempus quadrigae curriculo victoriam Olympiae reportaverat, tunc, adsumptis quicumque ex

Atheniensibus profectionis esse socii voluerant, una cum Doloncis navigavit: et, postquam terram illam tenuit, ab his ipsis qui eum adduxerant tyrannus est constitutus. (2) Is igitur primo isthmum Chersonesi muro intercepit, ex Cardia urbe usque Pactyam; ne possent Apsinthii incursionibus vastare regionem. Est autem latitudo isthmi illius stadia sex et triginta; longitudo vero Chersonesi ab hoc isthmo introrsum est quadringentorum et viginti stadiorum.

XXXVII. Faucibus Chersonesi muro interceptis, eaque ratione expulsis Apsinthiis, primis caeterorum Lampsacenis arma Miltiades intulit: quo bello a Lampsacenis, structis insidiis, vivus captus est. (2) Erat autem Miltiades Croeso Lydo familiaris. Itaque re cognita, Croesus praecone misso edixit Lampsacenis, salvum dimitterent Miltiadem: id ni fecissent, minatus est, pinus arboris in modum se illos excisurum. (3) Incertis Lampsacenis, disceptantibusque inter se quid sibi vellet hoc verbum, quod ipsis minatus Croesus esset, pinus in modum se illos excisurum, postremo tandem seniorum quispiam verum docuit, scilicet pinum solam ex cunctis arboribus, postquam excisa sit, nullum amplius germen edere, sed funditus perire. Igitur Croesum metuentes Lampsaceni Miltiadem solutis vinculis liberum dimiserunt.

XXXVIII. Hic igitur, postquam opera Croesi salvus evasit, deinde sine liberis obiit, regno et rebus suis omnibus Stesagorae relictis, Cimonis filio, fratris sui eadem matre nati. Et ei vita functo sacra faciunt Chersonitae, uti mos est conditori facere; et equestre gymnicumque in illius honorem certamen celebrant, in quo nulli Lampsacenorum certare fas est. (2) Dum vero bellum geritur cum Lampsacenis, accidit ut Stesagoras quoque sine liberis vita discederet, securi caput percussus in prytaneo ab homine, qui in speciem transfuga, revera autem hostis erat isque ferventior.

XXXIX. Ita mortuo etiam Stesagora, deinde Miltiadem, Cimonis filium, mortui Stesagorae fratrem, ad suscipiendum imperium cum triremi in Chersonesum miserunt Pisistratidae; qui Athenis etiam eumdem beneficiis promeruerant, quasi non conscii fuissent caedis patris illius Cimonis; quae quo pacto patrata fuerit, in alia narrationis parte exponam. (2) Miltiades postquam in Chersonesum pervenit, domi se tenuit, tamquam mortui fratris Stesagorae memoriam honorans. Quod ubi rescivere Chersonesitae, congressi principes ex omnibus undique civitatibus, quum communi consilio simul omnes ad eum condolendi caussa convenissent, in vincula ab illo conjecti sunt. (3) Atque ita Miltiades Chersonesum tenuit, quingentos alens satellites et uxorem duxit filiam Olori Thracum regis Hegesipylam.

XL. Hic igitur Cimonis filius Miltiades recentiori memoria in Chersonesum venerat: cui, ex quo advenit, alia acciderunt praesentibus graviora. Tertio enim ab his rebus superiori anno Scythas fugiens in exsilium abiit. Nempe Scythae Nomades, a Dario rege irritati, junctis viribus usque in hanc Chersonesum invaserunt: (2) quorum adventum exspectare non ausus Miltiades e Chersoneso profugit; donec, regressis Scythis, Dolonci eum reduxerunt. Haec igitur tertio anno ante ea quae nunc ei acciderunt, acta sunt.

XLI. Nunc vero, ubi Phoenices in Tenedo esse cognovit, quinque triremibus ex his, quae ad manus erant, pecunia et aliis rebus pretiosis impletis Athenas navigavit. Dum vero, ex Cardia urbe profectus, per Melanem sinum navigans, praetervehitur Chersonesum, occurrunt navibus ejus Phoenices. (2) Et ipse quidem Miltiades cum quattuor navibus Imbrum effugit; quintam vero persequentes Phoenices ceperunt, (3) cui navi praefectus tum erat Miltiadis filius natu maximus Metiochus, non ex Olori Thracis filia natus, sed ex alia uxore: atque hunc simul cum navi ceperunt Phoenices. Qui, ut resciverunt Miltiadis esse filium, ad regem eum abduxerunt, ingentem existimantes gratiam se inituros propter sententiam quam in Ionum concilio dixerat Miltiades, quum illos hortaretur obtemperare Scythis rogantibus, ut pontem solverent Iones domumque navigarent. (4) At Darius, postquam ad eum Phoenices Metiochum Miltiadis filium adduxerunt, nihil Metiocho mali fecit, sed multa in eum beneficia contulit: nam et domum et possessiones ei dedit, et Persicam uxorem, ex qua ei nati sunt filii, qui Persarum ordini sunt adscripti.

XLII. Miltiades vero ex Imbro Athenas pervenit. Atque eo anno nihil amplius hostile adversus Ionas a Persis susceptum est; immo vero haec valde utilia Ionibus hoc anno contigere. (2) Artaphernes, Sardium praefectus, arcessitis legatis ex civitatibus, coegit Ionas, ut pactiones mutuas facerent de litibus ex juris formula dirimendis, nec porro vi et armis inter se agerent. (3) Et hoc eos facere coegit, et terras eorumdem dimensus per parasangas (sic Persae mensuram vocant triginta stadiorum), tributa quibusque imposuit, quae ab illo inde tempore constanter ad meam usque aetatem eadem manent, sicut ab Artapherne constituta sunt: constituta autem ab illo sunt fere eadem conditione atque prius fuerant.

XLIII. Et haec quidem pacata illis contigerunt. Primo autem vere, reliquis imperatoribus domum dimissis a rege, Mardonius Gobryae filius ad mare descendit, ingentem et pedestrem exercitum ducens, et navalem. aetate juvenis is erat, et nuper regis Darii filiam Artozostram duxerat uxorem. (2) Huic igitur exercitui praefectus Mardonius, postquam in Ciliciam pervenit, navem ipse conscendit, et cum reliquis navibus est profectus; pedestrem vero exercitum alii duces ad Hellespontum duxerunt. (3) Quum vero Asiam praeternavigans Mardonius ad Ioniam pervenisset, rem hic ego dicam maxime miram eis Graecis, qui sibi persuaderi non patiuntur, Otanen unum e septem illis Persis pro sententia dixisse, populare imperium apud Persas debere institui. Namque Mardonius, abrogato tyrannorum omnium inter Ionas imperio, popularem statum civitatibus instituit. (4) Eo facto in Hellespontum properavit. Ut vero coacta est magna vis navium, et collectus ingens pedestris exercitus, navibus superato Hellesponto, per Europam iter fecerunt: proficiscebantur autem adversus Eretriam et Athenas.

XLIV. Nempe, contra has dirigi expeditionem, verbis prae se ferebant. Caeterum, quum constitutum apud se haberent quam plurimas possent ex Graecis civitatibus subigere, primum Thasios classe adgressi, qui ne manus quidem contra illos sustulerant, sibi subjecerunt; tum pedestri exercitu Macedonas, post illos qui jam Persis serviebant, sub jugum miserunt: nam qui cis Macedoniam habitant populi, jam cuncti illis subjecti erant. (2) Dein navibus a Thaso continentem versus transvecti, secundum oram perrexerunt navigare usque Acanthum: tum Acantho profecti, Athon montem circumvehi instituerunt. Sed dum circumvehuntur, ingruens ventus boreas ingens, et contra quem eluctari nulla arte poterant, maximum navium numerum ad montem impulsas misere adflixit. (3) Aiunt enim ad trecentas ex navibus periisse, et hominum amplius viginti millia. Etenim quum belluis frequens admodum sit hoc circa Athon mare, alii a

belluis rapti periere; alii vero ad petras adlisi; alii, quum natare non didicissent, hoc ipso periere; alii gelu. Haec clades classem adflixit.

XLV. Mardonium vero et pedestrem exercitum, quum in Macedonia castra haberet, noctu adgressi Brygi Thraces, magnum militum numerum occiderunt, ipsumque vulnerarunt Mardonium. At ne hi quidem servitutem a Persis imminentem effugere: etenim non prius ex his regionibus discessit Mardonius, quam in potestatem illos redegisset. (2) Verumtamen, subactis his, retro duxit exercitum, quippe et terra clade a Brygis accepta, et mari maximam calamitatem ad Athon passus. Ita hae copiae, turpiter re gesta, in Asiam redierunt.

XLVI. Altero vero ab his rebus anno primum Thasios, a vicinis insimulatos quasi defectionem molirentur, misso nuncio jussit Darius diruere murum, et naves suas Abdera devehere. (2) Thasii enim, ex quo ab Histiaeo Milesio fuerant[TR3] obsessi, quum magni illis essent reditus publici, pecuniis suis utebantur ad construendas naves longas, et ad validiorem murum urbi suae circumducendum. Erant autem illis reditus et ex continente et ex metallis. (3) Certe ex his quae in Scapte-Hyle metalla sunt, quae sunt auri fodinae, omnino octoginta redibant talenta; ex his vero quae in ipsa Thaso, aliquanto quidem minus, sed tamen tantum, ut, quum Thasii essent vectigalium immunes fructuum nomine pendendorum, ex continente et ex metallis redirent iis omnino quotannis ducenta talenta, et, quando plurimum redibat, trecenta.

XLVII. Vidi etiam ipse haec metalla: quorum maxime admiranda mihi visa sunt ea, quae a Phoenicibus fuerant inventa, qui cum Thaso insulam hanc condiderunt, quae nunc ab hoc Thaso Phoenice nomen traxit. (2) Sunt autem Phoenicia haec metalla inter duo Thasi loca, quorum alteri aenyra nomen est, alteri Coenyra, adversus Samothraciam: ingens mons est, quaerendis metalli venis susque deque versus.

XLVIII. Et haec quidem hujusmodi sunt. Caeterum Thasii, regis imperio parentes, et murum suum diruerunt, et naves cunctas devexerunt Abdera. (2) Post haec tentare Graecorum animos Darius instituit, cogniturus utrum secum bellum gesturi, an se ipsi tradituri essent. Igitur praecones per Graeciam, alios alio, dimisit, qui regis nomine terram et aquam a Graeciae populis poscerent. (3) Dum vero hos in Graeciam mittit, simul alios praecones per maritimas civitates sibi tributarias dimisit, qui eas juberent naves longas aliasque transvehendis equis comparare.

XLIX. Hae igitur comparabant imperatas naves: qui vero in Graeciam venerunt legati, his multi quidem in continente populi ea, quae ipsis rex proposuerat postulaveratque, dedere; insulani vero omnes, ad quoscumque legati cum eisdem postulatis pervenerunt. Igitur quum caeteri insulani terram et aquam Dario dederunt, tum vero etiam aeginetae. (2) Qui quum hoc fecissent, protinus eis imminebant Athenienses, rati adversus se tendere illud aeginetarum factum, ut simul cum rege Persarum bellum sibi inferrent. Itaque cupide arripientes hanc occasionem, Spartam misere legatos, qui accusarent aeginetas hujus facti caussa, quod ad proditionem pertineret Graeciae.

L. Qua audita accusatione, Cleomenes Anaxandridae filius, rex Spartanorum, aeginam trajecit, comprehensurus hos ex aeginetis, qui ejus rei maxime fuissent auctores. Ut vero comprehendere eos est adgressus, quum alii aeginetarum ei restiterunt, tum in his maxime Crius, Polycriti filius; qui, non impune, ait, illum quemquam ex aeginetis esse abducturum: (2) non enim publico Spartanorum consilio eum hoc facere, sed pecunia corruptum ab Atheniensibus; alioqui simul cum altero rege venturum fuisse ad hos comprehendendos. Dixit autem haec ex Demarati mandato. (3) Cleomenes igitur, aegina abire coactus, ex Crio quaesivit, quodnam ei nomen esset. Qui quum verum respondisset, dixit ei Cleomenes: «Nunc igitur, Aries (id significat Graecum nomen Krios), cornua tua aere muni, quippe magnum in malum incursurus.»

LI. Cleomenem vero per id tempus Spartae calumniabatur Demaratus, Aristonis filius, qui domi manserat, rex et ipse Spartanorum, sed ex familia inferiore; non quidem ob aliam caussam inferiore (nam ab eodem progenitore oriundi erant), nisi quod propter primogenituram magis in honore erat Eurysthenis prosapia.

LII. Etenim Lacedaemonii, contra quam a poetis omnibus memoratur, aiunt, non Aristodemi filios, sed ipsum Aristodemum, Aristomachi filium, Cleodaei nepotem, Hylli pronepotem, quum rex esset Lacedaemoniorum, duxisse illos in hanc regionem quam nunc ipsi obtinent. (2) Haud multo vero interjecto tempore uxorem Aristodemi, cui nomen fuisse Argiam; fuisse autem eamdem aiunt filiam Autesionis, neptin Tisameni, proneptin Thersandri, abneptin Polynicis; hanc, inquam, peperisse gemellos: et Aristodemum, postquam vidisset pueros, morbo decessisse. (3) Lacedaemonios autem, qui tunc fuissent, decrevisse regem ex legis praescripto nominandum ex pueris eum qui major esset natu. Quum vero nescirent, utrum ex illis eligerent, ut qui similes inter se et aequales essent; quumque nec nunc, nec ante cognovissent uter prior esset, interrogasse matrem. (4) At illam dixisse, ne se quidem ipsam internoscere: et scientem quidem egregie quae res sit hoc dixisse, sed cupientem, ut uterque, si fieri forte posset, rex nominetur. Lacedaemonios itaque, incerti quum essent, Delphos misisse, quid facto opus esset consulentes: (5) Pythiamque eos jussisse, ut puerum utrumque regem haberent, sed magis honorarent natu majorem. Quo accepto responso, quum nihilo minus incerti fuissent Lacedaemonii, quo pacto reperirent, uter eorum major natu esset, consilium eis dedisse hominem Messenium, cui nomen fuisse Panitae. Suasisse igitur Lacedaemoniis hunc Paniten, ut observarent matrem, viderentque utrum puerorum lavaret priorem, priorique cibum praeberet. Quodsi illa deprehenderetur in hoc constanter eumdem servare tenorem, habituros illos totam rem quam quaerant et reperire cupiant: sin fluctuet illa, et modo hunc, modo illum priorem curet, satis illos intelligere posse, ne ipsam quidem matrem exploratam rem habere; et tunc quidem aliam ineundam fore rationem. (6) Jam illos, juxta Messenii monitum observantes matrem filiorum Aristodemi, ignorantem ipsam cujus rei caussa observaretur, deprehendisse constanter eam et in cibo praebendo et in lavando praeferentem puerorum priorem. (7) Sumpsisse igitur Lacedaemonios hunc a matre alteri praelatum, ut natu majorem, eumque in domo publica aluisse; nomenque ei impositum fuisse Eurysthenis, minori vero Proclis. Et hos ipsos fratres, postquam adolevissent, per omne vitae tempus discordes inter se fuisse aiunt, et pari modo constanter animatos esse illorum posteros.

LIII. Haec quidem soli ex Graecis Lacedaemonii narrant. Jam vero, quae communi consensu a Graecis memorantur, haec dicam: scilicet Doriensium hos reges usque ad Perseum, Danaae

filium, praetermisso dei nomine, recte recenseri a Graecis, et esse illos Hellenas (sive Graecos) probari: jam tunc enim Hellenibus hi accensebantur. (2) Dixi autem usque ad Perseum, neque altius repetii eorum genus, hac caussa, quoniam Persei pater mortalis nullus nominatur, quemadmodum Herculis Amphitryo. Itaque recte et idonea de caussa dixi, usque ad Perseum. (3) Sin a Danae, Acrisii filia, per patres adscendendo repetere genus velimus, reperiemus Doriensium duces origine aegyptios fuisse. Haec igitur, ex Graecorum ratione, illorum genealogia est.

LIV. Ut vero Persarum fert traditio, ipse Perseus, Assyrius quum esset, Graecus est factus, non vero Persei majores: Acrisii vero progenitores generis propinquitate ad Perseum nihil pertinere, sed esse, quemadmodum Graeci dicunt, aegyptios.

LV. Et haec quidem de his dicta sufficiant. Cur vero, et quibus rebus gestis, aegyptii quum essent, Doriensium reges evaserint, omitto memorare, quum ab aliis haec exposita sint. Quae vero alii non occuparunt, eorum mentionem faciam.

LVI. Jam honores et privilegia, regibus Spartanis tributa, haec sunt: sacerdotia duo, Jovis Lacedaemonii, et Jovis Coelestis: tum belli inferendi potestas in quamcumque velint terram; cui potestati intercedere nemo Spartanus potest, quin piaculari se crimine obliget. Quum in bellum proficiscuntur, primi incedunt reges, postremi redeunt: (2) et centum delecti viri in exercitu eos custodiunt. Victimis utuntur in expeditionibus, quotcumque volunt; et omnium immolatarum pecudum et pelles et terga ipsi accipiunt. Haec sunt quae ad bellum pertinent.

LVII. In pace hi eisdem honores et praemia sunt concessa. Si quis publicum facit sacrificium, primi in coena sedent reges, et ab his fit distribuendorum ciborum initium, ita quidem ut utrique regi de rebus omnibus duplex portio tribuatur, quam caeteris convivis: libamina etiam hi auspicantur, iidemque mactatarum pecudum pelles accipiunt. (2) Ad haec, singulis noviluniis, et septimo cujusque mensis die, utrique regum ex publico datur perfecta victima in Apollinis templo mactanda, et farinae medimnus, et vini quartarius Laconicus. In omnibus ludis publicis sedes primarias et praecipuas habent. (3) Proxenos civitatibus iidem nominant e civibus quoscumque voluerint; et uterque duos nominat Pythios: sunt autem Pythii, cives qui Delphos mittuntur ad consulendum oraculum, hique publice cum regibus aluntur. (4) Quando ad coenam non veniunt reges, utrique domum mittuntur duo choenices farinae, et vini cotyla: praesentibus vero tribuitur de omnibus rebus duplex portio; idemque illis honos habetur, quoties a privato homine ad coenam vocantur. (5) Edita vaticinia hi custodiunt, sed ita ut eorumdem conscii sint Pythii. Judicant soli reges de hisce solum rebus: de virgine paternorum omnium bonorum haerede, cui illa nubere debeat, nisi jam a patre fuerit desponsata; et de viis publicis. (6) Tum, si quis adoptare voluerit filium, is coram regibus id facere tenetur. Adsident reges deliberantibus senatoribus, qui sunt numero duodetriginta: quodsi in senatum non veniunt, hi ex senatoribus qui proxime illos cognatione attingunt, regum habent honores, et duo suffragia conferunt, praetereaque tertium, suum ipsorum.

LVIII. Ista igitur viventibus regibus Spartanis publice tribuuntur: mortuis vero, haecce. Nunciant equites obitum regis per universam Laconicam; in urbe vero circumeuntes mulieres lebetem pulsant. Quo facto, necesse est ut ex quaque domo duo liberi homines, mas et femina, luctu squaleant; id ni faciunt, gravem mulctam incurrunt. (2) Est autem mos Lacedaemoniorum in regum obitu idem qui barbarorum in Asia: plerique enim barbari in obitu regum suorum eodem utuntur instituto. Mortuo enim rege Lacedaemoniorum, non Spartani solum, sed et ex tota Laconica circum habitantium certus quidam numerus ad prosequendum funus convenire tenetur. (3) Hi igitur, et Helotae, et Spartani ipsi, postquam multa millia numero in unum convenere, promiscue cum mulieribus frontes gnaviter plangunt, immensaque edunt lamenta, postremum semper ex regibus, eum qui diem obiit, optimum fuisse dicentes. (4) Quodsi in bello mortuus rex est, ejus simulacrum effingunt, et pulcre strato lectulo impositum efferunt. Sepulto rege, per decem dies nec populi concio instituitur, nec magistratuum consessus, sed per hos dies continuos lugent.

LIX. Etiam in hoc Lacedaemoniis convenit cum Persis, quod defuncti regis successor in regni sui auspiciis aere alieno liberat quemlibet Spartanum, qui vel regi vel publico aliquid debuit. Similiter enim apud Persas recens constitutus rex civitatibus omnibus tributum, quod nondum persolverunt, remittit.

LX. Cum aegyptiis vero hoc commune Lacedaemonii habent, quod apud illos praecones et tibicines et coqui in patrias artes succedunt; et tibicen filius est tibicinis, coquus coqui, praeco praeconis: neque praeconis filium alius, ob vocis claritatem munus hoc ambiens, excludit; sed quilibet negotium suum patrio more exsequitur. Atque haec quidem ita se habent.

LXI. Cleomenem igitur, aeginae tunc versantem, et communi Graeciae bono navantem operam, quum accusasset Demaratus, non aeginetis ille studens, sed invidia et odio ductus; (2) tum vero Cleomenes, ex aegina reversus, regiam dignitatem abrogandi Demarato consilium cepit; cujus exsequendi consilii haec res ei ansam occasionemque praebuit. (3) Aristoni, Spartae regi, quum duas deinceps uxores duxisset, liberi ex his nulli prognati erant. Cujus rei non suam esse culpam existimans, tertiam duxit uxorem. (4) Duxit autem hoc modo: erat illi amicus civis Spartanus, quo civium omnium familiarissime Ariston utebatur. Hic vir uxorem habuit longe formosissimam omnium quae Spartae erant mulierum: et ea quidem formosissima ex deformissima evaserat. (5) Etenim quum turpis fuisset adspectu, nutrix illius, puellam ita deformem videns esse hominum opulentorum filiam, vidensque parentes illius in magna calamitate ponere turpem filiolae formam, haec animadvertens nutrix, tale inivit consilium: (6) quotidie gestabat eam in Helenae templum, quod est in loco qui Therapna vocatur, supra Phoebeum templum. Quoties autem puellam eo gestasset, statuebat illam ante deae simulacrum, supplexque rogabat deam, ut deformitate liberare puellam vellet. (7) Jam die quodam, quum templo egrederetur nutrix, adparuisse ei dicitur mulier, quaerens ex ea quid esset quod in ulna gestaret. Cui quum illa respondisset, puellam se gestare, rogasse mulierem, ut sibi monstraret puellam. Neganti nutrici, dicentique vetitum sibi a parentibus esse ne cuiquam eam monstraret, etiam atque etiam hanc institisse, ut sibi ostenderet. (8) Tum nutricem, ut vidit plurimum interesse mulieris videre puellam, ita denique illi ostendisse; et hanc, tacto puellae capite, dixisse, formae praestantia superaturam eam Spartanas omnes mulieres. (9) Atque inde ab illo die mutatam esse ejus

formam. Hanc igitur, ubi nubilis facta est, in matrimonium duxit Agetus, Alcidae filius, hic ipse quem dixi Aristonis amicus.

LXII. Cujus mulieris amore urens Ariston talem iniit rationem. Amico, cujus haec uxor erat, recipit ipse, dono se daturum quamcumque rerum suarum omnium ille selegisset, jubetque amicum, ut parem sibi referat gratiam. Et ille, nihil de uxore sua veritus, quum videret esse etiam Aristoni uxorem, in conditionem consensit; atque in hoc ipsum mutuis se juramentis ambo obligarunt. (2) Deinde Ariston dedit illi pretiosissimum nescio quod cimeliorum suorum, quod selegerat Agetus: et ipse, par ab illo sibi referri postulans, ibi tunc uxorem amici conatus est secum abducere. (3) At ille, in omnia alia, hoc uno excepto, se consensisse, ait: verumtamen quum juramento esset obstrictus, doloque circumventus, abduci eam passus est.

LXIII. Ita igitur tertiam uxorem, repudiata secunda, Ariston duxit. Eique haec eadem mulier intra tempus justo brevius, decimo nondum expleto mense, peperit hunc, de quo hic agitur, Demaratum: (2) et Aristoni tunc in consessu ephororum sedenti unus e famulis nunciavit, natum ei esse filium. At ille, memor temporis quo duxerat uxorem, et digitis numerum iniens mensium, interposito jurejurando ait, «Hic meus esse non potest.» (3) Idque audiverant ephori: nec tamen statim curae admodum illis fuerat id verbum. Postquam vero adolevit puer, dicti poenituit Aristonem; etenim quam maxime suum esse filium Demaratum existimabat: (4) et nomen Demaratum (id est, Votis populi expetitum) hac caussa ei imposuit, quod antea Spartani publice susceptis pro Aristone votis, ut viro omnium ante id tempus regum Spartanorum probatissimo, deos erant precati, ut filius ei nasceretur. Ob hoc igitur nomen ei est impositum Demaratus.

LXIV. Succedente tempore e vita discessit Ariston, et Demaratus regnum suscepit. Fuisse autem videtur in fatis, ut ista res, quum comperta fuisset, regno exueret Demaratum, eo quod magnum in odium incurrerat Cleomenis, primum, exercitu Eleusi abducto, deinde (ut dixi) tunc, quum Cleomenes in aeginam trajecerat adversus hos qui cum Medis sentiebant.

LXV. Itaque ulcisci eum cupiens Cleomenes paciscitur cum Leotychide, Menaris filio, Agidis nepoti, ex eadem domo, qua erat Demaratus, oriundo, in hanc conditionem, ut ille, sua opera rex creatus in locum Demarati, ipsum sequeretur adversus aeginetas. (2) Fuerat autem Leotychides inimicissimus Demarato, ejusmodi de caussa; quod, quum Percalum, Chilonis filiam, neptin Demarmeni, sibi desponsasset, Demaratus per insidias nuptiis illis frustratus erat Leotychidem, praereptamque illi Percalum ipse duxerat uxorem. (3) Haec quum fuisset inimicitiarum Leotychidis adversus Demaratum origo, tunc a Cleomene sollicitatus Leotychides jurat contra Demaratum, dicens, non legitime illum regem esse Spartanorum, nec enim filium esse Aristonis. (4) Deinde, post interpositum hoc juramentum, judicio eum est persecutus, in memoriam revocans verbum istud, quod Aristoni tunc exciderat, quum ei famulus recens natum renunciasset filium; ubi numero inito mensium jurans dixerat, non esse illum filium suum. (5) Huic verbo insistens Leotychides declaravit Demaratum nec Aristone genitum, nec legitime regnantem Spartae; testes advocans eosdem ephoros, qui tum cum illo sederant in consilio, et verbum istud ex ore Aristonis audierant.

LXVI. Postremo, quum ea de re exstitissent rixae, placuit Spartanis ex Delphico oraculo quaerere, an Aristonis filius esset Demaratus. (2) Quod quum de industria ita decernendum curasset Cleomenes, ut de ea re ad Pythiam referretur; tum vero idem Cleomenes Cobonem sibi conciliavit, Aristophanti filium, virum maxima apud Delphenses auctoritate; qui Periallae prophetissae persuasit, ut ea diceret, quae Cleomenes dici volebat. (3) Ita igitur interrogantibus his, qui ad consulendum oraculum missi erant, respondit Pythia, non esse Aristonis filium Demaratum. Attamen postero tempore comperta ea fraus est, et Cobon Delphis profugit, prophetissae vero Periallae abrogatum est munus.

LXVII. Hoc igitur modo abrogata Demarato regia dignitas est. Deinde vero, relicta Sparta, ad Medos profugit Demaratus, ob contumeliam hujusmodi. Postquam regno fuit exutus, ad gerendum magistratum erat electus. (2) Quumque esset solenne ludicrum, quod Gymnopaedias vocant, Leotychides, rex jam creatus in Demarati locum, risus et contumeliae caussa misso famulo ad Demaratum, qui et ipse spectator aderat, quaesivit ex eo, qualenam illi videretur, hunc gerere magistratum post regiam dignitatem? (3) Cui illi, indignatus interrogatione, respondit, se quidem utrumque esse expertum, nec vero illum: caeterum interrogationem hanc Lacedaemoniis aut infinitae calamitatis, aut infinitae felicitatis fore initium. (4) His dictis, velata facie theatro egressus, domum suam abiit: ibique protinus, praeparatis rebus necessariis, Jovi bovem immolavit, et eo mactato vocavit matrem.

LXVIII. Quae postquam advenit, data in manus illius extorum parte victimae, supplex eam Demaratus adlocutus est his verbis: «Mater, et alios omnes deos testatus, et hunc Herceum (id est, domus nostrae praesidem) Jovem, oro te atque obsecro, ut verum mihi dicas, quis ex rei veritate pater sit meus. (2) Leotychides enim in litis contentione dixit, gravidam te ex priori viro congressam esse cum Aristone: qui vero contumeliosiorem rumorem sequuntur, aiunt cum servo asinario te esse congressam, et illius me esse filium. (3) Quare te ego per deos obsecro, verum mihi dicas. Nam et, si quid tale, quale dicunt, fecisti, non sola tu fecisti, sed multis cum aliis mulieribus: et pervulgata quoque Spartae fama est, prolificum semen non fuisse Aristoni; alioqui priores etiam uxores ejus parituras fuisse.» Talia igitur ille dixit.

LXIX. Cui mater his verbis respondit: «Fili, quoniam me supplex oras ut verum dicam, omnem tibi rem ex vero aperiam. Postquam me Ariston domum suam duxit, tertia nocte a prima venit ad me simulacrum simile Aristoni: quod quum mecum concubuisset, coronas mihi, quas habebat, imposuit. (2) Illud postquam abiit, venit deinde Ariston; qui me videns coronis ornatam, interrogavit quis illas mihi dedisset: et ego dixi, ipsum. Quod ubi abnuit ille, jurata equidem respondi, non recte eum facere qui rem perneget; paullo enim ante venisse ipsum, mecumque concubuisse, ac deinde has mihi coronas dedisse. (3) Tum me videns Ariston jurejurando rem confirmare, intellexit divinitus haec accidisse. Nam et coronas illas adparebat esse ex heoris aedicula quae est ad januam aulae nostrae; Astrabaci aedem vocant: et, esse hunc ipsum heroem, pronunciarunt vates. (4) Ita igitur, fili, rem totam habes, quam scire cupis. Nam, aut ex hoc heroe genitus es, et pater tuus Astrabacus heros est, aut Ariston, ea ipsa enim nocte te concepi. (5) Caeterum, quo argumento te maxime adgrediuntur inimici, dicentes, ipsum Aristonem, quum ei te natum esse nunciaretur, audientibus multis negasse suum te esse filium, quoniam justum tempus decem mensium nondum esset completum; id verbum illi inscitia talium rerum exciderat. (6) Pariunt enim mulieres etiam novem mensium foetus, atque etiam

septem mensium, neque cunctae decimum complent mensem: et ego te, fili, septimo mense peperi. Agnovitque etiam paullo post ipse Ariston, per inscitiam sibi verbum illud excidisse. (7) Alios autem de nativitate tua rumores procul habe: nam verissima omnia audivisti. Ex asiniariis vero Leotychidi ipsi et aliis, qui hoc narrant, liberos pariant uxores.» Haec mater locuta est.

LXX. Demaratus vero, postquam quae voluerat cognovit, sumpto viatico, Elidem profectus est; speciem prae se ferens tamquam Delphos petens, ubi consuleret oraculum. Lacedaemonii vero, suspicati fugam capessere Demaratum, persecuti sunt eum. (2) Sed, priusquam hi Elidem pervenerunt, Zacynthum ille trajecerat. Quo quum etiam Lacedaemonii trajecissent, et ipsi Demarato injecerunt manus, et famulos ei abstraxerunt. At ille, quum non dedidissent eum Zacynthii, in Asiam deinde ad regem Darium transgressus est: et rex eum munifice excepit, et terra et oppidis donavit. (3) Ista igitur ratione, et tali fortuna usus, in Asiam pervenit Demaratus, postquam et aliis multis factis pariter atque consiliis inter Lacedaemonios claruerat, et Olympica victoria, quam quadrigarum curriculo reportavit, civitatem ornaverat, unus ex omnibus Spartae regibus cui id contigerit.

LXXI. Leotychides vero, Menaris filius, in regnum Demarato ea dignitate ejecto successit. Cujus filius erat Zeuxidemus, quem Spartanorum nonnulli Cyniscum nominabant. Hic regnum Spartae non est adeptus: obierat enim ante Leotychidem, relicto filio Archidamo. (2) Mortuo autem Zeuxidemo, alteram uxorem duxit Leotychides Eurydamen, Menii sororem, Diactoridae filiam: ex qua quidem nulla ei mascula proles nata est, sed filia, nomine Lampito; quam duxit Archidamus, Zeuxidemi filius, a Leotychide sibi elocatam.

LXXII. Nec vero Spartae senectutem traduxit Leotychides, sed talem quamdam poenam dedit Demarato. Quum dux esset copiarum Laconicarum in Thessalia, potuissetque omnia armis subigere, ingentibus pecuniis corrumpi se passus est. (2) Cujus criminis compertus, quum in ipsis castris insidens manicae pecunia plenae esset deprehensus, in judicium delatus exsilio multatus est, et aedes ejus in urbe dirutae: itaque Tegeae exsulavit, ibique vitam finivit. Sed haec quidem postero tempore acta sunt.

LXXIII. Tunc vero, postquam Cleomeni ex sententia successerat res in Demaratum suscepta, protinus ille, adsumpto Leotychide, adversus aeginetas ire contendit, propter illatam sibi contumeliam vehementer illis iratus. (2) Jam igitur aeginetae, quum ambo simul reges adversus illos venissent, non amplius repugnandum sibi esse existimarunt: et illi selectos ex aeginetis decem viros, divitiis et genere prae caeteris eminentes, abduxerunt, in his Crium Polycriti filium, et Casambum Aristocratis, qui plurimum potestate valebant. Hos igitur, in Atticam terram abductos, veluti depositum tradiderunt Atheniensibus, acerrimis hostibus aeginetarum.

LXXIV. Sed post haec Cleomenes, quum compertae interim fuissent malae artes, quibus adversus Demaratum usus erat, metu Spartanorum in Thessaliam secessit. Inde vero in Arcadiam reversus, novas res moliens, Arcadas adversus Spartanos sollicitavit, quum aliis juramentis illos adstringens, ut se, quocumque duceret, sequerentur; tum etiam in animo habens proceres

Arcadum, in Nonacrin oppidum ductos, jurejurando per Stygis aquam adigere. (2) Nam in hoc ipso oppido perhibent Arcades esse Stygis aquam. Est autem illa hujusmodi: exigua adparet aqua, ex petra stillans in locum concavum, quem maceria undique cingit. Nonacris autem, in qua hic fons conspicitur, Arcadiae oppidum est prope Pheneum.

LXXV. Lacedaemonii vero, ubi cognoverunt quid moliretur Cleomenes, veriti rei exitum, Spartam eum revocarunt, et in pristinam restituerunt dignitatem. (2) At post reditum brevi interjecto tempore, quum jam antea haud sana admodum mente fuisset, furor morbus eum invasit; nam quoties Spartanus quispiam obviam ei veniret, huic sceptrum in faciem infligebat. (3) Quae quum ille faceret, et alienata esset mente, vinxerunt illum propinqui, et ligno illigaverunt. At ille, ita vinctus, ubi vidit unum custodem, digressis aliis, solum relictum, cultrum sibi dari postulavit: quem quum ei statim dare nollet custos, minatus est homini quae deinde illi facturus esset, quando foret solutus; donec territus ille minis (erat enim unus ex Helotis) cultrum ei porrexit. (4) Tum vero, sumpto ferro, Cleomenes, initio a cruribus facto, misere se ipse laceravit: carnem enim secundum longitudinem incidens, a cruribus ad femora perrexit, et a femoribus ad ilia et lumbos: postremo, ubi ad ventrem pervenit, hunc etiam minutatim dissecuit, donec animam efflavit. (5) Atque tali modo ille mortuus est, ut quidem plerique ex Graecis dicunt, quoniam Pythiae persuaserat ista dicere quae ad Demaratum spectabant; ut vero aiunt Athenienses, quoniam, quo tempore Eleusinem invasit, lucum excidit deabus sacrum; ut vero Argivi, quoniam Argivos, qui e pugna in lucum Argo sacrum confugerant, inde abductos trucidavit, ipsumque lucum spreta religione incendit.

LXXVI. Scilicet Cleomeni, Delphicum oraculum consulenti, redditum erat responsum, capturum illum Argos. Postquam vero cum Spartanorum exercitu ad fluvium pervenit Erasinum, quem aiunt ex Stymphalio lacu effluere: dicunt enim, hunc lacum, postquam in caecam voraginem se infudit, rursus adparere in Argolide, et exinde Erasinum hanc aquam ab Argivis nominari: ad hunc igitur fluvium postquam Cleomenes pervenit, hostias flumini immolavit: (2) quumque minime bene ei cessurum transitum portenderent exta, laudare se, ait, Erasinum, quod cives non proderet suos; sed ne sic quidem salvos evasuros Argivos. (3) Post haec retrogressus, Thyream duxit exercitum; et, tauro mari immolato, navibus eumdem duxit in Tirynthium et Nauplium agrum.

LXXVII. Ea re cognita, ad mare properant Argivi, opem suis laturi. Ut vero prope Tirynthem fuerunt, eo in loco cui nomen est Sepea, castra castris Lacedaemoniorum, haud magno spatio in medio relicto, opposuerunt. (2) Ibi nimirum pugnam ex aperto non verebantur Argivi, sed ne dolo caperentur. Etenim ad hanc rem spectabat oraculum illud, quod promiscue et his et Milesiis Pythia ediderat his verbis:

Verum, quando marem praevertet femina victrix,

inter et Argivos referet praelustris honorem;

tunc Argivarum reddet plerasque gementes,

ut venturorum aiat quis quandoque virorum:

«telo saevus obit sinuoso corpore serpens.»

Quae quum tunc omnia concurrissent, metum Argivis incusserunt. (3) Proinde consilium ceperunt utendi hostium praecone: idque ita exsecuti sunt, ut, quoties Spartanus praeco signum aliquod dedisset Lacedaemoniis, Argivi etiam id ipsum facerent.

LXXVIII. Quos ubi Cleomenes cognovit idem exsequi, quodcumque ipsius praeco significasset; imperat suis, ut, quando prandii signum edidisset praeco, tunc arma caperent, et Argivos adorirentur. (2) Et exsecuti sunt hoc Lacedaemonii. Nam, dum Argivi ex praeconis imperio prandium capiebant, subito illos adorti, multos eorum interfecerunt, multo plures vero, qui in Argi lucum confugerant, circùm sedentes ibi custodiverunt.

LXXIX. Deinde hoc fecit Cleomenes: quum ex hominibus quibusdam, qui ad ipsum transfugerant, cognosset, quinam essent ex Argivis qui in sacro luco essent inclusi, misso praecone nominatim evocavit singulos; dicens, se pretium redemptionis illorum accepisse. Statutum autem apud Peloponnesios est pretium redemptionis, duo minae pro singulis captivis pendendae. (2) Igitur quinquaginta fere ex Argivis, ut quemque evocaverat, interfecit Cleomenes; et reliquos, qui in luco erant, latebat factum: quum enim densus esset lucus, qui intus erant, non videbant quid facerent hi qui extra essent. Postremo vero unus illorum conscensa arbore vidit quid gereretur: atque exinde non amplius egrediebantur vocati.

LXXX. Tum vero Cleomenes Helotas omnes jussit materiam circa lucum congerere: et, postquam hi imperata fecerunt, lucum incendit. Jamque ardebat lucus, quum ille ex transfugarum quopiam quaesivit, cui deo sacer lucus esset. Qui respondit, Argi lucum esse. (2) Hoc audito Cleomenes, ingentem edens gemitum, ait: «O fatidice Apollo, sane magnopere me decepisti, quum Argos me capturum diceres. Suspicor enim, exisse mihi id vaticinium.»

LXXXI. Post haec, majore exercitus parte Spartam dimissa, ipse cum mille fortissimis ad Junonis templum se contulit, sacra facturus. Quum autem in eo esset ut super ara sacrificaret, vetuit eum sacerdos, nefas esse dicens peregrino sacra ibi facere. (2) At Cleomenes, jussis Helotis abductum ab ara sacerdotem flagris caedere, ipse sacra fecit; eoque facto Spartam abiit.

LXXXII. Quo ubi rediit, inimici eum apud ephoros reum egerunt; dicentes, pecunia corruptum Argos non cepisse, quum capere facile potuisset. (2) At ille respondit; verumne dicens, an mentiens, definire nequeo; respondit certe, postquam lucum Argo sacrum cepisset, visum sibi

esse exisse effatum dei: quare non tentandam sibi existimasse urbem, quin prius sacris factis cognovisset, utrum traditurus sibi eam deus esset, an impedimento futurus. (3) Litanti autem sibi in Junonis templo, ex simulacri pectore effulsisse ignis flammam: unde liquido se intellexisse, non capturum se esse Argos: nam, si ex capite simulacri effulsisset flamma, capturum se urbem cum arce fuisse; quum vero e pectore effulserit, perfecta a se esse omnia quae fieri deus voluit. (4) Haec dicens, credibilia et consentanea dicere visus est Spartanis, et longe majore parte suffragiorum est absolutus.

LXXXIII. Urbs vero Argos ita viris viduata est, ut res illorum omnes penes servos essent, omnia gubernantes administrantesque, donec eorum filii, qui perierant, ad virilem pervenerunt aetatem. Tunc hi, Argos sibi rursus vindicantes, illos ejecerunt: et servi, urbe pulsi, praelio facto, Tirynthem tenuere. (2) Deinde aliquamdiu pacatae inter utrosque res fuere: sed postea venit ad servos vir fatidicus, nomine Cleander, genere Phigalensis Arcas; qui illis, ut denuo arma inferrent dominis, persuasit. Inde bellum illis exortum est, quod diu duravit, donec tandem aegre servos debellarunt Argivi.

LXXXIV. Argivi igitur ista de caussa aiunt in furorem actum Cleomenem misere periisse. At ipsi Spartani contendunt, non a deo quopiam in furorem actum fuisse Cleomenem, sed ex consuetudine cum Scythis contraxisse merum bibendi morem, eaque de caussa in furorem incidisse. (2) Scythas enim Nomades, postquam terram ipsorum Darius bello invasisset, consilium deinde cepisse poenas ab illo repetendi: itaque missis legatis societatem voluisse cum Spartanis contrahere, hac conditione, ut ipsi Scythae juxta Phasin fluvium conarentur in Medicam terram irrumpere; Spartani vero, Epheso profecti, in superiorem Asiam contenderent, ac deinde utrique eodem in loco convenirent. (3) Cleomenem igitur, aiunt, quum Scythae hanc ob caussam Spartam venissent, familiarius, quam par erat, cum illis conversantem, merum bibere ab eisdem didicisse; atque inde eum in furorem incidisse existimant Spartani. (4) Et ab illo tempore, aiunt, si quis meracius bibere cupit, dicere hunc famulo, «Scythico more infunde!» Haec apud Spartanos de Cleomene fama est. Mihi vero Cleomenes videtur hanc poenam Demarato dedisse.

LXXXV. Cognita Cleomenis morte, aeginetae Spartam legatos miserunt, qui Leotychidem propter obsides Athenis retentos accusarent. Et Lacedaemonii, constituto judicio, pronunciarunt injuriose cum aeginetis Leotychidem egisse; eumque condemnarunt, ut illis dederetur, aeginam abducendus loco virorum Athenis detentorum. (2) Quum vero in eo essent aeginetae ut abducerent Leotychidem, dixit eis Theasides, Laoprepis filius, vir Spartae spectatus: «Quid facturi estis, viri aeginetae? regem Spartanorum, vobis a civibus suis traditum, vultis abducere? Quodsi nunc iracunde cum illo agere decreverunt Spartani, videte ne iidem posthac, si hoc feceritis, exitiosum malum vestram in terram inferant.» (3) His auditis, abducere illum omiserunt aeginetae, pactique cum eo sunt in hanc conditionem, ut una cum ipsis Athenas se conferret Leotychides, et aeginetis viros illos restitueret.

LXXXVI. Athenas postquam Leotychides pervenit, repetiitque depositum; tum vero tergiversari Athenienses, reddere nolentes; dicereque, a duobus regibus viros illos apud se depositos fuisse,

nec sibi aequum videri, alteri eos reddere absque altero. (2) Ita quum se reddituros illos negarent Athenienses, haec apud eos verba Leotychides fecit: «Facite, Athenienses, utrum volueritis ipsi: nam, si reddideritis, pie sancteque feceritis; si non reddideritis, contra. Verumtamen commemorare vobis volo, quale quid circa depositum acciderit Spartae. (3) Dicimus nos Spartani, fuisse Lacedaemone, tertia ante me generatione, Glaucum Epicydis filium. Huic viro dicimus et omnia alia contigisse praecipua, et singulari justitiae fama eumdem fuisse celebratum prae omnibus qui per id tempus Lacedaemonem habitabant. (4) Huic suo tempore haec dicimus accidisse: virum Milesium venisse Spartam, illum convenire cupientem, et haecce ei exponentem. Sum ego, inquit, civis Milesius, ad teque veni, Glauce, tua frui justitia cupiens. (5) Quandoquidem enim, ut per reliquam Graeciam universam, ita et per Ioniam, eximia est fama tuae justitiae; reputavi mecum, in periculo semper versari Ioniam, Peloponnesum contra in tuto locatam, et numquam apud nos pecunias diu in ejusdem hominis possessione permanere. (6) Haec apud me reputanti deliberantique visum est mihi, bonorum meorum dimidium, in pecuniam redactum, apud te deponere, bene gnaro apud te mihi salvum illud collocatum iri. Accipe igitur has pecunias meas, et has accipe servaque tesseras; quas qui secum ferens repetet pecunias, ei illas reddes. (II.) Haec quum hospes dixisset Milesius, accepit Glaucus depositum praedicta conditione. (7) Multo vero interjecto tempore Spartam venere filii hujus hominis, qui illas deposuerat pecunias; qui quum convenissent Glaucum, exhibitis tesseris pecunias ab illo repetierunt. At ille recusans, haec respondit: Non memini equidem hanc rem quam narratis, nec animum meum subit ulla ejus cogitatio. Volo autem, si quidem in memoriam revocavero, facere quod justum est: nam, si accepi, recte vobis restituam; si omnino non accepi, ex Graecorum legibus vobiscum agam. (8) Igitur in quartum ab hoc mensem vos rejicio, quo tempore haec effecta vobis dabo. (III.) Lamentantes discedunt Milesii, tamquam defraudati pecuniis. Glaucus vero, Delphos profectus, consulit oraculum, (9) quaeritque ex illo, an interposito jurejurando pecuniam praedaretur. Quem his verbis Pythia adgreditur:

Glauce Epicydide! sane expedit ad breve tempus

jurando vicisse, intervertisseque nummos.

Jura: jurandi memorem quoque mors quia tollit.

At juramento quaedam est sine nomine proles,

trunca manus, et trunca pedes; tamen impete magno

advenit, atque omnem vastat stirpemque domumque.

Sancti vero hominis florebit sera propago.

His auditis, deum oravit Glaucus, ut veniam sibi eorum quae dixisset daret. (10) At Pythia respondit, perinde esse, tentare deum, atque rem ipsam peragere. (IV.) Tunc igitur Glaucus quidem hospites arcessivit Milesios, et pecunias illis reddidit. Cujus vero rei caussa hunc ad vos, Athenienses, sermonem facere adgressus sim, dicam. (11) Glauci hujus nulla hodie propago superest, nec domus ulla quae Glauci fuisse existimetur: a stirpe enim excisus e Sparta est. Adeo expedit, de deposito nihil aliud ne cogitare quidem, nisi ut repetentibus reddas.» His dictis Leotychides, quum ne sic quidem morem ei gererent Athenienses, discessit.

LXXXVII. aeginetae, priusquam superiorum injuriarum, quas Thebanorum in gratiam intulerant Atheniensibus, poenas darent, hoc etiam admiserant. (2) Succensentes Atheniensibus, a quibus injuria se adfectos arbitrabantur, ad ulciscendos eos se compararunt: et quum Athenienses sacra quinquennalia ad Sunium celebrarent, navi qua theori vehebantur insidiati sunt, et repletam viris primariis Atheniensium ceperunt, captosque in vincula conjecerunt.

LXXXVIII. Haec ab aeginetis passi Athenienses non ultra differendum putarunt, quin adversos illos, quidquid possent, machinarentur. Erat tunc in aegina vir spectatus, Nicodromus nomine, Cnoethi filius, infensus aeginetis quod ab illis olim insula pulsus fuisset: hic ubi intellexit Athenienses ad male faciendum aeginetis sese accingere, proditionem aeginae cum illis paciscitur, certum diem constituens, quo et ipse rem adgressurus sit, et illos oporteat praesidio sibi adesse. His ita constitutis, Nicodromus, ut ei cum Atheniensibus convenerat, veterem quam vocant urbem occupat.

LXXXIX. Sed Athenienses ad constitutum diem non adfuerunt. Etenim navium numerus tunc maxime non ad manus illis fuerat idoneus ad pugnam cum aeginetis ineundam: et, dum a Corinthiis naves sibi commodandas petunt, interim perdita res est. (2) Corinthii, quum per id tempus quammaxime amici essent Atheniensium, rogantibus illis triginta dedere naves, dederunt autem quinis drachmis eas commodantes; nam gratis dare per legem non erat licitum. (3) His igitur acceptis navibus, adjectisque suis, septuaginta omnino navibus instructis, adversus aeginam navigarunt: sed postridie ejus diei, qui constitutus erat, advenerunt.

XC. Nicodromus, ut ad diem non adfuerunt Athenienses, conscensa navi ex aegina profugit, eumque alii etiam ex aeginetis sunt secuti; quibus Athenienses Sunium habitandum dedere: unde illi impetum facientes, res aeginetarum, qui in insula erant, agebant ferebantque. Sed hoc quidem postero tempore factum.

XCI. Tunc vero, qui opibus inter aeginetas valebant, superata plebe quae cum Nicodromo insurrexerat, hos qui in ipsorum venerant potestatem, ad sumendum de eis supplicium eduxerunt. Quo tempore etiam piaculum admisere, quod nulla ratione nullisque sacrificiis potuerunt expiare, sed prius insula exciderunt, quam propitia illis reddita dea est. (2) Nam, quum captos septingentos ex plebe ad supplicium educerent, unus eorum, e vinculis elapsus, ad vestibulum confugit Cereris Legiferae, et prehensos annulos, quibus attrahitur porta, firmiter

tenuit. Tum vero illi, quum abstrahere hominem non valerent, manus ei praeciderunt, atque ita eduxerunt: et manus illae annulis firmiter inhaerebant.

XCII. Haec in se invicem aeginetae patrabant. Superati vero pugna navali ab Atheniensibus, qui cum septuaginta advenerant navibus, auxilium petierunt ab eisdem quos olim invocaverant, Argivis. At hi quidem jam auxilio non venerunt, quippe offensi eo quod naves aeginenses, vi quidem coactae a Cleomene, ad Argolidem adpulerant terram, et aeginetae una cum Lacedaemoniis exscensionem fecerant. (2) In eadem autem incursione simul etiam Sicyonii suis e navibus exscenderant. Quare ambobus Argivi mulctam irrogarunt, mille talenta, utrique populo quingenta. (3) Et Sicyonii quidem, agnoscentes injuste se fecisse, pacti sunt cum Argivis, ut, solutis centum talentis, reliqua summa ipsis remitteretur: aeginetae vero culpam non agnoscentes, pertinaciter detrectaverunt mulctam. Quam ob caussam nunc illis, auxilia rogantibus, publico nomine nulla ab Argivis missa sunt, sed voluntarii eis suppetias venere mille admodum; quibus dux praefuit vir strenuus, nomine Eurybates, qui quinquertium exercuerat. (4) Eorum autem plerique non redierunt, sed ab Atheniensibus in aegina sunt interfecti: in his dux Eurybates, postquam singulari certamine tres occidisset adversarios, ipse a quarto, Sophane Deceliensi, interfectus est.

XCIII. aeginetae vero, suis navibus Athenienses incompositos adorti, superarunt illos, et quattuor naves eorum cum ipsis viris ceperunt. Ita factum est ut bellum gereretur Athenienses inter et aeginetas.

XCIV. Interim Persa suum persecutus est institutum. Nam et famulus eum semper admonebat, ut reminisceretur Atheniensium, et Pisistratidae instabant et calumniabantur Athenienses: simul vero ipse Darius cupiebat, arrepta hac occasione, illos e Graecis subigere, qui terram et aquam ipsi non dedissent. (2) Itaque, Mardonio ab imperio remoto, qui cum classe male rem gesserat, alios nominavit imperatores, qui adversus Eretriam et Athenas proficiscerentur, Datin, Medum genere, et Artaphernem, Artaphernis fratris sui filium: quos misit dato mandato, ut Athenas Eretriamque sibi subjicerent, et capta inde mancipia in suum adducerent conspectum.

XCV. Hi nominati imperatores, quum a rege digressi in Aleium pervenissent campum Ciliciae, exercitum pedestrem secum ducentes numerosum et bene instructum; ibi quum castra posuissent, accesserunt eis universae copiae navales, ut cuique populo imperatae erant: accesseruntque etiam naves equis transvehendis, quas superiori anno Darius suis tributariis edixerat parandas. (2) Equis in hippagines impositis, et omni pedestri exercitu naves conscendere jusso, sexcentis triremibus in Ioniam navigarunt. Inde vero non littus legentes recta versus Hellespontum et Thraciam direxerunt classem; sed Samo profecti, per Icarium mare et secundum insulas cursum tenuere; (3) metuentes maxime, ut mihi videtur, montis Atho circuitum, in quo circumnavigando superiori anno ingentem passi erant calamitatem: insuper vero etiam, ut hac irent, Naxus insula eos cogebat, quae superiori tempore non erat subacta.

XCVI. Ubi per mare Icarium transvecti contra Naxum venere (hanc enim primam omnium adoriri in animo habebant Persae), memores eorum quae prius acciderant, Naxii non sustinentes hostem, procul abeuntes in montes confugerunt. (2) Persae vero, in servitutem redactis quotquot illorum comprehendissent, et templa et urbem incenderunt. Quo facto, adversus reliquas insulas navigare pergebant.

XVII. Qui dum id faciunt, Delii etiam, relicta insula, profugiunt Tenum. Datis autem, ubi in viciniam Deli cum exercitu pervenit, ipse navi sua praegressus, non passus est classem ad insulam adpellere, sed ad Rheneam ex adverso sitam: (2) et postquam cognovit quo se Delii recepissent, misso caduceatore, haec eis edixit: «Quid fuga abitis, viri sancti, male de me, nec pro meo merito, judicantes? Ego enim et ipse in tantum certe sapio, et a rege hoc mihi mandatum est, ut, qua in terra hi duo dii nati sunt, eam nec ipsam laedam, nec ejus incolas. (3) Quare redite vestras ad sedes, et insulam habitate!» Haec postquam per caduceatorem edixit, trecenta thuris talenta super aram congesta adolevit.

XCVIII. His rebus gestis, Datis cum exercitu primum adversus Eretriam navigavit, simul et Ionas et aeolenses secum ducens. Post illius autem ex hac regione digressum commota tremuit Delus; quod nec ante id tempus, ut aiunt Delii, nec post, ad meam usque aetatem, factum est. (2) Et hoc quidem prodigium edidit deus, quo imminentia hominibus mala significaret. Nam regnante Dario Hystaspis filio, et Xerxe Darii, et Artaxerxe Xerxis, per tres has continuas generationes plura mala adflixerunt Graeciam, quam per viginti alias generationes quae ante Darium exstiterunt; alia quidem, a Persis illi illata; alia vero, ab ipsorum Graecorum coryphaeis de principatu inter se bellum gerentibus. (3) Itaque non praeter caussam commota est Delus, quum ad illum diem immota fuisset. Et in vaticinio de illa ita scriptum est:

Et Delum, quamvis sit adhuc immota, movebo.

Valent autem secundum Graecum sermonem nomina ista hocce: Darius, coercitor; Xerxes, bellator; Artaxerxes, magnus bellator. Hos igitur reges Graeci sua lingua recte ita, ut dixi, nominaverint.

XCIX. Barbari, Delo profecti, navibus ad insulas adpellebant, et exercitum inde adsumebant, et insulanorum filios secum obsides abducebant. (2) Postquam vero, praeternavigatis insulis, Carysto quoque appulerunt; quum nec obsides dedissent Carystii, et contra vicinas urbes (Eretriam et Athenas dicebant) se militaturos negassent: ibi tunc hos oppugnarunt, agrumque illorum evastarunt, donec etiam Carystii in deditionem venere Persarum.

C. Eretrienses autem, ubi cognoverunt sese peti a Persarum classe, Athenienses rogarunt ut auxilia sibi mitterent. Nec negarunt Athenienses opem, sed quater mille colonos illos, qui in opulentorum Chalcidensium praedia successerant, opem eis ferre jusserunt. (2) At in Eretriensibus sanum nullum erat consilium; qui Athenienses quidem auxilio vocaverant, ipsi vero

in duas divisi erant sententias: nam aliis animus erat, relicta urbe in superiora Euboeae loca se recipere; alii vero, privatum quaestum a Persis reportare sperantes, proditionem parabant. (3) Quorum utrorumque consilia cognita habens aeschines, Nothonis filius, primarius vir Eretriensium, advenientibus Atheniensibus praesentem rerum statum aperuit; eosque ut retrogrederentur rogavit, ne simul cum Eretriensibus perirent. Et Athenienses, aeschinis sequentes consilium, Oropum transvecti, periculum evaserunt.

CI. Persae, navibus ad Tamynas et Choereas et aegilia ditionis Eretriensium adpulsis, locis hisce potiti, protinus equis e navibus expositis, ad adgrediendum hostem sese compararunt. (2) Eretrienses vero de egrediendo et committenda pugna non cogitabant; sed muros, si possent, defendere, hoc unum illis curae erat, quandoquidem vicerat sententia non relinquendam esse urbem. (3) Quum autem acriter oppugnaretur murus, intra sex dies multi ab utraque parte perierunt: septimo vero die Euphorbus Alcimachi filius et Philagrus Cyneae, spectati inter cives viri, Persis Eretriam prodiderunt. (4) Et hi, urbem ingressi, templa spoliarunt incenderuntque, poenam hanc repetentes ob templa Sardibus cremata; homines autem, ut jusserat Darius, in servitutem abstraxerunt.

CII. Subacta Eretria, Persae, paucorum dierum interposita mora, in Atticam navigarunt, magnas in angustias adducentes Athenienses, cogitantesque eodem modo cum illis agere atque cum Eretriensibus egissent. (2) Quumque Marathon esset totius Atticae maxime opportunus equitibus locus, et proximus ab Eretria, in hunc campum illos deduxit Hippias, Pisistrati filius.

CIII. Qua re cognita, Athenienses etiam ipsi Marathona obviam hostibus egressi sunt. Duxerunt autem illos decem imperatores; quorum decimus Miltiades erat, is cujus patri Cimoni, Stesagorae filio, acciderat, ut a Pisistrato, Hippocratis filio, Athenis in exsilium pelleretur. (2) Eidemque contigerat, ut exsul victoriam Olympiae reportaret quadrigarum curriculo; quem eumdem honorem jam ante eum frater ipsius uterinus Miltiades erat consecutus. Deinde vero, sequenti Olympiade, quum eisdem equabus idem Cimon vicisset, Pisistrato concessit, ut is victor renunciaretur; et ob victoriam huic concessam, ex pactione cum illo inita, in patriam est restitutus. (3) Postremo idem, quum eisdem equabus aliam rursus victoriam reportasset Olympicam, obiit interfectus a filiis Pisistrati, ipso Pisistrato non amplius in vivis agente: interfecerunt illum enim hi prope prytaneum, noctu hominibus quibusdam ad hoc subornatis. (4) Sepultus est autem Cimon ante urbem, ultra viam quae Per Cavum vocatur, et ex adverso sepultae sunt equae illae ejusdem, quae tres Olympicas retulerunt victorias. Praestiterunt quidem idem hoc aliae etiam equae, Euagorae Lacedaemonis; sed, praeter has, nullae. (5) Filiorum igitur Cimonis natu major, Stesagoras, per id tempus apud patruum Miltiadem in Chersoneso educabatur; natu minor autem apud Cimonem Athenis erat, cui nomen fuit Miltiades, de patrui Miltiadis nomine, conditoris Chersonesi.

CIV. Hic igitur tunc Miltiades, quum nuper e Chersoneso advenisset, duplicemque effugisset mortem, imperator fuit Atheniensium. Simul enim et Phoenices, usque ad Imbrum illum persecuti, studiose operam dederant, ut caperent eum et ad regem abducerent: (2) et, postquam hos effugit, domumque rediit, et jam securum se esse posse existimavit, protinus

eumdem exceperant adversarii, et in judicium vocatum, reum egerant tyrannidis in Chersoneso exercitae. Ab hoc quoque liberatus periculo, ita demum imperator creatus est Atheniensium, populi suffragiis electus.

CV. Ac primum quidem, quum adhuc in urbe essent imperatores, Spartam miserunt praeconem Phidippidem, civem quidem Atheniensem, caeterum hemerodromum (cursorem ingens uno die spatium emetientem), et hoc negotium exercentem. Cui, ut quidem ipse deinde narravit Phidippides, Atheniensibusque renunciavit, circa Parthenium montem, qui supra Tegeam est, deus Pan obviam est factus; (2) compellatoque nominatim Phidippide, jussit eum renunciare Atheniensibus, nullam illos sui curam gerere, quum tamen bene cupiat Atheniensibus, ac jam saepe de illis bene meritus fuerit, et posthac etiam bene sit meriturus. (3) Haec Athenienses vere ita accidisse persuasi, deinde, quum jam res eorum recte fuissent compositae, templum Pani infra arcem statuerunt, eumque inde ab illo nuncio annuis sacrificiis et lampade (cursu faces accensas gestantium) placant.

CVI. Tunc vero missus ab imperatoribus Phidippides hic, quo tempore is Panem sibi adparuisse narravit, postridie ejus diei quo Athenis erat profectus, Spartam pervenit; ubi adiens magistratus, haec apud eos verba fecit: (2) Lacedaemonii, petunt a vobis Athenienses, ut auxilio illis veniatis; neque patiamini ut antiquissima inter Graecos civitas in servitutem abripiatur a barbaris. Nam et Eretria nunc sub jugum est missa, et insigni civitate imminuta est Graecia. (3) Haec ubi illis ex mandato dixit, placuit quidem Spartanis auxilia mittere Atheniensibus; sed id confestim facere non potuerunt, quum nollent contra legem agere. Erat enim nonus dies mensis: nono autem die, quando non plena esset luna, se non egressuros, aiebant. Plenilunium igitur hi exspectabant.

CVII. Hippias autem, Pisistrati filius, barbaris viam in campum Marathona praeivit. Cui superiori nocte per somnum tale visum erat oblatum: visus sibi erat sua cum matre concumbere. quo ex insomnio collegerat, Athenas se esse rediturum, et in patria recepto regno senem vita excessurum. (2) In hunc modum Hippias somnium suum erat interpretatus. Tunc vero, ducis officio fungens, partim Eretriensia mancipia in Styreorum insula, cui aegilea nomen, deposuit; partim naves, quae ad Marathona adpulerant, in statione locavit, et barbaros in terram egressos ordinavit. (3) Quae dum administrat, accidit ei ut vehementius, quam solitus erat, et sternutaret et tussiret. Quumque eidem, quippe aetate jam provectiori, plures labarent dentes, (4) horum dentium unum, dum tussit, propter violentiam ejecit. Qui quum in arenam cecidisset, magnum adhibuit studium ut eum reperiret: postquam vero nusquam dens comparuit, edito gemitu ait adstantibus: «Terra haec non est nostra, neque eam poterimus in nostram redigere potestatem: nam, quidquid ejus ad me pertinebat, id dens meus obtinet.» Nempe in hoc Hippias exiisse, visionem suam existimavit.

CVIII. Atheniensibus, quum in campo Herculi sacro locum cepissent, praesidio advenere Plataeenses frequenti manu ex universo populo collecta. Tradiderant enim sese Atheniensibus Plataeenses, et frequentes pro illis Athenienses jam antes labores sustinuerant. (2) Tradiderant se autem hoc modo: bello a Thebanis pressi Plataeenses primum Cleomeni, Anaxandridae filio, et Lacedaemoniis se tradiderant, qui forte in illis locis aderant; at illi, non recipientes eos, dixere:

«Nos nimis procul a vobis habitamus, et frigidum vobis tale auxilium foret: plus semel enim fieri posset, ut in servitutem prius abstraheremini, quam nostrûm quisquam fando audiret. (3) Quare suademus vobis, ut Atheniensibus vos tradatis, qui et finitimi vobis sunt, et ad tutandum non invalidi.» Haec Plataeensibus suaserunt Lacedaemonii, non tam quod illis bene vellent, quam quod cuperent laboribus fatigari Athenienses, bellis cum Boeotis gerendis. (4) Consilium autem Lacedaemoniorum sequentes Plataeenses, quo tempore duodecim diis sacra faciebant Athenienses, supplices ad aram consederunt, seque illis tradiderunt. (5) Quo cognito, Thebani arma intulerunt Plataeensibus; et Athenienses auxilio illis venere. Sed quum in eo essent ut consererent pugnam, id fieri non passi sunt Corinthii: hi enim, quum forte adessent, arbitrio eorum rem permittentibus utrisque, pacem conciliarunt, fines regionis ita constituentes, ut Thebani eos ex Boeotis, qui Boeotorum communi nollent attribui, nihil impedirent. (6) Hoc constituto, Corinthii abierunt. Athenienses vero, domum redeuntes, ex improviso adgressi sunt Boeoti: sed commissa pugna superati sunt. Quo facto Athenienses, fines Plataeensibus a Corinthiis constitutos transgredientes, ipsum Asopum et Hysias fines inter Thebanos et Plataeenses statuerunt. (7) Plataeenses igitur, postquam praedicto modo Atheniensibus sese tradidissent, nunc eis ad Marathonem auxilio venerunt.

CIX. Imperatorum autem Atheniensium bifariam divisae erant sententiae; nolentibus aliis, ut praelio confligeretur; nimis enim exiguum esse ipsorum numerum, quam ut cum Medorum exercitu congrederentur; aliis vero, et in his Miltiade, confligendum censentibus. (2) Ita quum dissentirent, quumque in eo esset ut pejor vinceret sententia; tunc undecimus supererat qui suffragium ferret, is qui faba polemarchus electus erat Atheniensium: antiquitus enim polemarcho aequale cum imperatoribus jus suffragii ferendi tribuerant Athenienses. Erat autem tunc polemarchus Callimachus Aphidnaeus; (3) quem conveniens Miltiades his verbis est adlocutus: «In te nunc situm est, Callimache, utrum in servitutem redigere velis Athenas, an, liberata patria, memoria tui in omne aevum relinquere, qualem ne Harmodius quidem et Aristogiton reliquerunt. (4) Numquam enim, ex quo exstiterunt Athenienses, in tantum adducti sunt periculum, in quanto nunc versantur. In quo si Medis succumbunt, decretum est quid eis sit patiendum, Hippiae deditis; sin superior discesserit haec civitas, probabile est primam eam futuram esse Graecarum civitatum. (5) Quo pacto igitur fieri hoc possit, et quo pacto a te pendeat harum rerum summa, nunc tibi dicam. Sententiae imperatorum, qui decem sumus numero, in duas divisae sunt partes; aliis confligendum censentibus, aliis non confligendum. (6) Jam, si praelium non commiserimus, persuasum fere habeo magna exstitura dissidia, quae animos disturbent Atheniensium, eosque ad Medorum trahant partes. Sin praelium commiserimus priusquam putre consilium animos subeat nonnullorum Atheniensium, probabile fit mihi, ut, diis aequa tribuentibus, superiores discedamus. (7) Haec igitur omnia ad te nunc spectant et ex te pendent. Etenim si tu meae accesseris sententiae, habebis liberam patriam et civitatem primam universae Graeciae; sin his suffragatus fueris, qui dissuadent praelium, erit tibi contrarium eorum, quae memoravi, commodorum.»

CX. His dictis Miltiades in suam sententiam Callimachum traxit: et accedente polemarchi suffragio decretum est, ut praelio confligeretur. Post haec, qui ex imperatoribus confligendum censuerant, hi, ut cujusque dies aderat, quo penes eum summa esset imperii, ita vicem suam Miltiadi tradiderunt. At ille quamvis acciperet, non tamen prius commisit praelium quam legitimus ipsius dies adesset.

CXI. Quo die igitur Miltiadis vices erant administrandae imperii summae, in aciem educti sunt Athenienses, tali modo instructi. Dextro cornu praeerat polemarchus Callimachus: obtinebat tunc enim lex apud Athenienses, ut polemarchus dextrum cornu teneret. Ab hoc igitur principio deinde collocatae erant continuo tenore singulae tribus Atheniensium, pro cujusque numero: (2) postremi vero, in laevo cornu, Plataeenses stabant. Inde enim ab hac pugna usu receptum est, ut, quando solennia sacra peragunt Athenienses, quae quinto quoque anno celebrantur, praeco Atheniensis solennes preces ita praeeat, ut fausta omnia precetur Atheniensibus simul et Plataeensibus. (3) Tunc vero, quum acies Atheniensium ad Marathonem sic esset instructa ut frons fronti exercitus Medici exaequaretur, accidit, ut in medio ordines haud sane frequentes starent, et ea parte debilior esset acies; sed ut utrumque cornu densioribus ordinibus esset firmatum.

CXII. Acie ita ordinata, quum caesae hostiae prospera omnia nunciassent, ibi tunc Athenienses, ut signum datum est pugnae, cursu in hostes contenderunt. Erat autem inter duas acies interjectum intervallum haud minus quam octo stadiorum. (2) Tum vero Persae, ubi cursu adversus se irruentes hostes viderunt, ad excipiendos illos se compararunt; furere dicentes Athenienses, et in propriam ruere perniciem; qui ita cursu contenderunt, quum numero essent pauci, neque vel equitatum vel sagittarios haberent. De his igitur ita judicabant Persae. At Athenienses, postquam confertis ordinibus ad manus venissent hostium, pugnam ediderunt memoratu dignam. (3) Quippe primi omnium Graecorum, quos novimus, cursu in hostes impetum fecerunt: et primi sustinuerunt, Medicam vestem et ea indutos adspicere viros; quum ante illum diem vel nomen Medorum Graecis, ubi audirent, terrorem incussisset.

CXIII. Satis autem longi temporis haec ad Marathonem pugna fuit. Et in medio quidem aciei vicerunt barbari, ubi Persae ipsi et Sacae locati erant; qui hac parte victores, perrupta acie, versus mediterranea persecuti sunt fugientes. At in utroque cornu penes Athenienses et Plataeenses victoria stetit. (2) Et hi quidem, postquam vicerunt, omissis hisce ex barbaris quos in fugam verterant, utrumque cornu contrahentes, illos sunt adgressi qui mediam perruperant aciem: et de his quoque victoriam Athenienses reportarunt. Tunc vero in fugam effusos Persas caedentes persecuti sunt; donec ad mare delati, ignem poposcerunt, ipsasque naves sunt adorti.

CXIV. In hoc discrimine et alii multi perierunt nobiles Athenienses; et Callimachus polemarchus, postquam fortiter pugnarat, interfectus est; unus item ex imperatoribus Stesilaus Thrasylai filius. Ibidemque Cynegirus, Euphorionis filius, quum aplustria navis barbarorum manu tenuisset, securi amputata manu cecidit.

CXV. Caeterum septem navibus ista ratione potiti sunt Athenienses. Reliquis autem navibus barbari, valide pulsatis remis in altum revecti, adsumptis ex insula mancipiis Eretriensibus, in qua relicta erant; Sunium circumnavigarunt, ad urbem prius pervenire studentes quam rediissent Athenienses. (2) Et pervulgata est apud Athenienses fama, cepisse illos hoc consilium ex Alcmeonidarum artificio; hos enim ex composito clypeum Persis, quum jam in navibus essent, sustulisse.

CXVI. At, dum Sunium Persae circumnavigant, Athenienses, quantum pedibus valuere, in urbem retro currentes, prius adfuere quam Persae venirent: et, quemadmodum ad Marathonem in agro Herculi sacro castra habuerant, sic et nunc in alio Heracleo, quod in Cynosarge est, locum castris ceperunt. (2) Barbari vero, postquam naves ante Phalerum, qui portus tunc erat Atheniensium, in alto aliquamdiu tenuissent, retro in Asiam navigarunt.

CXVII. Ex Persis ceciderunt in hac Marathonia pugna circiter sex millia et quadringenti; Atheniensium vero centum nonaginta duo. (2) Hic fuit occisorum utrimque numerus. Acciderat autem ibi res mira hujusmodi: Epizelus, civis Atheniensis, Cuphagorae filius, stans in acie, fortiterque pugnans, oculorum usu privatus est, nulla corporis parte nec cominus percussus, nec eminus ictus: et ab hoc tempore per reliquam vitam caecus permansit. (3) Memorant autem, ipsum de hac calamitate haec narrasse: visum esse ei virum armatum magnum contra ipsum stare, cujus barbam totum texisse clypeum; illud autem spectrum praeteriisse ipsum, et virum sibi proximum stantem interfecisse. Haec Epizelum solitum esse narrare audivi.

CXVIII. Datis, cum exercitu in Asiam profectus, postquam Myconum pervenit, per somnum vidit visionem; quae quidem qualis fuerit non memoratur: sed ille, simul atque illuxit, perquisitionem instituit navium. Et quum in Phoenicia navi simulacrum invenisset Apollinis inauratum, percontatus est unde raptum esset: utque audivit quonam ex templo esset, ipse sua navi Delum est profectus, (2) et ibi (jam enim in insulam reversi erant Delii) simulacrum in templo deposuit, Deliisque imperavit ut in Delium Thebanorum, quod est ad mare adversus Chalcidem, illud transportarent. (3) Datis quidem, dato hoc mandato, retro navigavit: at statuam Delii non transmiserunt; sed post viginti demum annos ipsi Thebani, oraculi jussu, Delium illam deportarunt.

CXIX. Eretrienses vero in servitutem abreptos Datis et Artaphernes, postquam in Asiam adpulerant, Susa abduxerunt. (2) Rex autem Darius, quum Eretriensibus, priusquam capti essent, vehementer fuisset iratus, quippe qui primi auctores fuerant injuriarum; nunc eosdem, ubi ad se abductos et sua in potestate vidit, nullo alio malo adfecit, sed sedes illis in terra Cissia adsignavit, in una suarum mansionum quae Ardericca vocatur. Abest illa decem et ducenta stadia a Susis, quadraginta vero stadia a puteo, qui tres diversas rerum exhibet species. Nam et asphaltus et sal et oleum ex illo hauritur, hoc modo: (3) hauriunt ope tollenonis, cui pro situla adligatus est dimidiatus uter: hunc succutiens haurit homo id quod intus est, idque in cisternam infundit; ex qua rursus in aliud receptaculum derivatur haec materia; atque ita triplicem in formam convertitur. (4) Et asphaltus quidem et sal protinus concrescunt; oleum vero, quod rhadinacen Persae vocant, in vasa colligunt: est autem illud nigrum, et gravem spirans odorem. Illum igitur locum Eretriensibus habitandum rex tribuit: habitantque eamdem regionem ad meam usque aetatem, pristinam linguam servantes. Haec sunt igitur quae ad Eretrienses spectant.

CXX. Lacedaemoniorum vero duo millia Athenas venerunt post plenilunium: et hi quidem, rem adhuc integram deprehensuri, tanta usi sunt celeritate, ut tertio die, quam Sparta discesserant,

in Attica fuerint. Sed, quum peracto jam praelio advenissent, cupidi tamen erant Medos videndi. Itaque, Marathonem profecti, spectarunt: deinde, collaudatis Atheniensibus et re ab his praeclare gesta, domum redierunt.

CXXI. Quod vero de Alcmeonidis narrant, id miror equidem; nec mihi persuaderi patior, umquam illos Persis ex composito clypeum sublaturos fuisse, quasi voluissent ut sub barbaris et sub Hippia essent Athenienses. Quippe satis constat, fuisse illos magis aut certe pariter inimicos tyrannorum atque Callias fuerat, Phaenippi filius, Hipponici pater. (2) Callias enim, quoties Pisistratus Athenis pulsus est, unus omnium Atheniensium ausus erat bona ejus per publicum praeconem venumdata emere, omniaque alia in illum inimicissima machinatus erat.

CXXII. [Dignus est autem hic Callias, cujus crebro a quibuslibet honorifica mentio fiat; quum ob hoc ipsum, quod dixi, tamquam vir acerrime libertati studens patriae; tum ob id quod Olympiae fecit, ubi equorum cursu victor, quadrigarum autem curriculo secundas ferens, reportata etiam prius Pythica victoria, conspicuus fuit apud omnes Graecos per sumptus maximos; denique ob singularem indulgentiam qua adversus tres filias suas usus est: quibus, postquam nubiles fuerunt, non modo dotem dedit magnificentissimam; sed et hoc eisdem gratificatus est, ut unicuique ex illis potestatem daret, maritum sibi, quem ipsa vellet, ex omnibus Atheniensibus seligendi.]

CXXIII. Atque eodem modo, certe haud minus, tyrannos oderunt Alcmeonidae. Quare miror, nec admitto calumniam, hos tales viros clypeum sustulisse; qui constanter fugerant tyrannos, et quorum consilio et opera tyrannide exuti erant Pisistratidae. (2) Fuereque adeo hi, me judice, multo magis liberatores Athenarum, quam Harmodius et Aristogiton: illi enim occiso Hipparcho exacerbarunt reliquos ex Pisistratidis, neque finem fecerunt illorum tyrannidi; Alcmeonidae vero manifesto liberarunt Athenas, si quidem vere hi fuerunt qui Pythiae persuasere, ut Lacedaemonios juberet liberare Athenas, quemadmodum a me supra expositum est.

CXXIV. At fortasse, quod succenserent quadam de caussa populo Atheniensium, eo prodiderint patriam? Atqui nulli erant viri Athenis magis spectati, magisque honorati, quam hi ipsi. (2) Itaque nulla ratione probabile est, sublatum esse ab his quidem viris clypeum tali de caussa. Caeterum sublatus utique clypeus est: id quidem negari non potest; factum est enim: quis vero sit qui illum sustulerit, non valeo ulterius, quam dixi, declarare.

CXXV. Fuit autem Athenis jam antiquitus illustris Alcmeonidarum familia: nam inde ab Alcmeone ipso, et dein a Megacle, exstitere in hac domo nobilissimi viri. Statim, Alcmeon, Megaclis filius, adjutor fuerat Lydorum qui a Croeso Sardibus ad consulendum oraculum Delphicum missi sunt, studioseque illis operam navaverat suam. Cujus in se merita postquam Croesus ex Lydis Delphos missis cognoverat, Sardes eum ad se invitavit; et, postquam advenit, tanto auri pondere eumdem donavit, quantum suo corpore asportare semel posset. (2) Tunc Alcmeon ad accipiendum hoc tale donum in hunc modum comparatus accessit. Grandi inductus tunica, in qua amplus erat sinus relictus, et cothurnis quos repererat amplissimis calceatus, in thesaurum intravit, in quem ducebatur. (3) Ibi quum in acervum ramentorum auri incidisset, primum circa

crura, quantum auri capiebant cothurni, infersit, deinde repleto toto sinu, et coma ramentis conspersa, denique aliis in os sumptis, thesauro egressus est, aegre trahens cothurnos, et cuivis alii quam homini similior; cujus et obturatum os, et omnia turgida erant. (4) Quem ita conspiciens Croesus, risum non tenuit; donavit autem non his modo, sed alia etiam adjecit, his non inferiora. Ita magnis divitiis aucta haec domus est: idemque Alcmeon, equos alens quadrigis jungendos, Olympicam retulit victoriam.

CXXVI. Deinde vero, proxime sequente aetate, eamdem familiam Clisthenes, Sicyonis tyrannus, ita extulit, ut multo etiam splendidior inter Graecos evaderet, quam antea fuerat. (2) Clisthenes ille, Aristonymi filius, Myronis nepos, Andreae pronepos, quum esset ei filia, nomine Agariste, in matrimonium hanc dare decreverat juveni quem reperisset Graecorum omnium praestantissimum. (3) Quumque essent ludi Olympici, in quibus curriculo quadrigarum vicit Clisthenes, nunciari per praeconem jussit, ut quisquis Graecorum dignum sese judicaret qui gener fieret Clisthenis, is ad sexagesimum diem, aut etiam ante id tempus, Sicyone adesset: exacto enim anno, inde ab illo sexagesimo die, ratas filiae nuptias habiturum Clisthenem. (4) Tunc igitur convenere proci, quotquot e Graecis et sua ipsorum et patriae praestantia superbiebant: hisque Clisthenes et curriculum et palaestram, quibus inter se certarent, parata habebat.

CXXVII. Ex Italia advenit Smindyrides, Hippocratis filius, Sybarita, homo unus omnium luxuriosissimus: (florebat autem tunc maxime Sybaris:) item Damasus Sirites, Amyridis illius filius, qui Sapiens nominabatur. (2) Hi ex Italia advenerunt. Ex sinu vero Ionio Amphimnestus, Epistrophi filius, Epidamnius. Hic igitur ex sinu Ionio. (3) Sed ex aetolia advenit Males, frater Titormi illius, qui, quum corporis robore Graecos omnes superaret, hominum fugiens commercium in extrema aetolicae terrae se recepit. (4) Ex Peloponneso Leocedes, Phidonis filius, Argivorum tyranni, Phidonis illius, qui mensuras Peloponnesiis constituit, et longe Graecorum omnium insolentissimus, sedibus suis pepulit agonothetas Eleorum, ipseque arbitri munus in Olympico certamine sibi adrogavit. (5) Praeter hujus igitur filium, adfuerunt item ex Peloponneso Amiantus, Lycurgi filius, Arcas ex Trapezunte, Laphanes ex Paeo, Azaniae (in Arcadia) oppido, filius Euphorionis illius, qui, ut in Arcadia fama est, Dioscuros hospitio exceperat, et ab illo tempore cunctis peregre venientibus hospitium praebuit: denique Eleus Onomastus, Agaei filius. (6) Isti igitur ex Peloponneso adfuere. Athenis vero venere, Megacles, Alcmeonis hujus filius, qui apud Croesum fuerat, et alius, Hippoclides, Tisandri filius, divitiis et corporis forma excellens inter Athenienses. (7) Ex Eretria, quae per id tempus florebat, Lysanias; hic unus ex Euboea. E Thessalia adfuit Diactorides Crannonius, de Scopadarum familia; e Molossis vero, Alcon. Tot numero proci fuere.

CXXVIII. Qui postquam ad praedictum diem Sicyone convenerant, Clisthenes primum patrias eorum sciscitatus est, et genus cujusque: deinde, per anni spatium eos retinens, pertentavit eorumdem fortitudinem, et animi indolem, et culturam ingenii, et mores; modo cum singulis congrediens, modo cum universis; (2) et, qui ex illis juniores erant, hos in gymnasia ducens: maxime vero inter epulas eos pertentabat. Per totum enim tempus, quo illos apud se detinuit, ista omnia faciebat, simulque magnificis epulis eos excipiebat. (3) Placuere ei autem fere prae caeteris hi qui Athenis advenerant; et ex his magis ei probabatur Hippoclides, Tisandri filius, quum ob fortitudinem, tum quod generis propinquitate Cypselidas Corinthios attingebat.

CXXIX. Ubi statutus adfuit dies, quo celebrarentur nuptiae, declararetque Clisthenes quem prae caeteris probaret; tum ille, mactatis centum bobus, et ipsos procos et cunctos Sicyonios lautis excepit epulis. (2) Peracta coena, proci et canendo et sermonibus in medio propositis inter se contendebant. Procedente vero compotatione, Hippoclides, destinens maxime caeteros, tibicinem jussit cantum canere ad saltationem adcommodatum; eoque obsequente saltare instituit. (3) Et saltabat quidem placens sibi: sed spectanti Clistheni tota res displicebat. Deinde, brevi interposita mora, mensam sibi inferri Hippoclides jussit: quae ubi illata est, conscensa mensa primum Laconicos saltavit modulos; deinde alios Atticos; postremo, caput in mensam innixus, cruribus gesticulabatur. (4) Et Clisthenes, quum ad primam et secundam saltationem, abominatus quidem generum sibi adsciscere Hippoclidem ob saltationem et protervam intemperantiam, tamen continuisset sese nec erumpere in eum voluisset; nunc, ubi cruribus gesticulantem vidit, se ultra continere non sustinens, ait: «O fili Tisandri, saltando nuptias tu quidem perdidisti.» (5) At ille respondens, «Nil curat, inquit, Hippoclides.» Et hinc ortum cepit hoc proverbium.

CXXX. Tum vero Clisthenes, imperato silentio, haec in medio omnium verba fecit: «Viri, filiae proci meae, ego cunctos vos laudo; et omnibus, si fieri posset, gratificarem; neque e vobis unum prae caeteris seligerem, neque posthaberem reliquos. (2) At, quoniam fieri non potest, ut, quum de una virgine deliberem, omnium votis simul satisfaciam; eis e vestro numero, qui his nuptiis excidunt, talentum argenti dono do unicuique, quod et dignati estis filiam meam in matrimonium petere, et domibus vestris peregre abfuistis: Megacli vero, Alcmeonis filio, meam filiam Agaristen despondeo ex Atheniensium legibus.» Quumque Megacles dixisset, accipere se conditionem, ratum matrimonium Clisthenes habuit.

CXXXI. Ita, quod ad judicium procorum spectat, gesta res est; atque ita factum est, ut Alcmeonidae per universam Graeciam celebrarentur. Ex isto autem matrimonio natus Megacli est Clisthenes ille, qui decem tribus et democratiam Atheniensibus constituit; cui nomen impositum erat de avi materni nomine Sicyonii: (2) praeterque hunc ex eodem matrimonio procreatus est Hippocrates. Hippocrati vero natus est alius Megacles et alia Agariste, quae a Clisthenis Agariste nomen invenit. Haec est Agariste, quae, postquam Xanthippo nupsit, Ariphronis filio, et gravida facta est, per somnum sibi visa erat leonem peperisse, ac paucis interjectis diebus Periclem Xanthippo peperit.

CXXXII. Post cladem Persis ad Marathonem illatam Miltiades, quum jam ante magna in existimatione fuisset apud Athenienses, majore etiam fuit auctoritate. Itaque, quum petiisset ab illis septuaginta naves et exercitum atque pecuniam, celans quidem terram contra quam ducturus esset, sed, dilaturum se eos, dicens, si ipsum sequerentur; in ejusmodi enim terram se eos ducturum, unde affatim auri deportaturi essent; haec quum ille dicens naves petiisset, Athenienses spe erecti instructas ei naves dederunt.

CXXXIII. Et Miltiades, accepto exercitu, Parum navigavit, caussam praetexens quod Parii Persam ad Marathonem navi triremi essent secuti, adeoque priores arma intulissent Atheniensibus. (2)

Hoc quidem colore utebatur orationis; caeterum infensus etiam Pariis erat propter Lysagoram Tisiae filum, genere Parium, qui eum apud Hydarnen Persam accusaverat. Postquam ad insulam, quam petierat, cum exercitu pervenit Miltiades, oppugnavit Parios, intra murum compulsos: missoque in urbem praecone centum postulavit talenta, dicens, nisi ea sibi darent, non se abducturum exercitum, quin vi cepisset urbem. (3) At Parii, de danda Miltiadi pecunia minime cogitantes, omnibus modis operam dabant ut urbem defenderent: quem in finem quum alia excogitabant, tum, ut quaeque pars muri expugnatu facilior videbatur, ita eam ingruente nocte duplo altiorem, quam prius erat, excitabant.

CXXXIV. Hactenus quidem Graeci omnes in commemoranda hac re consentiunt; deinde vero sic peractam rem esse Parii narrant: Miltiadi, de incepti exitu dubitanti, in colloquium venisse mulierem captivam, genere Pariam, cui Timo nomen fuisse: fuisse vero ministram templi Inferarum Dearum. (2) Hanc, postquam in conspectum venisset Miltiadis, consilium ei dedisse, ut, si utique magni faceret capere Parum, exsequeretur quae ipsa illi esset indicatura. Deinde, auditis mulieris hujus praeceptis, Miltiadem in tumulum, qui ante urbem est, se contulisse, et maceriem transiliisse templo Cereris Legiferae circumductam, quum fores aperire non potuisset: tum, transcensa hac macerie, ad ipsam aedem deae accessisse, nescio quid intus facturum, sive quod movere aliquid voluisset quod movere nefas esset, sive aliud quidpiam facturum, quidquid tandem id fuerit. (3) Quum vero jam ad fores esset, subito horrore correptum, per eamdem viam, qua venisset, rediisse; et desilientem de macerie luxasse femur, sive, ut alii aiunt, genu impegisse.

CXXXV. Itaque male se habens Miltiades retro navigavit, neque opes adferens Atheniensibus, nec subacta Paro; sed nulla alia re gesta, nisi quod per sex et viginti dies urbem oppugnasset, insulamque devastasset. (2) Parii, obsidione liberati, intelligentes Dearum ministram Timo Miltiadi quid faciendum esset indicasse, quum poenam ab illa hujus rei caussa sumere vellent, legatos miserunt Delphos, (3) qui oraculum consulerent, an ultimo supplicio adficerent Dearum ministram, quae hostibus viam capiendae patriae indicasset, et sacra, quae ad virilem sexum efferri nefas esset, Miltiadi aperuisset. (4) At negavit Pythia, dicens, non Timo ipsam hujus rei esse caussam; sed, quum in fatis esset ut vitam male finiret Miltiades, hanc ei a diis missam esse ducem malorum. Haec quidem Pythia Pariis respondit.

CXXXVI. Miltiadem autem, Paro reversum, quum alii omnes Athenienses in ore habebant, tum prae caeteris Xanthippus, Ariphronis filius; qui eum capitis reum egit apud populum, ut qui Athenienses dolo malo circumvenisset. (2) Quam ad accusationem Miltiades ipse, praesens licet, non respondit: nec enim poterat, femore jam in putredinem abeunte. Sed, dum ille lectulo impositus in medio jacebat, caussam pro eo dixere amici, pugnae Marathoniae multam mentionem facientes, et Lemni ab illo captae, poenaeque de Pelasgis sumptae, et insulae Atheniensibus traditae. (3) Favente autem illi populo hactenus, ut capitis crimine eum absolveret, sed tamen propter damnum civitati illatum quinquaginta multaret talentis, Miltiades quidem haud multo post, carie exeso putrefactoque femore, vitam finivit; quinquaginta autem illa talenta filius ejus Cimon persolvit.

CXXXVII. Lemno autem Miltiades, Cimonis filius, hoc modo potitus erat. Postquam Pelasgi ex Attica ab Atheniensibus erant ejecti, sive jure, sive injuria;—nam de hoc quidem nihil aliud dicere possum, nisi quae ab aliis memorantur: scilicet, quod Hecataeus Hegesandri filius, hac de re in Historiis suis loquens, dicat, injuria id esse factum: (2) postquam enim Athenienses regionem illam, quam sub Hymetto sitam Pelasgis, pro mercede muri olim arci Athenarum circumducti, dederant habitandam, hanc regionem, ait, postquam bene cultam vidissent Athenienses, quum antea misera fuisset et nullius pretii, invidia fuisse captos et desiderio hujus terrae; atque ita Athenienses, nullam aliam juris speciem prae se ferentes, illos ejecisse. (3) Ipsi autem Athenienses contendunt, jure a se ejectos Pelasgos esse: postquam enim adsignatae illis sub Hymetto sedes fuissent: inde eosdem facto impetu injuriam ipsis hanc solitos esse inferre: (4) quum filiae Atheniensium aquae hauriendae caussa ad fontem, cui Enneacrunos nomen, egredi consuessent; quandoquidem per id tempus nec Atheniensibus nec aliis Graecis servi fuissent; Pelasgos, quoties Atticae puellae ad fontem venissent, per contumeliam contemptumque vim eis intulisse; (5) et ne hoc quidem habuisse satis, sed postremo etiam ipso facto deprehensos fuisse de invadendis Athenis consilia agitantes. Sese autem tanto meliores homines, quam illos, fuisse; quod, quum interficere Pelasgos fas sibi fuisset, quippe quos insidiantes sibi deprehendissent, noluissent, id facere; tantum edixissent eis, ut terra egrederentur. Atque illos, Attica ita egressos, quum alia loca, tum vero et Lemnum occupasse. Ista igitur Hecataeus scripsit, haec vero Athenienses memorant.

CXXXVIII. Hi igitur Pelasgi, quum Lemnum incolerent, cupientes ulcisci Athenienses, et bene cognita habentes festa Atheniensium, comparatis quinquaginta remorum navibus, insidias struxere mulieribus Atticis, Braurone festum Dianae celebrantibus: earumque complures, vi raptas, Lemnum duxere, et pellicum loco habuere. (2) Quae postquam liberos pepererunt, Atticum sermonem moresque Atticos docuere pueros. Hi vero deinde nec consuescere cum pueris ex Pelasgicis mulieribus natis voluerunt, et, quoties eorum aliquis ab istis pulsabatur, omnes huic suppetias veniebant, et sibi mutuo ferebant opem: atque etiam dominari in illos hi pueri in animum induxerant, multoque alteris praevalebant. (3) Quod ubi Pelasgi intellexere, non negligendam eam rem putarunt; deliberantesque incessit metus, quidnam facturi hi pueri essent quando adulti forent, qui jam nunc constitutum habeant sibi invicem praesto esse contra legitimarum uxorum pueros, atque his velint dominari. (4) Itaque interficere decreverunt pueros ex Atticis mulieribus natos: idque etiam fecere, simulque cum his matres eorumdem occiderunt. Atque ab hoc facinore, et ab eo quod olim mulieres Lemniae patraverant, Thoantis tempore maritos suos occidentes, usu receptum per universam Graeciam est, ut nefaria facinora Lemnia adpellentur.

CXXXIX. Postquam pueros uxoresque Pelasgi interfecerant, nec terra illis fructum edebat, neque uxores et greges pepererunt ut antea. (2) Itaque et fame pressi et orbitate, Delphos miserunt, levamen aliquod precantes malorum quae ipsos premebant. Tum Pythia jussit eos satisfactionem dare Atheniensibus quamcumque illi postulassent: (3) et Athenas Pelasgi venere, nunciantes se satisfacturos esse pro omni injuria. (4) Athenienses vero, strato lecto in prytaneo, quam pulcerrime potuerant, et adposita mensa bonis rebus omnibus repleta, Pelasgos jusserunt terram suam ipsis tradere ita comparatam. (5) Quibus Pelasgi responderunt: «Tunc vobis eam trademus, quum vento borea navis e vestra terra eodem die in nostram perveniret.» Hoc dixere, putantes nulla ratione fieri id posse. Attica enim terra procul a Lemno meridiem versus sita est.

CXL. Et tunc quidem haec hactenus acta erant. Bene multis vero post annis, quum Chersonesus ad Hellespontum in ditione esset Athiensium, Miltiades Cimonis filius flantibus etesiis ventis navi ex Elaeunte Chersonesi Lemnum profectus, Pelasgis edixit, ut insula excederent; in memoriam eis revocans oraculum, quod numquam impletum iri sibi persuaserant. (2) Et Hephaestienses quidem paruerunt imperio: Myrinaei vero, Chersonesum negantes esse Atticam, oppugnabantur, donec et ipsi in deditionem venerunt. Atque ita Lemnum tenuere Athenienses et Miltiades.

HERODOTI HISTORIARUM LIBER SEPTIMUS. (POLYMNIA.)

I. Postquam pugnae nuncius ad Marathonem pugnatae ad Darium Hystaspis est perlatus, quum jam antea Atheniensibus propter incursionem adversus Sardes vehementer iratus rex fuisset, nunc id, quod acciderat, multo etiam gravius tulit, multoque magis ad bellum Graeciae inferendum incensus est. (2) Ac statim quidem, missis per singulas civitates legatis, edixit ut exercitum compararent, (multo majorem numerum cuique civitati, atque antea contulerant, imperans,) et naves et equos et frumentum et minora navigia. (3) Quibus circummissis nunciis, commota per tres annos Asia est; dum, ut ad bellum adversus Graeciam gerendum, conscribuntur fortissimi quique, et[TR1] ad id bellum se comparant. (4) Quarto vero anno aegyptii, a Cambyse subacti, defecerunt a Persis: quo facto etiam magis ad arma utrisque inferenda concitatus est.

II. Dum vero ad expeditionem adversus aegyptum et Athenas se Darius comparabat, ortum est inter filios ipsius ingens de principatu contentio. Etenim ex lege Persarum debet rex, priusquam in bellum proficiscatur, successorem nominare regni. (2) Erant autem Dario, priusquam ad regnum promoveretur, tres filii nati ex priore uxore, Gobryae filia; et, ex quo rex factus est, alii quattuor ex Atossa, Cyri filia. Priorum natu maximus erat Artabazanes; posteriorum Xerxes. (3) Hi igitur, non eadem matre nati, de principatu inter se contendebant: Artabazanes dictitans, se maximum natu esse omnium; et apud omnes populos receptum esse, ut filius natu maximus in regnum succedat patri: Xerxes vero, esse se filium Atossae, Cyri filiae: Cyrum autem adquisivisse Persis libertatem.

III. Sententiam suam Darius nondum aperuerat, quum forte per idem tempus Susa advenit Demaratus, Aristonis filius, qui postquam regno Spartanorum privatus est, voluntarium sibi ipse exsilium imposuerat. (2) Hic vir, cognito filiorum Darii dissidio, conveniens (ut quidem fama de eo fert) Xerxem, suasit ei, ut caeteris, quae ille pro sua caussa dicebat, haec adderet: natum se esse Dario jam regnanti et Persarum tenenti imperium; Artabazanem vero, privato etiam tum patri: itaque nec conveniens nec justum esse, ut alius prae ipso istam accipiat dignitatem. Nam et Spartae (et hoc illi Demaratus suggessit) hanc legem obtinere, si alii nati sint priusquam rex fuisset pater, alius autem post hos quidem, sed regnante patre, natus sit, ut hic post natus in regnum succedat. (3) Quo Demarati monito quum Xerxes uteretur, agnoscens Darius aequa illum dicere, regem illum nominavit. Videtur autem mihi Xerxes etiam absque hoc monito regnum fuisse adepturus; nam omnia apud Darium poterat Atossa.

IV. Darius, postquam regem Persarum nominaverat Xerxem, jam in eo erat ut belli faceret initium. At enim, proximo ab his rebus et ab aegypti defectione anno accidit, ut idem Darius in medio belli adparatu e vita discederet, postquam annos omnino regnasset sex et triginta: neque ei contigit aut de rebellantibus aegyptiis aut de Atheniensibus sumere poenam. Mortuo igitur Dario, regnum rediit ad Xerxem, Darii filium.

V. Xerxes ad bellum quidem Graeciae inferendium initio neutiquam inclinabat; sed contra aegyptum copias contraxit. (2) Quem conveniens Mardonius Gobryae filius, consobrinus Xerxis, Darii ex sorore nepos, qui apud ipsum plurimum omnium Persarum valebat auctoritate, talem exorsus est sermonem: «Domine, aequum non est, ut Athenienses, qui multis jam malis Persas adfecerunt, non dent poenas factorum. (3) At nunc quidem tu peragas haec, quae in manibus habes: domita vero aegypti insolentia, adversus Athenas duc exercitum; quo et bonam famam adquiras apud homines, et posthac caveat quisque tuae terrae arma inferre.» (4) Et haec quidem oratio ad exigendam poenam pertinebat; sed medio sermoni alium interserebat hujusmodi: Europam terram esse pulcerrimam, arborum omnis generis frugiferarum feracem, summae bonitatis, et dignam quae prae mortalibus omnibus a solo Rege possideatur.

VI. Haec ille dicebat, quod novarum rerum cupidus esset, et Graeciae vellet ipse esse praefectus. Procedente vero tempore id quod voluerat confecit, et Xerxi, ut rem adgrederetur, persuasit: accesserant enim alia quoque adjumenta, quae ad permovendum Xerxem valebant. (2) Partim enim e Thessalia advenerant ab Aleuadis legati, invitantes regem ut adversus Graeciam duceret, et promptissimam ei operam pollicentes. Erant autem hi Aleuadae, Thessaliae reges. Partim vero Pisistratidae, Susa profecti, non modo eisdem utebantur sermonibus quibus Aleuadae, sed praeterea aliquanto magis instabant regi eo, quod Onomacritum secum haberent Atheniensem, fatidicum virum, qui etiam Musaei vaticinia digessit. (3) Adscenderant hi autem, in gratiam cum illo reversi: nam Athenis pulsus Onomacritus fuerat ab Hipparcho, Pisistrati filio, eo quod deprehensus a Laso Hermioniensi erat, quum Musaei vaticiniis hoc insereret, exstinctum iri insulas Lemnum versus sitas, mari hauriendas. (4) Hanc ob caussam in exsilium eum miserat eum Hipparchus, quum eodem antea familiarissime usus fuisset. Nunc ille simul Susa profectus, quoties in regis venit conspectum, multa de eo honorifice praedicantibus Pisistratidis, recitabat regi partem vaticiniorum; ita quidem, ut si quod inesset quod cladem praediceret barbaro, illud silentio praeteriret; ea vero sola seligeret, quae res faustissimas nunciarent; in his illa maxime enarrans, de Hellesponto per virum Persam jungendo, et de expeditione in Graeciam suscipienda. (5) Sic igitur ille vaticiniis agebat cum rege; Pisistratidae vero et Aleuadae sententias suas exponendo.

VII. Postquam persuasus est Xerxes arma Graeciae inferre, tum vero, altero ab obitu Darii anno, primum adversus rebelles duxit exercitum. (2) Quibus domitis, aegyptum, graviorem in servitutem redactam, quam in qua sub Dario fuerat, Achaemeni tradidit administrandam, fratri suo, Darii filio. Eumdem vero Achaemenem, aegypti praefectum, interjecto tempore interfecit Inaros, vir Afer, Psammitichi filius.

VIII. Pacata aegypto, Xerxes, quum in eo esset ut exercitum moderaretur adversus Athenas ducendum, conventum convocavit primariorum Persarum, sententias illorum sciscitaturus, et in medio omnium ipse, quae vellet, expositurus. (I.) Qui ut convenere, haec apud eos verba rex fecit: «Viri Persae, non ego primus hunc apud vos morem introduco, sed utar a majoribus accepto. (2) Ut enim a majoribus natu audio, nunquam adhuc otiosi sedimus, ex quo hoc imperium a Medis in nos translatum est, postquam Astyagem Cyrus devicit; sed deus ita nos ducit, et nobis, ductum ejus sequentibus, multa prospere cedunt. (3) Jam Cyri quidem et Cambysis et patris mei Darii res gestas, et quos illi populos Persis adquisiverint, quid opus est ut apud bene gnaros commemorem? (4) Ego vero, ex quo hanc sedem accepi, in hoc meam curam intendo, ne his, qui ante me in hac dignitate fuere, sim inferior, neque minorem Persis potentiam adquiram. Atque hoc ipsum dum curo, reperio viam et gloria nos augendi, et terra non minore nec deteriore quam haec, quam possidemus, imo feraciore, simul vero etiam ultionem et poenas sumendi de his qui eas commeruerunt. (5) Itaque vos hodie convocavi, ut, quae agere constitui, vobiscum communicem. (II.) Ponte juncturus sum Hellespontum, et exercitum per Europam ducturus in Graeciam, quo ab Atheniensibus poenas repetam malorum omnium, quibus Persas et patrem meum adfecerunt. (6) Vidistis jam Darium quoque expeditionem parare adversus hos homines. At ille e vita excessit, neque ei contigit capere poenas: ego vero, illius caussa reliquorumque Persarum, non prius sum quieturus, quam Athenas subactas igne cremavero; hos homines, qui priores me patremque meum injuriis lacessiverunt; (7) primum quidem, incursione Sardes facta cum Aristagora Milesio, servo nostro, et sacris lucis templisque crematis: deinde vero, qualia sunt, quibus nos acceperunt, quum Dati et Artapherne ducibus terram illorum sumus ingressi! quae satis nosti omnes. (III.) Igitur his quidem de caussis bellum illis inferre constitui. Simul vero, rem recte mecum reputans, maxima in hoc ipso commoda reperio haec: si et hosce et eorum vicinos, qui Pelopis Phrygis terram incolunt, subegerimus; terram Persicam aetheri Jovis faciemus conterminam: (8) neque enim ullam terram sol adspiciet, quae nostrae sit finitima; sed ego vobiscum, universa peragrata Europa, ex omnibus terris unam faciam. (9) Quippe ita se rem habere audio, nullam inter homines civitatem, nullum populum inter mortales reliquum esse, qui adversus nos in aciem progredi valeat, quando hos quos dixi subegerimus. Ita et his, qui male de nobis meruerunt, et insontibus pariter, servile jugum impositum fuerit. (IV.) Vos vero, hoc si feceritis, gratum mihi feceritis: (10) quum tempus vobis indicavero, quo convenire oporteat, prompte unumquemque vestrûm adesse oportebit: quisquis vero cum exercitu advenerit optime instructo, eum ego muneribus donabo, quae apud nos honorificentissima habentur. (11) Haec igitur ita facienda sunt. Ne vero vobis videar meum unius sequi velle consilium, in medium vobis hanc rem propono; jubeoque ut, quisquis vestrûm voluerit, suam promat sententiam.»[TR2] His dictis Xerxes finem fecit loquendi.

IX. Post illum Mardonius talem sermonem est exorsus: «Domine, tu Persarum omnium praestantissimus, non solum eorum qui fuerunt, sed futurorum etiam omnium es: qui quum cetera praeclare verissimeque exposueris, tum Ionas Europam habitantes non passurus sis irridere nobis, homines ea re indignos. (2) Etenim mira atque misera res esset, si Sacas et Indos et aethiopas et Assyrios, et alios multos magnosque populos, non quod injuriam Persis intulissent, sed quod nos nostram augere voluimus potentiam, subegerimus servosque habeamus; Graecos, autem, qui injuriis nos lacessiverunt, impune abire pateremur: (3) quid tandem metuentes? quemnam multitudinis concursum? quam pecuniarum vim? (I.) Novimus sane illorum pugnae genus; novimus etiam quam imbecilles eorum sint vires: filiosque eorum subactos habemus, hos qui in nostra terra sedes habent, et Iones et aeolenses et Dorienses nominantur. (4) Atque etiam ipse ego periculum horum hominum feci, adversus illos a patre tuo

in expeditionem missus: ubi, quum usque in Macedoniam duxissem exercitum, et propemodum ad ipsas pervenissem Athenas, nemo mihi in aciem occurrit. (II.) Quamquam caeteroquin quidem consuerunt, ut audio, Graeci inconsultissime bella sua administrare, stolida pervicacia et sinistra mente. (5) Postquam enim sibi invicem bellum indixerunt, pulcerrimam et apertissimam quaerunt planitiem, in quam descendant manus conserturi: quo fit ut etiam victores magno cum detrimento discedant; de victis autem ne verbum quidem dico, nam internecione delentur. (6) Quos oportebat, quum sint homines eadem lingua utentes, per praecones et nuncios, et alia quavis ratione potius, quam praelio, lites suas componere: sin omnino praelio sibi decernendum putant, oportebat locum pugnae capere, in quo utrique superatu essent difficillimi, et ibi belli fortunam tentare. (7) Quamvis igitur tam perniciosa ratione belli gerendi utantur Graeci, tamen, quum ego usque in Macedoniam duxissem exercitum, ideo non magis induxerunt in animum ut in aciem contra me descenderent. (III.)[TR3] At tibin', o rex, ausurus est quisquam in aciem occurrere, multitudinem navesque cunctas ex universa Asia coactas ducenti? (8) Equidem ita sentio, eo audaciae non progressuram esse rem Graecorum: sin me fefellerit mea opinio, si illi vecordia elati in aciem adversus nos sint descensuri, didicerint esse nos viros bello fortissimos. (9) Quare intentatum nihil relinquamus: nam sua sponte nihil fit, sed omnia hominibus conando contingunt.» In hunc modum postquam Xerxis sententiam Mardonius mollivit, dicendi finem fecit.

X. Silentium tenentibus caeteris Persis, nec audentibus sententiam promere contrariam ei quae proposita erat, Artabanus Hystaspis filius, patruus Xerxis, eoque fidentior haec fecit verba: (I.) «Rex, nisi sententiae dictae sunt invicem oppositae, fieri non potest ut eligatur optima; sed oportet ea, quae sit prolata, uti: verum illud, contrariae si dictae fuerint, tunc demum fieri potest; quemadmodum sincerum aurum non per se ipsum dignoscimus, sed, dum illud (Lydio lapidi) juxta aliud aurum atterimus, ita id quod melius est discernimus. (2) Ego vero etiam patri tuo Dario, meo fratri, suaseram ne bellum Scythis inferret, hominibus nusquam incolentibus: at ille, sperans se nomades istos Scythas subacturum, mihi non paruit; sed, expeditione suscepta, amissis exercitus sui multis fortibus viris rediit. (3) Tu vero, rex, bellum illaturus es viris multo quum Scythae praestantioribus, qui et terra et mari fortissimi esse dicuntur. Quo in consilio quodnam insit periculum, aequum est ut ego tibi exponam. (II.) Juncto, ais, Hellesponto, ducturum te esse per Europam exercitum in Graeciam. (4) Atqui acciderit etiam, ut vel terra vel mari vincamur, aut etiam utrimque. Dicuntur enim fortes hi esse viri: ac potest id etiam hinc aestimari, quod tantas copias, quantae cum Dati et Artapherne Atticam invaserunt, soli Athenienses perdiderunt. (5) Quodsi non utrimque res illis successerit; at hoc sane, rex, verendum est, ne conscensis navibus, pugna navali superiores, navigent in Hellespontum et pontem illum dissolvant. (III.) Ego vero non mea quadam propria prudentia haec ita conjicio: sed qualis tandem fuit illa calamitas, quae parum abfuit ut nos adfligeret, quum pater tuus, juncto Bosporo Thracico, et ponte super Istrum posito, Scytharum in terram transiit! (6) Omnibus modis tunc Scythae Ionas illos, quibus commissa erat custodia pontium Istro impositorum, sollicitarunt, ut pontem rescinderent. Ubi si Histiaeus, Mileti tyrannus, reliquorum tyrannorum secutus esset sententiam, neque se illi opposuisset, omnino perditae erant res Persarum. (7) Terribile vero est vel fando audire, in unius hominis potestate sitam fuisse universam regis et Persarum salutem. (IV.) Tu igitur noli in tantum te periculum, nulla urgente necessitate, conjicere: sed me audi. (8) Nunc quidem hoc dimitte consilium: et, re diligenter tecum deliberata, deinde rursus, si tibi videtur, propone quae optima tibi videbuntur. (9) Etenim recte consultare reperio maximum esse lucrum. Nam etiam si contra id quod volueris acciderit aliquid, nihilo minus recte consultaveris, fortuna vero superaverit consilium: qui vero turpe consilium cepit, is, si fortuna ei

adfuerit, lucrum quidem invenerit, nihilo vero minus malum ceperit consilium. (V.) Vides quo pacto eminentia prae caeteris animalia fulmine percutiat deus, nec sinat ea se ostentare; minutis autem non invidet. Vides etiam ut in maxima semper aedificia et in altissimas arbores tela sua conjicit. Amat enim deus, eminentia omnia truncare. (10) Itaque etiam ingens exercitus eadem ratione perditur ab exiguo: quando deus illis metum aut fulmen incutit, indigno modo pereunt: (11) nec enim sinit deus magnum sapere, praeter se, alium quemquam. (VI.) Porro, deproperare rem quamcumque parit errores, e quibus ingentia solent damna existere: in cunctando autem insunt bona, quae si non protinus adparent, certe suo tempore aliquis reperiet. (VII.) Haec igitur, rex, tibi suadeo. Tu vero, Gobryae fili Mardonie, desine injuriosa verba jactare in Graecos, qui non merentur male audire. (12) Nam Graecos calumniando ipsum regem excitas ad bellum suscipiendum: quem in finem tu mihi etiam videris studium omne intendere. At ne ita fiat! Calumnia enim gravissimum malum est: in quo duo sunt qui injuriam inferunt, unus vero qui patitur injuriam. (13) Injuriam enim infert calumniator, dum accusat absentem: infert vero et ille injuriam, qui sibi persuaderi patitur priusquam rem adcurate compertam habeat. Qui vero abest quum malitiose accusatur, is duplici adficitur injuria; primum hoc ipso, quod injuste accusatur ab altero, deinde quod ab altero pravus esse existimatur. (VIII.) Sed, si omnino oportet bellum huic populo inferre, age, rex ipse in sedibus maneat Persarum, sed, in medio depositis nostrûm utriusque liberis, tu solus suscipe expeditonem, sumptis tecum quoscumque duces selegeris, et exercitu quantumcumque volueris. (14) Tum, si res ita, ut tu ais, regi successerit, interficiantur mei liberi, et ego cum illis! sin, ut ego praedico; tuis liberis idem hoc fiat, et tibi ipsi, si quidem redieris! (15) Quodsi hanc inire conditionem recusas, et nihilo minus exercitum duxeris adversus Graeciam, audituros esse autumno homines qui hic relicti erunt, Mardonium, ingentis calamitatis auctorem Persis, alicubi in terra Atheniensium aut Lacedaemoniorum, nisi forte prius etiam in itinere, a canibus volucribusque fuisse laceratum, postquam cognovit quinam sint illi viri, contra quos tu regi persuades ut expeditionem suscipiat.»

XI. Haec postquam Artabanus dixit, ira accensus Xerxes his verbis respondit: «Artabane, tu es patris mei frater: hoc te tuebitur, ne meritam injuriosis verbis mercedem accipias. (2) Verumtamen hanc tibi, quum sis ignavus et imbellis, ignominiam infligo, ut meae in Graeciam expeditionis non futurus sis comes, sed hic cum mulieribus maneas. Ego vero absque te, quaecumque dixi, effecta dabo. (3) Ne enim sim Dario, Hystaspi, Arsame, Ariaramne, Teispe, Cyro, Cambyse, Teispe, Achaemene prognatus, nisi poenas ab Atheniensibus sumpsero! bene gnarus, si nos quieverimus, illos non quieturos, sed nostram utique terram bello esse invasuros, si judicandum est ex his, quae ab illis coepta sunt fieri, qui exercitu in Asiam trajecto Sardes incenderunt. (4) Quare neutris retrogredi licet; sed propositum est agendi aut patiendi discrimen, ut aut haec omnia sub Graecorum cadant potestatem, aut ista omnia sub Persarum: nullum enim inter has inimicitias medium relinquitur. (5) Recte igitur factum fuerit, si jam nunc ultum eamus injurias quas priores passi sumus, ut ego periculum hoc experiar quod mihi imminet, adversus hos homines ducenti, quos quidem Pelops Phryx, servus patrum nostrorum, ita subegit, ut ad hunc usque diem et homines ipsi et eorum terra ab eodem, qui eos subegit, nomen invenerint.»

XII. Hi hucusque sermones sunt habiti. Deinde adpetente nocte momordit Xerxem Artabani sententia. Noctu vero secum ipse deliberans reperit, prorsus sibi necesse non esse adversus Graeciam expeditionem suscipere: et postquam ita mutavit sententiam, somno sopitus est. At eadem nocte talem, ut quidem Persae narrant, visionem habuit. (2) Videbatur Xerxi, adstare ipsi virum magnum et formosum, his verbis ipsum adloquentem: «Mutas tu[TR4] igitur, Persa, tuum

consilium, nec ducturus es exercitum in Graeciam, postquam edixisti Persis ut copias contrahant? Atqui nec recte facis, quod mutas sententiam; nec, qui tibi adsentiatur, quisquam est. Immo vero, quemadmodum hodie constitutum habebas facere, eadem perge via.» His ille dictis avolare visus est Xerxi.

XIII. Ut dies illuxit, rex, nulla hujus insomnii ratione habita, eosdem Persas, quos collexerat antea, convocavit, et in hunc modum eos est adlocutus: «Viri Persae, date mihi veniam, contrarium superiori consilium capienti. Nam et ego ad id prudentiae culmen, quo tendo, nondum perveni; et, qui ad istud faciendum me excitant, nullo tempore a me discedunt. (2) Atqui postquam Artabani audivi sententiam, statim quidem in me ebullivit juventus, ut insolentiora verba in virum natu grandiorem conjicerem, quod non oportebat: verumtamen nunc, agnito meo errore, utar illius sententia. (3) Scitote igitur abjecisse me belli Graeciae inferendi consilium, et quietem agite.» His[TR5] auditis, Persae laeti regem adorarunt.

XIV. Insequente vero nocte idem insomnium dormienti Xerxi iterum adstans dixit: «Tu[TR6] ergo, Darii fili, palam coram Persis abjecisti belli consilium, nulla meorum verborum ratione habita, quasi a nemine audivisses! (2) Probe nunc scito, nisi protinus expeditionem hanc susceperis, hoc tibi inde eventurum: quemadmodum magnus amplusque evasisti brevi tempore, ita humilis rursus celeriter evades.»

XV. Territus hoc viso Xerxes e lecto prosiliit, nunciumque ad Artabanum misit, qui illum advocaret. Qui ubi adfuit, haec ei Xerxes dixit: «Artabane,[TR7] ego statim quidem parum prudenter me gesseram, contumeliosa in te verba conjiciens boni consilii caussa: brevi post vero mutavi sententiam, agnovique faciendum mihi id quod tu suasisti. (2) Verumtamen hoc ipsum facere, quamvis velim, non possum: nam, postquam mutato consilio tuam probavi sententiam, iterato adparet mihi nocturnum visum, nequaquam probans ut hoc faciam; et nunc etiam minas intentans abiit. (3) Si igitur deus est qui illud mihi mittit, et si prorsus ei cordi est ut suscipiatur haec in Graeciam expeditio, idem hoc insomnium tibi etiam advolabit, eademque quae mihi praecipiet. (4) Reperio autem sic hoc futurum, si tu universum meum cultum sumpseris, eoque indutus in throno meo resederis, ac deinde meo in lecto cubueris.»

XVI. Haec postquam Xerxes locutus est, primum quidem dicto ejus non paruit Artabanus, quippe sibi non convenire judicans in throno residere regis: postremo vero, ut coactus est, imperata fecit, postquam haec regi responderat: (I.) «Pari loco, rex, sunt meo judicio haec duo, recte sapere, et bonum danti consilium obsequi velle: quorum quum utrumque tibi insit, pravorum hominum colloquia in errorem te inducunt; quemadmodum mare, rem omnium utilissimam hominibus, aiunt ab irruentibus ventorum flatibus prohiberi ne naturam exserat suam. (2) Ego vero, quando malis me verbis accepisti, non tam hoc ipsum aegre tuli, quam istud, quod, quum duae propositae essent Persis sententiae, altera injuriosam augens insolentiam, altera eamdem reprimens, dicensque perniciosam rem esse, adsuefacere animum ad plura semper, quam quae habeas, concupiscenda; quod, inquam, ex duabus hisce propositis sententiis eam suscepisti, quae et tibi et Persis periculosior est. (II.) Nunc igitur, postquam ad meliorem te convertisti, et abjecisti expeditionis adversus Graecos consilium, ais tibi adparere insomnium divinitus missum,

quod te vetet omittere hanc expeditionem. (3) At ne est quidem, mi fili, res haec divina. Insomnia enim, quae inter homines vagantur illisque accidunt, talia sunt, qualia ego te docebo, qui multis annis, quam tu, natu sum major. (4) Qualia quis interdiu curat ac meditatur, talia eum maxime circumvolitare solent visa per somnum: nos autem his proximis diebus occupatum quam maxime animum hac expeditione habuimus. (III.) Sin hoc non tale est quale ego judico, sed divinum quidquam si huic viso inest tu recte rem omnem verbo complexus dixisti: adpareat enim illud et mihi, mihique idem atque tibi praecipiat! (5) Debet autem mihi nihilo magis adparere tua veste induto, quam mea; nec magis tuo in lecto cubanti, quam in meo; si modo omnino adpariturum est etiam aliis. (6) Nec enim profecto adeo stultum erit hoc, quidquid est, quod tibi per somnum adparuit, ut, me si viderit, te esse opinetur, ex veste tua judicium faciens. (7) Sin me autem nullo loco habuerit, neque adparere voluerit mihi, sive tua indutus sim veste, sive mea, verum tibi sit nihilominus adpariturum; hoc jam nunc explorandum est: nam si constanter adparuerit, dixerim et ego, rem esse divinam. (8) Caeterum si tibi, ut ita faciam, stat decretum, neque ego te ut illud revoces commovere possum, verum si omnino me oportet tuo in lecto somnum capere: age, hoc ubi fecero, adpareat mihi quoque visum! Donec vero hoc contigerit, equidem in mea persistam sententia.»

XVII. His dictis, Artabanus, sperans se probaturum, nullius momenti esse quae Xerxes dixerat, morem illi gessit. Postquam vero vestem Xerxis indutus in solio regis consedit, ac deinde cubitum ivit, venit ad eum, ut somno sopitus est, idem insomnium quod Xerxi adparuerat; (2) et capiti ejus adstans, haec dixit: «Tu[TR8] igitur is es, qui Xerxem, veluti curam ejus gerens, hortaris, ne bellum inferat Graeciae? At nec posthac, neque nunc, impune feres, qui infecta reddere ea, quae fieri oportet, conaris. Xerxem autem quae poena maneat, dicto non audientem, ipsi declaratum est.»

XVIII. His verbis visum est Artabano insomnium illud minas ipsi intentare, simulque candentibus ferris velle ipsi exurere oculos. (2) Itaque alta exclamans voce, de lecto prosiliit; adsidensque Xerxi, postquam insomnii visum ei exposuit, haec deinde verba adjecit: «Equidem, rex, utpote qui multas atque magnas res eversas vidi ab infirmioribus, retinere te volueram, ne omnibus in rebus juvenili indulgeres aetati. Itaque gnarus quam perniciosum sit nimia concupiscere, et memor Cyri in Massagetas expeditio quem exitum habuerit, memorque expeditionis Cambysis adversus aethiopas, denique socius quum fuerim expeditionis Darii adversus Scythas; (3) haec omnia cognita habens, in hac fui sententia, beatum te praedicatum ab omnibus hominibus iri, si nihil moveres. At, quoniam divinitus immissus est hic impetus, et Graecis, ut videtur, ipso deo volente imminet exitium, ego etiam ipse muto sententiam, et in tuam transeo. (4) Tu igitur Persis significa quae tibi divinitus missa sunt; imperaque illis, ut ea exsequantur, quae tu ad parandum hoc bellum spectantia prius edixeras. Denique ita fac, ut, quoniam haec tibi Deus peragenda commisit, nihil, quod a te proficisci queat, desideretur.» (5) His dictis, simul atque dies illuxit, viso nocturno commoti, Xerxes cum Persis haec communicavit, et Artabanus, qui prius solus palam rem dissuaserat, nunc aperte eamdem urgebat.

XIX. Postquam ita constitutum erat Xerxi, ut susciperet expeditionem, tertia ei visio per somnum oblata est; quam Magi, ad se relatam, interpretati sunt ad universam spectare terram, significareque homines omnes servos illius futuros. (2) Fuit ea visio hujusmodi: visus est sibi Xerxes coronari oleae fronde, ramosque oleae ejus universam occupare terram, deinde vero

evanescere coronam capiti impositam. (3) Hoc visum quum ita, ut dixi, interpretarentur Magi; protinus Persarum, qui ad concilium convenerant, unusquisque suam in praefecturam profectus, studium omne, ut jussa exsequerentur, adhibuere, cupiens quisque proposita dona prae caeteris obtinere: atque ita Xerxes copias contraxit, ut nullus esset continentis locus, qui non perquireretur.

XX. Etenim, ex quo recepta erat aegyptus, quatuor solidi anni in comparando exercitu et rebus exercitui necessariis insumpti sunt; volvente vero quinto anno expeditionem Xerxes suscepit ingenti copiarum multitudine. (2) Fuit enim haec omnium, quas novimus, expeditionum longe maxima; adeo ut ad eam nihil fuerit aut illa quam adversus Scythas Darius, aut quam ipsi olim Scythae susceperant, quum Cimmerios persecuti, incursione in Medicam terram facta, universam propemodum superiorem Asiam a se subactam tenuerunt, quam ob caussam deinde Darius ultionem ab eis capere voluit: aut illa quam Atridae adversus Ilium dicuntur suscepisse. aut quam ante Trojana tempora Mysi atque Teucri fecerant, qui per Bosporum in Europam transgressi, Thraces omnes subegerunt, et usque ad Ionium mare descenderunt, porro usque ad Peneum fluvium meridiem versus penetrarunt.

XXI. Omnes hae expeditiones, et si quae sunt praeter has aliae similes, non sunt dignae quae cum hac una conferantur. Quis enim est Asiae populus, quem non adversus Graeciam Xerxes eduxerit? quae aqua, quae non defecerit, ab exercitu ejus epota, exceptis majoribus fluviis. (2) Alii quippe populi naves praebuere, alii in peditatum erant distributi, aliis imperatus erat equitatus, aliis navigia transvehendis equis, simulque homines militaturi; alii naves longas pontibus faciendis praebere tenebantur, alii commeatum simul et naves. (3) Ac primum quidem, quoniam, qui priores circa Athon sunt circumvecti, calamitatem acceperant, jam inde a tribus fere annis ea maxime praeparaverat quae ad Athon spectabant. Nam ad Elaeuntem, Chersonesi oppidum, in ancoris stabant triremes; unde proficiscebantur homines de exercitu ex omnibus nationibus, qui sub flagellis terram perfoderent, quorum in locum alii subinde succedebant; fodiebant autem etiam hi qui circa Athon incolebant: operique praefecti erant Bubares, Megabazi filius, et Artachaees Artaei, uterque natione Persa.

XXII. Est enim Athos mons ingens ac nobilis, in mare excurrens, et ab hominibus habitatus. Ubi mons in continentem desinit, peninsulae speciem refert, estque isthmus duodecim fere stadiorum: est autem campestris hic locus, tumulos habens non magnos, a mari Acanthiorum ad illud mare quod contra Toronen est. (2) In eodem hoc isthmo, in quem desinit Athos, oppidum est Sane, a Graecis habitatum: quae vero intra Sanen in ipso Atho incoluntur oppida, quae tunc Persa ex continentis oppidis insulana facere adgressus est, haec sunt: Dium, Olophyxus, Acrothoon, Thyssus, Cleonae: haec sunt oppida, quibus Athos frequentatur.[TR9] Fodiebant autem hoc modo.

XXIII. Totum tractum, linea recta juxta Sanen urbem ducta, secundum nationes distribuerant barbari. Tum, ubi jam profunda fuit fossa, alii in imo stantes fodiebant, alii vero effossam terram continuo aliis tradebant, qui superne scalis insistebant; et hi rursus aliis; donec ad summos pervenissent, qui eam egerebant ejiciebantque. (2) Jam caeteris quidem, praeterquam

Phoenicibus, rupta fossae praecipitia duplum laborem exhibuere: nam quum summa fossae labia pari amplitudine atque inferiora facerent, non potuit hoc non eis accidere. At Phoenices, ut in aliis operibus ingenium ostendunt, sic et in isto. (3) Nam portionem eam, quae ipsis sorte obvenerat, ita fodiebant, ut superius os fossae duplo majus facerent, quam fossam ipsam esse oportebat: progrediente vero opere, constanter arctiorem illam faciebant, ut, quum in fundo essent, parem cum aliis latitudinem fossa haberet. (4) Erat autem ibi pratum, ubi forum habebant rerum venalium: frumentique moliti copia ex Asia eis advehebatur.

XXIV. Jam, ut ego quidem hanc rem considerans reperio, magnificentiae caussa fodi hanc fossam Xerxes jussit, cupiens et potentiam suam ostentare, et monumentum relinquere sui. Nam, quum nullo labore per isthmum transduci naves potuissent, fossam quam mare perflueret fodi jussit ea latitudine, ut duae simul triremes, remis suis agitatae, transire per illam possent. Eisdem illis, quibus ducenda fossa fuerat mandata, imperatum erat etiam ut Strymonem fluvium ponte jungerent.

XXV. Haec dum ita facienda curat, simul etiam parari armamenta jungendis in Hellesponto pontibus jussit, partim ex papyro, partim ex lino albo; quam curam Phoenicibus et aegyptiis mandavit. Deinde ne fame laboraret aut exercitus aut jumenta in Graeciam ducenda, deponi commeatus jussit; (2) et commoda sciscitatus loca, ut quemque locum maxime idoneum reperit, ibi jussit deponi, dato mandato ut undique ex Asia onerariis navibus et portoriis alii alio deveherent. (3) Igitur plurimam quidem partem in Candidum Littus, quod vocatur (Leuce Acte), devexerunt; alii vero Tyrodizam Perinthiorum, alii Doriscum, alii Eionem, quae super Strymonem est, alii in Macedoniam convehere commeatus jussi.

XXVI. Hi dum opus imperatum exsequuntur, interim coactus universus pedestris exercitus una cum Xerxe iter Sardes versus ingressus est, Critallis profectus, Cappadociae oppido: eo enim edictum erat ut convenirent copiae omnes, quae per continentem cum ipso Xerxe erant iturae. (2) Jam, quis fuerit praefectorum qui optime instructum adduxerit exercitum, adeoque munera acceperit a rege proposita, edere non possum: nam ne liquet quidem mihi, an omnino in judicium ea res venerit. (3) Exercitus vero, postquam trajecto Haly fluvio Phrygiam intravit, per eam iter faciens Celaenas pervenit; ubi fontes oriuntur Maeandri, et alius fluvii non minoris Maeandro, cui nomen est Catarrhactes, qui ex ipso foro Celaenarum exortus, in Maeandrum influit: quo in foro ejusdem urbis uter suspensus est Sileni Marsyae, quem Phryges narrant ab Apolline excoriatum suspensumque fuisse.

XXVII. In hac urbe exspectans Xerxem consederat Pythius, Atyis filius, Lydus, ipsumque Xerxem et universum ejus exercitum magnificis epulis excepit, pecuniasque pollicitus est quas in bellum esset collaturus. (2) Qui ubi pecunias obtulit, quaesivit Xerxes ex praesentibus Persis, quisnam hominum esset Pythius, et quantas possideret divitias, qui ista offerret. (3) Cui illi responderunt. «Idem hic est, rex, qui patri tuo Dario auream platanum aureamque vitem dono dedit: estque post te nunc hominum, quos novimus, omnium princeps divitiis.»

XXVIII. Miratus Xerxes posterius hoc verbum, ipse deinde Pythium interrogavit, quantas possideret pecunias. Et ille, «rex, inquit, non te celabo, neque excusatione utar, nescire me meas facultates; sed bene cognitas habens, adcurate tibi dicam. (2) Nam simul atque certior sum factus ad mare Graecum te descendere, cupiens tibi ad bellum conferre pecunias, inquisivi; rationeque inita, reperi, esse mihi argenti talenta bis mille, auri vero quadringentas myriadas staterum Daricorum, minus septem millibus. (3) Atque has ego pecunias tibi do muneri: est enim mihi ex mancipiis atque agris victus sufficiens.» Haec ille dixit.

XXIX. Hisque ab illo dictis Xerxes delectatus, respondit: «Hospes Lyde, ex quo ego Persica egressus sum terra, nullum adhuc, praeter te, hominem reperi, qui vellet hospitalia officia exercitui meo exhibere; nec qui meum in conspectum veniens, sua sponte pecunias mihi ad bellum conferendas offerret. (2) Tu vero et magnifice exercitum meum excepisti, et pecunias ingentes polliceris. Tibi ergo vicissim ego dona haecce tribuo: in meorum hospitum numero te repono, et quadringentas staterum myriadas de meo tibi complebo, septem millia dono dans, ne tibi ad complendas quadringentas myriadas septem millia desint, sed solida atque integra ista tibi summa a me conficiatur. (3) Perge vero tu possidere quae adquisivisti, ac scito semper talem te virum praestare: quod ubi feceris, neque nunc, nec in posterum te poenitebit.»

XXX. His dictis, Xerxes, praestito promisso, ulterius progredi perrexit. Postquam Anaua, quod vocatur, Phrygiae oppidum, praeteriit, et lacum ex quo sal conficitur, Colossas pervenit, magnam Phrygiae urbem; in qua Lycus amnis in terrae voraginem incidens evanescit, ac deinde, postquam ex quinque ferme stadiorum intervallo iterum comparuit, in Maeandrum et ipse influit. (2) Colossis profectus exercitus, ad confinia Phrygiae Lydiaeque pervenit, ad Cydrara oppidum, ubi cippus in terram defixus, qui a Croeso positus est, inscriptis literis hos limites indicat.

XXXI. Ut ex Phrygia Lydiam intravit, ubi diverticulum est viarum, quarum altera, ad sinistram, versus Cariam fert, altera ad dextram Sardes; quam qui sequitur, eum omnino oportet Maeandrum fluvium trajicere, et Callatebum praeterire oppidum, in quo pistores dulciarii ex myrica (tamarice) et tritico mel conficiunt: hac via iter faciens Xerxes platanum reperit, quam ob speciei praestantiam aureo donavit ornatu, curamque ejus viro ex immortalibus (cohorte Persarum) lecto mandavit: postero die in primariam Lydorum urbem pervenit.

XXXII. Sardes postquam Xerxes pervenit, praecones primum dimisit per Graeciam, qui terram et aquam postularent, edicerentque ut coenas pararent regi. Athenis atque Lacedaemone exceptis, in omnes alias Graeciae partes ad terram aquamque postulandam misit: (2) quod quidem hac de caussa iterum fecit, quoniam, qui prius postulanti Dario non dederant, eos nunc, metu adactos, utique daturos existimabat: hoc vero ipsum certo cogniturus, iterum misit.

XXXIII. Deinde ad reliquum iter se comparavit, Abydum ducturus. Interim, quibus negotium datum erat ut Hellespontum ponte jungerent ex Asia in Europam pertinente, perfecerant opus. (2) Est autem Chersonesi ad Hellespontum ora in mare excurrens aspera inter Sestum urbem et

Madytum, Abydo obversa: ubi deinde, haud ita multo post, Xanthippo Ariphronis filio praetore Atheniensium, captum Artaycten Persam, Sesti praefectum, vivum paxillis tabulae adfixum suspenderunt: qui, praeter alia, in templum etiam Protesilai, quod prope Elaeuntem est, ductis mulieribus nefanda perpetrare consueverat.

XXXIV. Hanc igitur in oram ex Abydo tendentes, quibus imperatum id opus erat, duo pontes struxerunt, alterum Phoenices, rudentibus ex lino albo confectis; alterum aegyptii, ex papyro. (2) Sunt autem septem stadia ex Abydo ad oram oppositam. At juncto ponte jam incidit ingens tempestas, quae rescidit illa omnia atque dissolvit.

XXXV. Quod ubi Xerxes rescivit, gravissime ferens, trecenta verbera flagellis infligi jussit Hellesponto, et compedum par in pelagus injici: quin et memoratum audivi, simul eum misisse etiam homines, qui stigmata inurerent Hellesponto. (2) Imperavit certe, ut flagellis caedentes barbara haec et insana pronunciarent verba: «O amara aqua, dominus tibi hanc poenam infligit, quod illum injuria adfecisti, nihil mali ab ipso passa. (3) Et trajiciet te rex, sive volueris, sive nolueris. Merito autem nemo hominum tibi sacra facit, quippe turbido salsoque flumini.» Simul vero et mari has poenas jussit infligi, simulque capita amputari eorum, qui jungendo Hellesponto fuerant praefecti

XXXVI. Et haec quidem jussa exsecuti sunt quorum triste hoc fuit munus. Pontes autem deinde junxerunt alii architecti, et hoc quidem modo junxerunt: (2) colligatas actuarias quinquaginta remorum naves et triremes statuerunt, sub eo ponte qui Pontum Euxinum spectabat, numero trecentas et sexaginta, sub altero vero quattuordecim et trecentas, respectu Ponti quidem obliqua linea stantes, recta vero secundum Hellesponti cursum, ut ipse cursu intentionem sustineret rudentium. Ex navibus ita junctis praelongas demiserunt ancoras; in eo quidem ponte, qui Pontum spectabat, ventorum caussa ex interiore mari flantium; in altero vero, qui ad vesperam versus aegaeum mare erat, Euri atque Noti caussa. (3) Inter actuarias naves autem atque triremes tribus in locis fenestram transitumque reliquerunt; ut in Pontum, qui vellet, minoribus navigiis intrare posset, et ex Ponto in mare exterius navigare. (4) His factis, intenderunt rudentes, ligneis suculis ex continente eos torquentes: nec[TR10] jam seorsum duo adhibuerunt rudentum genera, sed utrique ponti binos ex lino albo, quaternos vero ex papyro rudentes tribuerunt. Crassities quidem et species utriusque generis eadem erat; sed pro ratione multo firmiores erant linei rudentes, quorum cubitus talentum pendebat. (5) Freto hac ratione juncto, sectos arborum stipites, aequali latitudine cum ponte, super intentos rudentes ordine disposuerunt: atque ita continua serie dispositos denuo arcte inter se constrinxerunt. (6) His deinde tignis ingesserunt sarmenta, et sarmentis ordine dispositis terram superne ingessere: denique, probe constipata terra, utrumque pontium latus septo munierunt, ne jumenta et equi conspecto desuper mari consternarentur.

XXXVII. Postquam et quae ad pontes spectabant, et quae ad Athon, parata fuerunt, renunciatumque est et ipsam fossam penitus perfectam esse, et aggeres juxta ostia fossae ducendos, ne maris aestus ostia illa compleret; tum vero, exacta hieme, primo vere instructus exercitus Sardibus instituit Abydum proficisci. (2) Jamque in eo erat ut iter ingrederetur, quum

sol sua in coelo sede relicta evanuit, nullis nubibus obducto coelo, sed quam maxime sereno; et medio die nox exstitit. Quod ubi vidit animadvertitque Xerxes, curae ei haec res fuit; quaesivitque ex Magis quid significaret id prodigium. (3) Responderunt Magi, Graecis significare deum exstinctionem urbium: dicentes, solem Graecis futura significare, Persis autem lunam. Quibus auditis laetus admodum Xerxes educere copias coepit.

XXXVIII. Jamque educebat, quum Pythius Lydus, metuens editum de coelo prodigium, et donis suis confisus, Xerxem adiens, haec dixit: «precibus meis abs te, Domine, mihi velim contingere; quod tibi leve est praestare, mihi vero permagnum fuerit?» (2) Et Xerxes, quidquid potius, quam quod ille in animo habuit, petiturum eum ratus, praestiturum se ei, dixit; libereque, quae cuperet, promere jussit. Quibus auditis ille confidens, «Domine, ait, sunt mihi quinque filii, quibus omnibus sors obtigit ut tecum in bellum adversus Graeciam proficiscantur. (3) At tu, rex, mei tam longe aetate provecti miserere, unique meorum filiorum, natu maximo, remitte militiam; ut et mei et bonorum meorum curam gerat. Reliquos vero quattuor duc tecum: et confectis rebus quas destinasti, domum redeas!»

XXXIX. Cui vehementer iratus Xerxes his verbis respondit: «O homo nequam, quum ego ipse in bellum adversus Graeciam proficiscar, et filios meos et fratres et cognatos et amicos eodem ducam, tu tui filii ausus es facere mentionem, qui meus es servus, quem tota cum domo ipsaque uxore me sequi oportebat! (2) Probe nunc hoc scito, in auribus hominum habitare animum; qui si bona audit, voluptate implet corpus; si contraria his, indignatur. (3) Igitur quum bene fecisti et alia talia promisisti, non gloriaberis te regem beneficiis superasse: nunc vero, ubi ad impudentiam te convertisti, non tu quidem pro merito, sed minora quam pro merito accipies. Te enim et quattuor ex tuis filiis servant hospitalia munera: unius vero, qui tibi prae caeteris cordi est, vita mulctaberis.» (4) Hoc dato responso, protinus his, quorum negotium erat talia exsequi, imperavit, ut perquisitum maximum natu Pythii filium discinderent medium, discissique corporis dimidium ad dextram viae, dimidium ad sinistram disponerent; utque illac transiret exercitus.

XL. His ita perfectis, transiit deinde agmen. Et praecedebant quidem jumenta cum impedimentis; sequebanturque copiae ex omnis generis nationibus contractae, promiscue incedentes, non discretae; quo autem loco dimidia pars copiarum jam superata erat, ibi relictum erat intervallum; nec enim hi cum rege miscebantur. (2) Regem vero praecedebant mille equites ex cunctis Persis selecti: dein mille hastati, ipsi quoque ex omnibus selecti, deorsum in terram versis lanceis incedentes: post hos sacri Nisaei (qui vocantur) equi decem, quam pulcerrime ornati. (3) Nisaei autem vocantur hi equi ab amplo Mediae campo, cui nomen est Nisaeus, in quo grandes illi equi gignuntur. (4) Post hos decem equos locus assignatus erat currui Jovis sacro, quem octo trahebant candidi equi; et pone pedibus incedebat auriga, frena tenens: hanc enim sedem nemo mortalium conscendit. (5) Post hunc ipse Xerxes vehebatur curru equis Nisaeis juncto: et a latere incedebat auriga, cui nomen erat Patiramphes, Otanis filius, viri Persae.

XLI. Hoc modo Sardibus egressus est Xerxes: de curru autem descendens, quoties commodum ei videretur, in carpentum transibat. Post illum erant hastati mille, nobilissimi fortissimique

Persarum, erectas lanceas tenentes: deinde alii mille equites ex Persis selecti: et post equites, peditum decem millia e reliquis Persis selectorum; (2) quorum peditum mille in hastis, pro imis cuspidibus, aurea habebant mala punica, et reliquos circumcirca includebant; novies mille vero, qui intra hos erant, argentea mala punica habebant. (3) Aurea vero mala punica habebant etiam illi, qui lanceas in terram conversas tenebant; et poma aurea hi, qui Xerxem proxime sequebantur. Post decies mille pedites locati erant equitum Persarum decem millia. Tum post equitatum hunc intervallum erat duorum utique stadiorum; ac deinde reliquae copiae promiscue incedebant.

XLII. Iter autem ex Lydia dirigebat agmen ad Caicum fluvium in terram Mysiam: tum a Caico profectum, Canae montem a sinistra habens, per Atarneum ad Carinam urbem. (2) Ab hac dein per Thebae campum iter fecit, Atramytteum urbem et Antandrum Pelasgicam praetergrediens. Tum Idam a laeva manu habens, Iliacam terram intravit. (3) Ibi primum ei, sub Ida noctem agenti, ingruentia tonitrua atque fulmina haud exiguum hominum numerum occiderunt.

XLIII. Postquam ad Scamandrum pervenit agmen, quem fluviorum primum, ex quo Sardibus profecti iter ingressi sunt, aqua destituit, nec ad bibendum exercitui jumentisque suffecit; ad hunc igitur fluvium postquam Xerxes pervenit, in Priami Pergamum adscendit, spectandi loci cupidus: (2) quem ubi contemplatus est, et singula percontatus, Minervae Iliacae mille mactavit boves, et heroibus Magi inferias obtulerunt. Quibus peractis, noctu terror castra invasit. (3) Prima dein luce inde profecti, a sinistra reliquerunt Rhoeteum urbem et Ophryneum et Dardanum, quae est Abydo contermina; a dextra vero Gergithas Teucros.

XLIV. Abydum postquam pervenerunt, voluit ibi Xerxes universum oculis lustrare exercitum. Et de industria ibi in tumulo praeparata ei erat sedes sublimis ex candido marmore; quam Abydeni jussu regis prius exstruxerant. (2) Ibi igitur sedens, et deorsum secundum oram prospiciens, contemplatus est et pedestrem exercitum et naves: quas dum contemplatur, incessit eum cupido certamen navale spectandi. Quod ubi ei editum est spectaculum, in quo vicere Phoenices Sidonii, laetatus est et certamine et exercitu.

XLV. Conspiciens autem universum Hellespontum navibus suis coopertum, et oram omnem et campos Abydenorum hominibus repletos, beatum se Xerxes praedicavit: haud multo post vero lacrimas fudit.

XLVI. Quod ubi animadvertit Artabanus, avunculus ejus, qui prius libere dixerat sententiam, hortatusque eum erat ne expeditionem in Graeciam susciperet; hic vir, lacrimantem intelligens Xerxem, his verbis eum est adlocutus: «Quam longe inter se diversa, Rex, fecisti nunc et paulo ante! modo beatum te praedicasti; nunc lacrimas fundis.» (2) Cui ille: «Subiit namque me humanam sortem miserari, reputantem quam brevis sit universa hominis vita; quandoquidem horum, tot numero hominum, nullus in centesimum annum superfuturus est.» (3) Reponens Artabanus ait: «Alia hoc etiam miserabiliora nobis in vitae cursu accidunt. Etenim nemo hominum, nec ex horum numero, nex ex reliquorum, ita felix natus est, cui in tam brevi vita non

usu venturum sit idemtidem, nedum semel, ut mori malit quam vivere. (4) Incidentes enim calamitates, et morbi nos perturbantes, faciunt ut vita, quantumvis brevis sit, praelonga nobis videatur. Itaque mors, quando molesta est vita, optatissimum refugium fit homini: deus vero, postquam dulcem nobis gustandam dedit vitam, dum illa fruimur, invidus esse reperitur.»

XLVII. Respondit Xerxes: «Artabane, est vitae humanae conditio talis, qualem tu significas: sed omittamus nunc de hac re dissere, neque malorum meminerimus, quum laetas res prae manibus habeamus! Dic mihi vero hoc: (2) nisi nocturna illa visio tibi ita manifesta adparuisset, pristinamne teneres sententiam, hortarerisque me, ne Graeciae inferam bellum, an deseruisses istam sententiam? Agedum, aperte hoc mihi dicito.» (3) Et ille: «Rex, inquit, visio illa, quae nobis per insomnium adparuit, eum habeat exitum, quem uterque nostrûm cupimus! Ego vero usque adhuc timoris plenus sum, nec satis mei compos, quum alia multa reputans, tum duas res omnium maximas videns tibi maxime contrarias.»

XLVIII. Ad ea Xerxes his verbis utitur: «O vir mirifice, quaenam haec duo ais mihi maxime contraria? Utrum pedestrium copiarum non satis tibi placet numerus, existimasque Graecum exercitum nostro longe fore copiosiorem? an navales nostras copias copiis illorum fore inferiores? an utrumque horum? (2) nam si hac parte parum sufficientes judicas nostros adparatus, celerrime aliae contrahi copiae poterunt.»

XLIX. Respondit Artabanus: «Rex, nexque in exercitus hujus numero, neque in navium copia, quisquam sanae mentis homo aliquid desideraverit. (I.) Quin etiam, si plures contraxeris copias, multo magis tibi duo illa, quae dico, contraria erunt. Sunt autem haec duo, terra et mare. Nec enim in mari usquam, ut ego conjicio, tam spatiosus portus est, qui, coorta tempestate, capere tuam classem et tutas praestare naves valeat. (2) Atqui non modo unum talem oportet esse portum; sed in quaque continente, quam classis tua praetervehetur, esse talem oportet. Igitur quum idoneos non habeas portus, memento homines in potestate esse casuum fortunae, non casus fortunae in potestate hominum. (II.) Jam postquam unum ex duobus illis exposui tibi, nunc alterum dicam. (3) Terra nempe tibi hoc modo contraria est, ut, si nihil fuerit quod tibi obstet, tanto magis illa futura sit contraria tibi, quando longius progredieris, imprudens ulterius semper abreptus; nam felicitatis nulla hominibus satietas est. (4) Igitur, hoc posito nihil tibi obstare, terram dico, procedente tempore quasi processuram et ipsam ulterius semper progredienti, famem tibi esse adlaturam. At vir ita demum optime rebus suis consuluerit, si in deliberando quidem, quidlibet sibi accidere posse reputans, extimescat, in re autem agenda fortis atque audax fuerit.»

L. Respondit Xerxes his verbis: «Artabane, recte tu quidem haec singula disputas: at neque omnia extimesce, neque omnia pariter animo volve. (I.) Nam si in quaque re proposita omnia pariter animo volvere, quae incidere possunt, volueris, nihil umquam efficies: melius est autem, cuncta fidenter adgrediendo, dimidium pati incommodorum, quam omnia prius timentem, nihil umquam pati. (2) Porro, si adversus omnia quae dicuntur contendens, nihil tamen certi ipse promis, labi in his pariter debes atque is qui contraria dixit. Hoc quidem igitur perinde est. Certam autem veri cognitionem quomodo habere possit homo natus? equidem puto, nullo

modo. (3) Itaque, qui agere volunt, hos plerumque sequi amat successus: qui vero omnia reputantes cunctantur, nihil proficiunt. (II.) Vides res Persarum quousque potentiae creverint. (4) Quodsi igitur reges illi, qui ante me fuerunt, in ea fuissent sententia qua tu es, aut si, quum aliter quidem ipsi sensissent, consiliarios habuissent homines tui similes, nequaquam videres res eorum in hoc fastigium evectas: nunc illi, periculorum aleam subeundo, huc eas evexere. (5) Magnae enim res ejusmodi sunt ut non nisi magnis periculis possint confici. Nos igitur, illorum facta aemulantes, optimo anni tempore iter sumus ingressi: et subacta universa Europa domum revertemur, nec famem usquam passi, nec aliud quidquam triste experti. (6) Nam et commeatu affatim instructi iter facimus, et quamcumque in terram, et quemcumque ad populum perveniemus, hujus re frumentaria utemur: nec enim nomadibus hominibus, sed aratoribus, facimus bellum.»

LI. Post haec Artabanus dixit: «Rex, quoniam nullam rem nos sinis extimescere, tu tamen meum admitte consilium: nam, ubi de multis rebus agitur, necesse est etiam plura facere verba. (2) Cyrus, Cambysis filius, Ioniam omnem, exceptis Athenis, subegit, tributariamque Persis fecit. Hos igitur viros, tibi suadeo, nullo pacto adversus parentes ipsorum ducas: nam et absque his licuerit nobis superare hostes. (3) Oportet enim hos, si nos sequantur, aut injustissimos esse, metropolin suam in servitutem redigentes; aut justissimos, libertatem illius adjuvantes. Atqui si injustissimi sunt, non magnum nobis lucrum adferent: si justissimi, maxima calamitate adficere tuum poterunt exercitum. (4) Denique reputa tecum, recte dici vetus illud verbum, Non simul cum principio exitum etiam omnem patere.»

LII. Ad haec Xerxes respondit: «Artabane, omnium quas dixisti sententiarum haec te maxime fallit, quod putas verendum esse ne Iones a nobis deficiant: quorum maximum habemus documentum, quibus tu ipse testis es, et quicumque alii cum Dario adversus Scythas militarunt, fuisse in illorum potestate aut perdere universum Persicum exercitum, aut servare; eosdem vero justitiam et fidem praestitisse, nihilque ingrati commisisse. (2) Praeterea, quum nostra in terra reliquerint liberos suos et uxores et facultates, ne cogitari quidem debet, res novas eos molituros. Itaque ne hoc quidem reformida; sed bonum habens animum serva meam domum meumque imperium: nam tibi uni ex omnibus sceptra mea committo.»

LIII. His dictis, Artabanum Xerxes Susa misit, deinde Persarum nobilissimos ad se convocavit. Qui ubi convenere, haec ad eos rex verba fecit: «Persae, convocavi vos ego, hoc a vobis contendens, ut fortes viros vos praestetis, neque res antehac a Persis gestas, magnas illas et summi aestimandas, dedecoretis: sed, et unusquisque pro se, et simul universi, prompti alacresque simus! commune enim hoc omnibus bonum quaerimus. (2) Hac vero de caussa vos hortor, ut omni contentione in hoc bellum incumbatis, quoniam, ut audio, cum fortibus viris pugnandum nobis erit; quos si vicerimus, nullus porro alius hominum exercitus nobis resistet. Nunc vero trajiciamus, deos precati Persicae terrae praesides.»

LIV. Et illo quidem die parabant transitum: postridie vero solem exspectabant, cupientes orientem videre, et odorum omne genus in pontibus adolentes, et myrtis viam sternentes. (2) Oriente sole, ex aurea phiala libamina Xerxes fudit in mare, et ad Solem conversus precatus est,

ut nullus sibi accideret casus ejusmodi, qui cogeret ipsum a subigenda Europa prius desistere, quam ad extremos illius terminos pervenisset. (3) Peractis precibus, phialam in Hellespontum projecit, simulque aureum craterem, et Persicum gladium, quem acinacen vocant. Illud autem certo definire non possum, utrum in Solis honorem ista in mare projecerit, an Mari munera ista obtulerit, poenitentia adductus quod Hellespontum flagellis caedi jussisset.

LV. His rebus peractis, Hellespontum copiae trajecerunt: et per alterum quidem e pontibus, qui Pontum Euxinum spectabat, pedestris transibat exercitus et equitatus omnis; per alterum vero, aegaeo mari obversum, jumenta cum impedimentis, et famulorum turba. (2) Agmen ducebant decies mille Persae quos dixi, coronati omnes: quos sequebatur mixtus, quem item dixi, ex variis populis exercitus. Hi primo die. Postridie, primum equites, et illi qui lanceas ad terram conversas gestabant; et hi coronati: (3) deinde equi sacri, et sacer currus: tum ipse Xerxes cum hastatis et cum mille, quos dixi, equitibus; hos sequebatur reliquus exercitus: simulque naves etiam in oppositum littus solvebant. Memoratum vero etiam audivi, postremum omnium regem transiisse.

LVI. Postquam in Europam Xerxes trajecerat, spectavit exercitum sub flagellis transeuntem. Transivit autem exercitus continuis septem diebus septemque noctibus, nulla interposita mora. (2) Ibi tunc, quum jam transiisset Hellespontum Xerxes, narrant virum Hellespontium dixisse: «O Jupiter, cur formam adsumens viri Persae, et nomen Xerxis loco Jovis adsciscens, evertere vis Graeciam, homines omnes adversus eam ducens? Atqui absque his facere hoc poteras.»

LVII. Transgressis omnibus, et iter ulterius ingredientibus, ingens oblatum est prodigium, cujus rationem nullam Xerxes habuit, quamvis facilis esset ejus interpretatio: equa enim leporem peperit. (2) Facile autem erat illud in hanc partem interpretari, Xerxem ingenti quidem fastu et magnificentia exercitum suum ducturum esse in Graeciam, sed eum propriae vitae periculo eundem in locum rediturum. (3) Aliud etiam eidem, quum Sardibus versaretur, prodigium obtigerat: mula enim mulum pepererat duplex genitale habentem, alterum maris, alterum feminae, et superius quidem fuerat masculinum.

LVIII. Neutrius horum prodigiorum ratione habita, ulterius ire Xerxes perrexit, et cum eo pedestris exercitus. Classis vero, ex Hellesponto enavigans, terram legebat, contrario pedestribus copiis cursu: (2) classis enim ad occidentem navigavit, versus Sarpedonium promontorium dirigens cursum; quo quum pervenisset, jussa erat exspectare: terrestris autem exercitus orientem versus iter faciebat per Chersonesum, a dextra habens Hellae sepulcrum, Athamantis filiae, a sinistra Cardiam urbem, et per medium oppidum cui nomen Agora (id est Forum), transitum faciens. (3) Hinc circum Melanem sinum qui vocatur flexit; trajectoque Melane fluvio, cujus aqua non suffecit exercitui, sed defecit, hoc trajecto fluvio, a quo Melas ille sinus nomen invenit, ad occidentem direxit iter, aenum, aeolicam urbem, et Stentoridem lacum praeteriens, donec Doriscum pervenit.

LIX. Est autem Doriscus ora Thraciae et ampla planities, quam magnus fluvius perfluit Hebrus. In eadem planitie castellum exstructum erat regium, quod ipsum Doriscus vocatur; in quo Persicum a Dario locatum erat praesidium ab eo inde tempore quo Scythis ille bellum intulit. (2) Hic igitur locus idoneus Xerxi visus est, in quo ordinaret suum exercitum, et numerum illius iniret: idque fecit. Itaque naves cunctas, postquam Doriscum pervenere, praefecti navium jussu Xerxis ad littus Dorisco contiguum adplicuerunt; quo in littore sita est Sale, oppidum Samothracicum, et Zona; in ipsa vero extremitate est Serrheum, celebre promontorium: regio haec autem olim sedes fuerat Ciconum. (3) Hoc ad littus adpulsas naves in terram subduxerunt, refeceruntque: et per idem tempus Xerxes in Dorisco numerum inivit suarum copiarum.

LX. Quemnam quidem militum numerum populus quisque contulerit, exacte definire non possum; nec enim ab ullo homine hoc memoratur: universi vero exercitus multitudo reperta est fuisse centum et septuaginta myriadum. (2) Numerus autem initus est hoc modo: in unum locum congregarunt decem hominum millia, hisque quam arctissime fieri poterat constipatis circulum extrorsus circumduxerunt: deinde, dimissis his decem millibus, maceriem secundum circulum illum exstruxerunt ea altitudine, ut umbilicum attingeret hominis. (3) Quo facto, alios intra circumductum murum introire jusserunt, donec omnium numerum hoc modo iniissent. Inito numero, per populos exercitum discreverunt.

LXI. Erant autem populi militantes hi: Persae, hoc modo instructi: in capite pileos gestabant non compactos, quos tiaras vocant; circa corpus, tunicas manicatas varii coloris, et loricas ferreis e squamis in piscium similitudinem; circa crura, braccas; pro clypeis vero, crates vimineas; sub his, suspensas habebant pharetras: hastas autem habebant breves, arcus vero grandes, tela ex arundine, praeterea ad dextrum femur e zona suspensos pugiones. (2) Dux eorum Otanes fuit, pater Amestridis, uxoris Xerxis. Hi olim a Graecis Cephenes nominabantur, a se ipsis vero et a finitimis Artaei. (3) Postquam vero Perseus, Danaes et Jovis filius, ad Cepheum venit, Beli filium, illiusque filiam in matrimonio habuit Andromedam, natus ei filius est, quem Persen nominavit, et ibi reliquit, quam masculam prolem Cepheus non haberet: ab illoque dein nomen Persae invenerunt.

LXII. Medi eodem instructi militabant: est enim Medicus hic cultus, non Persicus. (2) Habebant autem Medi ducem Tigranem, ex Achaemenidarum familia. Vocati hi erant olim ab omnibus Arii: ex quo vero Medea Colchica Athenis ad hos Arios venit, hi quoque nomen suum mutarunt: et hoc quidem ipsi Medi de sese memorant. (3) Porro Cissii militantes reliquo quidem cultu eodem, quo Persae, utebantur: pro pileis vero mitras gestabant. Dux eorum Anaphes fuit, Otanis filius. (4) Hyrcaniorum cultus nihil a Persarum cultu differebat: praefuit autem his Megapanus, qui postero tempore Babyloniae fuit praefectus.

LXIII. Assyrii militantes in capite gestabant galeas aeneas, barbarico quodam modo nec ad describendum facili plexas; scuta autem et hastas et pugiones similes habebant aegyptiis; praeterea vero clavas ligneas ferreis nodis munitas, et linteas loricas. (2) Hi a Graecis Syrii vocabantur, a barbaris vero Assyrii. Mixti eisdem erant Chaldaei. Dux eorum Otaspes fuit, Artachaei filius.

LXIV. Bactrii capitis cultu utentes militabant simili maxime Medico; arcubus vero ex arundine indigena, hastis brevibus. (2) Sacae autem, Scythica gens, in capite cyrbasias gestabant in acutum desinentes et firmiter erectas; caeterum braccis erant induti: arcus autem habebant indigenas, et pugiones, adhaec securium genus, quae sagares vocantur. Hos, quum Scythae essent Amyrgii, Sacas vocabant: Persae enim Scythas omnes Sacas nominant. (3) Bactriorum autem et Sacarum dux fuit Hystaspes, Darii filius et Atossae, Cyri filiae.

LXV. Indi vestibus erant induti ex gossypio paratis: arcus autem habebant ex arundine factos, et tela arundinea ferro praefixa. Hic cultus Indorum erat: quorum agmini collecto dux praefectus erat Pharnazathres, Artabatis filius.

LXVI. Arii arcubus quidem instructi erant Medicis; reliqua similia Bactriis habebant. Dux autem Ariorum Sisamnes fuit, Hydarnis filius. (2) Parthi, et Chorasmii, et Sogdi, et Gandarii, et Dadicae, eodem modo instructi militabant atque Bactrii. Horum hi erant duces: Parthis et Chorasmiis praefuit Artabazus, Pharnacis filius; Sogdis Azanes, Artaei filius; Gandariis et Dadicis Artyphius, filius Artabani.

LXVII. Caspii sisyrnas (penulas villosas) induti militabant, et arcus habebant pro populi more ex arundine factos, atque acinaces.[TR11] Hi quidem ita instructi erant, ducem habentes Ariomardum, Artyphii fratrem. (2) Sed Sarangae pictis ornati vestibus erant, caligasque habebant genu usque pertinentes, arcus vero et hastas Medicas. Dux eorum Pherendates fuit, Megabazi filius. (3) Pactyes sisyrnis erant induti, arcusque indigenas et pugiones habebant. Praefuit his Artyntes, Ithamatris filius.

LXVIII. Utii et Myci et Paricanii eodem modo, quo Pactyes, erant, instructi. Duces eorum hi erant: Utiorum et Mycorum, Arsamenes, Darii filius; Paricaniorum vero Siromitres filius oeobazi.

LXIX. Arabes, sagis, quas vocant zeiras, induti succinctis, dextro humero arcus praelongos gestabant, qui in utramque intendi partem poterant. (2) aethiopes, pardorum leonumque pellibus amicti, arcus ex palmae spatha (ramis quibus folia insident) habebant praelongos, quattuor non minus cubitorum; tela vero, his imponenda, brevia, quae loco ferri lapide acuto erant praefixa, quo etiam sigilla insculpunt. Hastas praeterea habebant, cornu dorcadis acuminato praefixas in lanceae modum: habuere vero etiam clavas nodosas. Corporis dimidium, in pugnam prodeuntes, creta dealbatum habebant, dimidium minio pictum. (3) Arabum et aethiopum supra aegyptum incolentium dux fuit Arsames, Darii et Artystonae filius, Cyri filiae; quam Darius uxorum maxime amaverat, effigiemque ejus auream faciendam curaverat malleo ductam. Arsames igitur aethiopibus supra aegyptum incolentibus et Arabibus praefuit.

LXX. Orientales vero aethiopes (nam duplex aethiopum genus militabat) cum Indis erant locati, forma quidem ab alteris non diversi, sed lingua solum et capillis. Orientales enim aethiopes

rectos habent capillos, Libyci vero crispos maxime omnium hominum. (2) Asiatici hi aethiopes caeteroquin pari fere modo atque Indi erant instructi, caput autem tectum habebant pelle equina de capite equi detracta cum auribus et juba, ita ut ipsa juba pro crista esset, aures autem equi firmiter erectae starent: pro scutis autem, gruum pellibus corpora tegebant.

LXXI. Afri pellibus induti incedebant, jaculis utentes adustis. Dux eorum Massages fuit, Oarizi filius.

LXXII. Paphlagones militabant in capite galeas gestantes plexas: scuta eisdem exigua erant, et hastae non magnae; adhaec jacula et pugiones; pedibus inductae caligae, ad mediam tibiam adscendentes. (2) Ligyes et Matieni et Mariandyni et Syri eodem modo, atque Paphlagones, instructi militabant. Syri autem hi a Persis Cappadoces vocantur. (3) Et dux quidem Paphlagonum et Matienorum fuit Dotus, Megasidri filius; Mariandynorum vero et Ligyum et Syrorum, Gobryas, Darii filius et Artystonae.

LXXIII. Phryges similiter atque Paphlagones erant armati, exigua differentia. Hic populus, ut Macedones adfirmant, quamdiu in Europa cum Macedonibus habitavit, Briges nominabatur: qui postquam in Asiam transierunt, mutato una cum sede eorum nomine, Phryges sese adpellarunt. (2) Armenii, eodem modo quo Phryges, instructi erant, quum quidem sint Phrygum coloni. Ambobus simul praeerat Artochmes, Darii gener.

LXXIV. Lydorum armatura simillima Graecanicae erat. Hi Lydi, quum olim Maeones fuissent nominati, deinde a Lydo, Atyis filio, nomen invenerunt et prius mutarunt. (2) Mysi in capite galeas gestabant sui generis, clypeis utentes brevibus, jaculis autem adustis. Lydorum hi sunt coloni, et ab Olympo monte Olympieni vocantur. Lydis Mysisque praeerat Artaphernes, Artaphernis illius filius, qui cum Dati Marathonem invasit.

LXXV. Thraces militantes caput pelle vulpina tectum habebant, circa corpus tunicam et tunicae superinductum sagum (zeiran) variegatum; circum pedes et crura caligas ex hinnulorum corio; adhaec jacula et peltas et breves pugiones. (2) Hi, postquam in Asiam transierunt, Bithyni nominati sunt; prius vero, ut ipsi aiunt, Strymonii vocabantur, quum ad Strymonem habitarent: sedibus suis autem pulsos fuisse aiunt a Teucris et Mysis. Thracibus his Asiaticis praefuit Bassaces, Artabani filius.

LXXVI. [Chalybes?] parmas habebant exiguas ex bovino corio, et bina quisque venabula in Lycia confecta; et capitibus impositas galeas aeneas, et super his aures et cornua bovis ex aere, itemque cristas; tibias pannis purpureis habebant involutas. Apud hunc populum est Martis oraculum.

LXXVII. Cabelenses Maeones, qui Lasonii vocantur, eodem quo Cilices cultu erant instructi; quem cultum tunc indicabo, quum in enarrationis hujus ordine ad Cilices pervenero. (2) Milyae brevia habebant spicula, et vestes fibulis substrictas; nonnulli eorum arcus habebant Lycios; capita autem galeis tecta coriaceis. His omnibus praefuit Badres, Hystanis filius.

LXXVIII. Moschi capitibus impositas habebant galeas ligneas, parmas et hastas breves, sed ferrum hastarum erat praelongum. Tibareni et Macrones et Mosynoeci militabant similiter atque Moschi armati. (2) Ordinabant hos autem hi duces: Moschos et Tibarenos Ariomardus, Darii filius et Parmyis, filiae Smerdis, Cyri neptis: Macronas vero et Mosynoecos Artayctes, filius Cherasmis, qui Sesto ad Hellespontum praefectus erat.

LXXIX. Mares in capitibus galeas gestabant suo more plexas, parmas breves coriaces habebant, et jacula. (2) Colchi ligneas galeas in capitibus habebant, parvas parmas ex cruda bovis pelle, hastas breves; adhaec etiam gladios. Marum et Colchorum dux fuit Pharandates, Teaspis filius. (3) Alarodii et Saspires similiter Colchis armati militabant: praefuitque his Masistius, Siromitrae filius.

LXXX. Insulani populi, qui castra sequebantur, ex illis Maris Rubri insulis, in quibus rex sedes adsignat his qui Anaspasti (transportati) vocantur, veste atque armis utebantur simillimis Medicis. (2) Insulanis his praefuit Mardontes Bagaei filius, qui altero post haec anno dux apud Mycalen in praelio cecidit.

LXXXI. Hi igitur sunt populi, qui in continente, et quidem pedibus, militabant. Et pedestribus his copiis praefuerunt viri quos dixi: qui et ordinarunt eos et eorum numerum inierunt, et chiliarchas et myriarchas (millium et decem millium duces) nominarunt: hecatontarchas vero et decadarchas (centuriones et decuriones) nominarunt myriarchae. Jam singulorum agminum populorumque alii quidem fuerant etiam duces minores; sed hi sub imperio erant eorum quos commemoravi.

LXXXII. His ipsis vero, et universo pedestri exercitui praefecti erant Mardonius, Gobryae filius, et Tritantaechmes, Artabani illius, qui pro sententia dixerat non esse bellum inferendum Graeciae, et Smerdomenes, Otanis filius; (duo hi, Darii ex fratribus nepotes, Xerxis erant consobrini;) et Masistes, Darii et Atossae filius, et Gergis Arizi, et Megabazus Zopyri.

LXXXIII. Hi universo pedestri exercitui praeerant, exceptis decem millibus. His enim selectis decem millibus Persarum Hydarnes praefuit, Hydarnis filius. Vocabantur autem hi Persae Immortales, hac de caussa: quando ex illorum numero aliquis defecit aut morte aut morbo coactus, alius in ejus locum jam delectus erat vir, ut semper essent decies mille, nec plures nec pauciores. (2) Praecipuo autem inter omnes cultu eminebant Persae, et fortissimi hi erant. Armatura ea fuit quam dixi; praeterea vero auro multo et copioso fulgebant. Pellices etiam

secum hi ducebant carpentis vectas, et frequens famulitium pulcre ornatum: eisdemque, seorsum a caeteris militibus, cameli et jumenta commeatus vehebant.

LXXXIV. Equis quidem vehuntur omnes isti populi: at non omnes equitatum contulere, sed hi soli: Persae, eodem modo armati atque pedites ipsorum, nisi quod horum nonnulli in capitibus partim aenea partim ferrea opera gestabant malleo ducta.

LXXXV. Sunt porro homines nomades Sagartii nominati, populus quidem Persicus, et lingua Persica utens, cultu vero inter Persicum et Pactyicum medio. Hi equitum contulerant octo millia: arma autem illis non sunt in usu, nec aenea, nec ferrea, praeterquam pugiones. Utuntur vero funibus e loris plexis: (2) quibus fidentes in bellum proficiscuntur. Est autem pugnae genus horum hominum hujusmodi: quando cum hostibus congrediuntur, projiciunt funes, quorum in extremitate laquei sunt; quidquid prehendit funis, sive equus sit, sive homo, id ad se trahit eques; et ille laqueo implicatus interficitur. Talis horum pugna est; locati autem erant cum Persis.

LXXXVI. Medi equites eodem modo, quo pedites, instructi erant: itemque Cissii. (2) Indorum item cultus et arma eadem atque peditum; habebant autem et equos sellarios et currus: juncti autem currus erant partim equis, partim asinis silvestribus. (3) Bactriorum quoque cultus equitum idem ac peditum: pariterque Caspiorum. (4) Libyes item, qui cum equis aderant, eodem cultu atque pedites erant instructi; sed hi quidem cuncti currus agebant. (5) Caspirorum etiam et Paricaniorum et Arabum equitum cultus et arma nihil a peditibus differebant: sed Arabes omnes camelis vehebantur, qui celeritate non cedunt equis.

LXXXVII. Hi ergo soli populi equitatum contulerant. Numerus vero equitum octoginta millium fuit, exceptis camelis et curribus. Et reliqui quidem equites turmatim ordinati erant; Arabes vero postremi, erant locati, hac de caussa postremi, ne equi consternarentur; camelos enim aegerrime patiuntur equi.

LXXXVIII. Equitatui praefecti erant Harmamithres et Tithaeus, Datis filii. Collega horum Pharnuches, tertius praefectus equitum, ob morbum Sardibus erat relictus: (2) quum enim Sardibus egrederetur exercitus, tristis huic casus acciderat. Dum equo vehitur, sub pedes equi intercurrit canis: et equus, qui illum non prospexerat, consternatus rectum sese erigit, et Pharnuchem excutit; qui humum prolapsus sanguinem evomuit, et in phthisin morbus transiit. (3) Equum autem statim initio ea poena adfecerunt famuli, quam herus jussit: in eum locum deducto, ubi herum excusserat, crura in genibus praeciderunt. Ita Pharnuches praefectura equitum excidit.

LXXXIX. Triremes numero fuere mille ducentae et septem: quas praebuerant hi populi: Phoenices, cum Syris Palaestinae, trecentas; quorum armatura hujusmodi erat: capita galeis tecta, similibus maxime Graecanicis galeis; circa corpus thoraces lintei; tum clypeos habebant quorum orae ferro non erant munitae, et jacula. (2) Phoenices hi, ut aiunt ipsi, olim ad mare

Rubrum habitaverant: illinc transgressi, nunc Syriae oram maritimam incolunt. Syriae autem hic tractus omnis, usque ad aegyptum, Palaestina vocatur. (3) aegyptii naves praebuerant ducentas. Hi plexas sive nexiles gestabant galeas, scuta cava, quorum orae multo ferro erant munitae, hastas ad navalem pugnam comparatas, et ingentes bipennes. Multitudo eorum thoraces gestabant, magnosque gladios habebant. Talis horum armatura erat.

XC. Cyprii naves praebuerant centum et quinquaginta, hoc modo armati: reges eorum caput mitra obvolutum habebant: reliqui tunicas gestabant: caetera vero ut Graeci. (2) Sunt autem Cypriorum plures populi: alii Salamine et Athenis oriundi; alii ex Arcadia; alii ex Cythno; alii e Phoenice; alii ex aethiopia, ut ipsi Cyprii adfirmant.

XCI. Cilices centum contulerant naves. Hi capita galeis tecta habebant vernaculis, pro scutis parmulas gestabant ex crudo bovino corio confectas, tunicas induti laneas: bina quisque jacula habebat, et ensem aegyptiaco maxime gladio similem. Hi antiquitus Hypachaei nominati erant: dein a Cilice, Agenoris filio, viro Phoenice, nomen invenere. (2) Pamphyli triginta naves praebuerant, Graecanicis armis instructi. Sunt autem hi Pamphyli Trojanorum posteri illorum, qui cum Amphilocho et Calchante disjecti fuere.

XCII. Lycii quinquaginta praebuerant naves, thoracibus et ocreis instructi. Arcus habebant ex corno arbore, sagittas arundineas non alatas, et jacula: ex humeris eorum pelles pendebant caprinae: capitibus impositi pilei pennis circumcirca coronati: praeterea pugionibus et falcibus armati erant. (2) Erant vero Lycii ex Creta oriundi, Termilae olim nominati, deinde a Lyco, Pandionis filio, viro Atheniensi, invenere nomen.

XCIII. Dorienses Asiatici triginta naves contulerant, Graecanico more armati, ex Peloponneso oriundi. (2) Cares septuaginta naves praebuerant, falcibus et pugionibus armati, caeteroquin vero Graecanico more instructi. His quodnam antiquitus fuerit nomen, in superiori harum Historiarum parte dictum est.

XCIV. Iones centum contulerant naves, eodem modo instructi atque Graeci. Iones, quamdiu in Peloponneso eam regionem, quae nunc Achaia vocatur, incoluerant, priusquam Danaus et Xuthus in Peloponnesum advenissent, ut Graeci aiunt, Pelasgi aegialees (id est, littorales) vocabantur: deinde ab Ione, Xuthi filio, nomen invenerunt.

XCV. Insulani septemdecim contulerant naves, eodem modo armati atque Graeci. Etiam hic Pelasgicus est populus, qui deinde Ionicus eadem ratione nominatus est atque illi duodecim civitatum Iones Athenis oriundi. (2) aeolenses sexaginta praebuerant naves, eodem modo atque Graeci armati: et hi quoque olim Pelasgi nominati, ut Graeci memorant. (3) Hellespontii, exceptis Abydenis: nam Abydenis imperaverat rex ut domi manerent, et pontes custodirent: caeteri igitur ex Ponto expeditionis hujus socii naves contulerant centum, eodem modo instructi ac Graeci. Sunt autem hi Ionum et Doriensium coloni.

XCVI. In singulis istarum navium erant propugnatores Persae et Medi et Sacae. Quae ex earumdem navium numero optime vehebantur, has praebuerant Phoenices, et in his prae caeteris Sidonii. (2) Singulorum autem populorum copiis navalibus, perinde atque terrestribus, praeerant duces ex popularibus: quorum ego nomina edere, quum nihil necesse sit ad historiae rationem, supersedeo. Nec enim cuique populo duces erant memoratu digni: et, quot in quoque populo civitates, tot etiam duces erant. (3) Sequebantur hi autem non ut duces vere nominati aut praetores, sed ut reliqui militantes servi. Caeterum imperatores penes quos summa fuit imperii, et singulorum populorum duces, quotquot eorum Persae fuerunt, a me dicti sunt.

XCVII. Navalibus autem copiis cum imperio praefecti hi erant: Ariabignes, Darii filius, et Praxaspes Aspathinis, et Megabazus Megabatis, et Achaemenes Darii filius. Ionicis quidem et Caricis copiis Ariabignes praefuit, Darii filius ex filia Gobryae; (2) aegyptiis autem Achaemenes, frater Xerxis eodem patre eademque matre natus; reliquis nauticis copiis duo reliqui. Actuaria autem navigia partim triginta partim quinquaginta remorum, tum cercuros, et equis transvehendis naves parvas convenisse constat ad tria millia numero.

XCVIII. Eorum qui in hac classe militarunt, secundum imperatores, illustrissimi erant hi: Tetramnestus, Anysi filius, Sidonius; Mapen, Siromi filius, Tyrius; Merbalus Agbali, Aradius; Syennesis, Oromedontis, Cilix; Cyberniscus, Sicae filius, Lycius; Gorgus, Chersis filius, et Timonax Timagorae, uterque Cyprius; tres Cares, Histiaeus, Tymnis filius, Pigres Seldomi, et Damasithymus, Candaulis filius.

XCIX. Reliquos ordinum duces silentio praetereo; nec enim necesse est mihi hos commemorare, excepta Artemisia muliere, quam fuisse hujus belli Graeciae illati sociam demiror. Haec enim, mortuo marito, quum ipsa regnum teneret, filiumque haberet adolescentem, animi impetu roboreque elata, expeditioni huic sociam sese, nulla necessitate adacta, adjunxit. (2) Nomen igitur huic Artemisia fuit, pater Lygdamnis, paternum genus ex Halicarnasso, maternum ex Creta. Imperavit illa Halicarnassensibus, Cois, Nisyriis et Calydniis; praebueratque naves quinque, (3) quae navium omnium universae classis, post Sidonias, praestantissimae erant. Eadem apud regem optimas prae sociis omnibus sententias dixit. (4) Quibus civitatibus imperasse eam dixi, has omnes Doricae gentis esse adfirmo: Halicarnassenses nempe, Troezenios: reliquos vero, Epidaurios. Hactenus igitur navales recensui copias.

C. Postquam initus est copiarum numerus, et ordine compositus universus exercitus, cupivit Xerxes eum obeundo lustrare: idque fecit. Curru praeter unumquemque populum praetervectus, singula percontabatur, et scribae scripto consignabant; donec ab una extremitate ad alteram et equitum et peditum pervenit. (2) Deinde navibus in mare deductis, relicto curru navem conscendit Sidoniam, in eaque sub tabernaculo aureo residens praeter proras navium praetervectus est, sciscitans de singulis, perinde atque in terrestri exercitu fecerat, et omnia scripto consignari jubens. (3) Naves, ex quadringentorum admodum pedum intervallo a littore abductas, in ancoris tenebant praefecti, proris omnibus continua fronte in terram conversis,

propugnatoribus in armis stantibus, velut ad pugnam paratis: et rex spectabat, inter proras et littus navigans.

CI. Ita lustrata classe, Xerxes navi egressus Demaratum vocari jussit, Aristonis filium, expeditionis adversus Graeciam socium; eumque, ubi adfuit, his verbis compellavit: «Demarate, nunc me juvat, ex te quae scire cupio quaerere. (2) Tu Graecus es, et, ut ego non ex te solum, sed et ex reliquis Graecis, qui mihi in colloquium veniunt, audio, ex ea civitate es, quae nec minima est nec infirmissima. (3) Nunc ergo hoc dic mihi, an Graeci ausuri sint manus contra me tollere. Nam, ut equidem existimo, ne universi quidem Graeci et reliqui ad occidentem habitantes homines, si vires suas cuncti conjungerent, pares forent ad resistendum mihi, praesertim quum non sint inter se concordes. (4) At cupio tamen etiam ex te, quid sit quod de hoc dicas, cognoscere.» Cui ita interroganti Demaratus respondit: «Utrum, rex, ex veritate tibi dicam, an ad gratiam?» Et ille jussit eum ex veritate dicere; nihilo enim minus illum ob id sibi acceptum fore, quam antea fuisset.

CII. His auditis, Demaratus haec dixit: «Rex, quoniam ex rei veritate me loqui plane jubes, eaque dicere quae non mentitum me esse posthac quisquam deprehendat, hoc dico: in Graecia ab omni quidem aetate paupertas habitavit: accessit vero virtus, sapientiae et legis validae filia, qua utens Graecia et paupertatem abigit et dominatum. (2) Et laudo quidem Graecos omnes circa terras illas Doricas habitantes: nec vero de cunctis nunc Graecis verba faciam, sed de solis Lacedaemoniis: quos, primum, dico nequaquam accepturos esse tuas conditiones, servitutem Graeciae proponentes; deinde, obviam illos tibi ituros aio in pugnam, etiamsi alii omnes Graeci tecum sentirent. (3) Ad numerum autem quod attinet, noli quaerere quot sint numero, qui hoc facturi sint: nam sive mille fuerint qui in aciem prodeant, hi tecum congredientur, sive his pauciores sive plures.»

CIII. Quibus auditis, ridens Xerxes ait: «Demarate, quodnam emisisti verbum, mille viros cum tam ingenti exercitu congressuros! (2) Dic mihi, age: ais tu, regem te horum hominum fuisse: volesne igitur tu e vestigio contra decem pugnare viros? Atqui, si vestri cives cuncti tales sunt, quales tu declaras, decet te regem eorum, ex vestris institutis, cum duplo numero congredi. (3) Nam si illorum quisque denis viris de meo exercitu par est, a te utique postulo ut viginti viris par sis: atque ita demum recte stabit ratio quam tu dicis. Sin, quum tales sitis talique statura, quali tu et alii Graeci qui me convenire consueverunt, tantopere gloriamini, vide ne vana jactatio sit hoc quod dicitis. (4) Age enim, videamus quid probabili ulla ratione fieri possit: quonam tandem pacto mille homines, aut etiam decies, aut denique quinquagies mille, qui cuncti pariter liberi sint, nec unius subjecti imperio: quo pacto, inquam, hi resistere tanto exercitui poterunt? Nam, si sunt illi quinquies mille, nos plures quam milleni sumus qui illorum unumquemque circumstabimus. (5) Quodsi quidem, ut apud nos, sic illi unius subjecti essent imperio, possent illius metu et contra suam naturam fieri meliores, et flagellis coacti pauciores numero adversus plures in praelium ire: sed liberi, et suo arbitrio permissi, neutrum horum facient. (6) Puto vero equidem, aequali etiam numero aegre Graecos solis Persis resistere posse. Sed apud nos hoc reperitur, quod tu ais; quamquam non frequens, sed rarum: sunt enim inter Persas, in satellitum meorum numero, viri qui cum tribus simul Graecis pugnam inire non detrectabunt: quorum tu inexpertus, multa nugaris.»

CIV. Ad haec Demaratus, «Rex, inquit, ab initio noveram, vera me dicentem non dicturum grata tibi: sed, quoniam me coegisti verissima eloqui, dixi quae ad Spartanos attinent. (2) Quamquam, quo pacto ego nunc maxime adversus illos adfectus sim, tu optime nosti; quum illi me, honore et muneribus paternis spoliatum, domo atque patria pepulerint: quem tuus pater benigne exceptum, victu ac domicilio donavit. Quare credibile non est, hominem sanae mentis exploratam respuere benevolentiam, sed eam potius quam maxime complecti. (3) Ego vero neque cum decem simul viris posse me dimicare praedico, nec cum duobus: et, mei si res arbitrii sit, ne cum uno quidem congrediar. Quod si vero necessitas aut magnum aliquod discrimen urgeret, libenter admodum cum uno ex his viris congrederer, quorum unus quisque tribus se parem ait esse Graecis. (4) Ita etiam Lacedaemonii, singuli cum singulis pugnantes, nullis viris sunt inferiores; conferti vero, omnium hominum fortissimi. Licet enim liberi sint, non sunt tamen omni ex parte liberi: praeest enim eis domina, Lex; quam illi dominam multo magis timent, quam te dominum tui. Faciunt certe quidem semper id quod lex imperat: imperat autem illa semper idem, vetans ex acie profugere quantacumque sit hostium multitudo, jubens vero in ordine suo stantes aut vincere aut occumbere. (5) At si nugari videor tibi haec dicendo, desino reliqua persequi: nunc, quae dixi, coactus dixi. Cedant autem tibi omnia ex tua, rex, sententia!»

CV. Haec a Demarato dicta in risum vertit Xerxes neque ulla concitatus est ira, sed comiter hominem dimisit: (2) eoque absoluto colloquio, exercitum per Thraciam adversus Graeciam eduxit, postquam Dorisco huic, ubi adhuc moratus erat, Mascamen praefecit, Megadostis filium, amoto ab hac dignitate praefecto illo qui a Dario erat constitutus.

CVI. Mascames autem hic, qui ibi relictus est, talem se virum praestitit, ut ei uni deinde Xerxes quotannis munera mittere consueverit, tamquam qui praeter omnes, quotquot aut ipse aut Darius praefectos constituerat, fortissime rem gessisset: eodemque honore Artaxerxes etiam, Xerxis filius, posteros Mascamis prosecutus est. (2) Constituti enim jam ante hanc expeditionem erant regii praefecti in Thracia et ubique in Hellesponto. Hi igitur omnes, tam qui in Thracia erant, quam qui in Hellesponto, excepto Dorisci praefecto, post hanc Xerxis expeditionem ejecti sunt a Graecis: Mascamen vero, Dorisci praefectum, nulli umquam, quamquam multi conati sunt, ejicere potuerunt; quam ob caussam constanter ei dona mittuntur a rege Persarum.

CVII. Ex illorum autem numero, qui a Graecis ejecti sunt, nullum rex Xerxes fortem fuisse virum judicavit, praeterquam unum Bogen, Eionis praefectum: (2) quem laudare ille non desiit, et filios ejus in Persis relictos praecipuo honore prosequebatur. Etenim insigni etiam laude dignus Boges fuit: qui ab Atheniensibus et Cimone Miltiadis filio oppugnatus, quum potuisset fide data salvus egredi et in Asiam redire, noluit, ne per ignaviam vitae suae consuluisse videretur regi, sed ad extremum usque duravit. (3) Postquam autem nihil alimenti in urbe fuit reliquum, ingenti rogo exstructo, liberos et uxorem et pellices et famulos jugulavit, jugulatosque in ignem conjecit: deinde, auro omni et argento, quod in urbe erat, per murum in Strymonem disperso, se ipsum super illorum cadavera in ignem praecipitavit. Itaque merito hic vir ad hunc usque diem a Persis laudatur.

CVIII. Xerxes vero, ex Dorisco in Graeciam ducens exercitum, per quoscunque iter faciebat populos, cunctos secum militare coegit. Erat enim, ut jam ante exposui, omnis ille tractus usque ad Thessaliam in Persarum ditione et regi tributaria, a Megabazo primum, ac dein a Mardonio subacta. (2) Iter autem ex Dorisco faciens praeteriit primum Samothracica castella, quorum postremum ad occidentem situm est oppidum cui nomen Mesembria; cui proximum est Thasiorum oppidum Stryme. Inter haec duo oppida medius interfluit Lissus fluvius; qui tunc non suffecit aquae praebendae exercitui Xerxis, sed defecit. Vocabatur autem olim haec regio Gallaica, nunc vero Briantica: at est etiam haec, verum si quaeris, Ciconum.

CIX. Trajecto Lissi fluvii alveo exsiccato, praeter Graecas hasce civitates duxit, Maroneam, Dicaeam, Abdera. Praeter has, inquam, iter fecit, et praeter claros lacus circa illas sitos hosce: Ismaridem lacum, qui est inter Maroneam et Strymen; tum, prope Dicaeam, Bistonidem lacum, in quem duo fluvii aquam infundunt, Trauus et Compsatus. (2) Circa Abdera praeter lacum quidem notabilem nullum Xerxes praeteriit; Nestum vero fluvium trajecit, qui ibi in mare influit. Post has regiones ulterius progrediens, praeteriit continentis oppida: quorum ad unum est lacus triginta fere stadiorum in circuitu, piscosus, et salsus admodum. Hunc lacum sola jumenta potando arefecerunt: nomen oppido illi est Pistyrus. Omnia vero ista oppida maritima et Graecanica a sinistra relinquens praeteriit.

CX. Populi autem Thracici, quorum per fines agmen Xerxes duxit, hi sunt: Paeti, Cicones, Bistones, Sapaei, Dersaei, Edoni, Satrae. Ex his qui ad mare habitant, navibus regem secuti sunt; qui mediterranea incolunt, quos recensui, exceptis Satris, reliqui omnes pedibus sequi coacti sunt.

CXI. Satrae vero nullius umquam hominis imperio, quod equidem noverim, fuerunt subjecti: sed soli ex Thracibus ad meam usque aetatem liberi semper permanserunt. Incolunt enim praealtos montes, nemoribus omnis generis et nive obtectos, suntque bello inprimis strenui. Hi sunt, qui Bacchi oraculum possident. (2) Oraculum hoc in altissimis montibus situm est; et Bessi sunt qui apud Satras in hoc templo oracula interpretantur; oracula autem sacerdos mulier edit, sicuti Delphis, neque illa magis perplexa.

CXII. Regionem quam dixi emensus Xerxes, deinde praeter Pierum castella transiit, quorum uni Phagres nomen est, alii Pergamus. Et hac quidem iter juxta ipsa castella fecit, a dextra Pangaeum relinquens, vastum montem et praealtum; in quo et auri et argenti insunt metalla, quae partim a Pieribus, partim ab Odomantis, maxime vero a Satris exercentur.

CXIII. Postquam per populos a septentrione Pangaei habitantes, per Paeones, Doberes et Paeoplas transiit, versus occidentem vertit, donec ad fluvium Strymonem pervenit, et ad Eionem urbem; cui tunc adhuc vivus praefectus erat Boges, cujus paulo ante haec feci mentionem. (2) Terra haec circa Pangaeum montem Phyllis vocatur; quae, occidentem versus, ad fluvium Angiten pertinet, qui in Strymonem influit; versus meridiem vero ad ipsum Strymonem, cui sacra fecerunt Magi, mactatis in eum equis albis.

CXIV. Hisce et multis aliis incantamentis in fluvium peractis, in Novem Viis Edonorum per pontes fecerunt iter, quibus junctum Strymonum invenerunt. (2) Quem locum ubi audierunt Novem vias vocari, totidem ibi pueros ac virgines virorum indigenarum vivos defoderunt. (3) Persicus hic mos est, vivos defodere. Nam et Amestrin, Xerxis uxorem, audio, aetate provectam, bis septem Persarum illustrium liberos defodi jussisse, deum qui sub terra esse dicitur ea defossione pro sua salute remuneraturam.

XCV. Ut a Strymone profectus est exercitus, ibi versus occidentem est ora maris, in qua sitam urbem Graecam Argilon praeteriit. Regio haec, et quae supra est, Bisaltia vocatur. (2) Inde sinum, cui Neptuni templum imminet, a sinistra habens, postquam per Syleum qui vocatur campum transiit, et Stagirum praeteriit Graecam urbem, Acanthum pervenit; singulos horum populorum et eorum qui circa Pangaeum incolunt, simul secum ducens, pariter atque illos quos supra commemoravi: quorum hi qui ad mare habitant, navibus ei militabant; qui vero supra mare, pedibus sequebantur. (3) Viam autem hanc, qua rex Xerxes exercitum duxit, nec confundunt Thraces, nec conserunt, sed ad meam usque aetatem magnopere venerantur.

XCVI. Acanthum ut Xerxes pervenit, hospitium Acanthiis edixit, et Medica veste eos donavit laudavitque, promptos videns ad bellum, cognitoque eorum circa fossam studio.

CXVII. Dum Acanthi versatur Xerxes, morbo mortuus est Artachaees, qui fossae fuerat praefectus, probatus regi vir, genere Achaemenides, statura inter Persas cunctos eminens, quippe non nisi quattuor digitis brevior quinque cubitis regiis, idemque omnium hominum vocalissimus. (2) Itaque ingenti luctu adfectus Xerxes magnifice illum extulit humavitque, et universus exercitus tumulo humum adgessit. Huic Artachaei ex oraculi effato sacra faciunt Acanthii, nomen ejus invocantes. Ita rex Xerxes obitum Artachaeis luctu prosecutus est.

CXVIII. Graeci vero ii, qui exercitum exceperunt, hospitiumque praebuere Xerxi, ad extremam redacti sunt miseriam, adeo ut suis etiam laribus fierent extorres. Quippe Thasiis quidem, quum nomine civitatum suarum, quae in continente sunt, Xerxis exercitum hospitio et coena excepissent, Antipater Orgis filius ad id delectus, vir inter cives suos in primis probatus, demonstravit insumpta in coenam fuisse quadringenta argenti talenta.

CXIX. Similemque aliarum etiam civitatum principes rationem impensarum reddiderunt. Erat enim coena, utpote[TR12] multo ante indicta, et magna cura adparata, hujus modi. (2) Simul atque praeconum vocem audiverunt per civitates adventum exercitus adnunciantium, partiti inter se oppidani frumentum quod in urbe erat, farinam triticeam et hordeaceam multos per menses conficiebant omnes; simulque pecora saginabant, pulcritudine et pretio exquisita, avesque tam terrestres quam palustres et domibus et in vivariis alebant, quibus exciperent exercitum; denique aurea et argentea pocula crateresque et reliqua omnia quae mensae imponuntur, comparabant. (3) Et haec quidem soli utique regi ejusque convivis comparabantur; reliquo vero exercitui sola cibaria imperata. Quando advenit exercitus, tabernaculum structum paratumque erat, quae mansio esset ipsi Xerxi: reliquus exercitus sub dio agebat. (4) Ubi coenae

aderat hora, hi qui hospites recipiebant laboris abunde habebant: illi vero, postquam bene pasti noctem ibi transegerunt, postridie revulso tabernaculo, et ablatis quaecumque moveri poterant, discedebant, nihil relinquentes, sed asportantes omnia.

CXX. Quam in partem commode dictum memoratur Megacreontis, civis Abderitae, qui suasit Abderitis, ut cives universi, mares atque feminae, templa adirent sua, supplicesque precantur a diis, ut posthac dimidium imminentium malorum velint amoliri, et praeteritorum caussa gratias eisdem diis agerent, quod rex Xerxes non bis singulis diebus cibum capere consuesset. Quodsi enim imperatum Abderitis fuisset, prandium etiam similiter atque coenam parare, duorum alterutrum illis fuisse eligendum, aut non manere advenientem Xerxem, aut, si mansissent, omnium hominum pessime attritum iri. Isti igitur, quamquam gravissime adflicti, tamen exsecuti sunt mandatum.

CXXI. Acantho Xerxes classem a se dimisit, iter persequi jussam, mandato dato praefectis, ut navales copiae ad Thermam sese opperirentur: ad illam dico Thermam, quae Thermaeo sinui imminet, qui ab illa etiam nomen invenit: hac enim maxime compendiariam esse viam cognoverat. (2) Quippe a Dorisco, usque Acanthum, in hunc modum ordinatus exercitus fecerat iter: terrestres omnes copias in tria agmina aequis fere partibus Xerxes partitus erat; quorum unum jussum erat secundum mare simul cum classe iter facere; ei Mardonius et Masistes praeerant; (3) alterum ex tribus agmen, ducibus Tritantaechme et Gergi, per mediterranea proficiscebatur; tertia pars, cum qua ipse erat Xerxes, media incedebat inter reliquas via, ducesque habebat Smerdomenem et Megabyzum.

CXXII. Navalis igitur exercitus, postquam a Xerxe dimissus est, per fossam navigavit, quae per Athon montem in eum sinum perducta erat, supra quem situm est Assa oppidum, et Pilorus, et Singus, et Sarta; inde, adsumpta ex his quoque oppidis militum manu, in Thermaeum sinum navigare perrexit. (2) Deinde Ampelon circumvectus, Toronaeum promontorium, praeter Graecas hasce civitates navigavit, Toronam, Galepsum, Sermylam, Mecybernam, Olynthum; e quibus item naves et milites adsumpsit. Nomen hujus regionis Sithonia est.

CXXIII. Ab Ampelo dein promontorio idem nauticus Xerxis exercitus rectam viam ad Canastraeum promontorium carpens, quod ex universa Pallene maxime prominet, naves inde et milites ex Potidaea et Aphyti et Neapoli et aega et Therambo et Sciona et Menda et Sana adsumpsit: haec enim sunt oppida in Pallene, quae nunc vocatur, sita; cui regioni olim Phlegra fuerat nomen. (2) Hanc regionem praetervectus, in constitutum locum navigavit, obiter adsumptis etiam copiis ex oppidis Pallenae finitimis, et Thermaeo sinui adjacentibus, quorum haec sunt nomina: (3) Lipaxus, Combrea, Lisae, Gigonus, Campsa, Smila, aenea. Regio, in qua insunt haec oppida, etiam nunc Crossaea vocatur. (4) Ab aenea, in qua finem enumerandorum oppidorum feci, jam in ipsum Thermaeum sinum, et in terram Mydoniam navigavit classis, pervenitque ad praedictam urbem Thermam, et Sindum et Chalestram oppidum, ad Axium fluvium; qui Mygdoniam a Bottiaeide disterminat, cujus in regionis arcto ad mare spatio oppida sunt Ichnae et Pella.

CXXIV. Classis igitur ibi circa Axium fluvium[TR13] et Thermam urbem aliaque in medio sita oppida in statione mansit, regem exspectans. Xerxes vero et terrestris exercitus, ex Acantho profectus, per mediterranea carpsit viam, Thermam tendens. (2) Fecit autem iter per Paeonicam terram et per Crestonicam ad fluvium Echedorum, qui e Crestonaeis initio sumpto per Mygdoniam fluit, et juxta paludem, quae est supra Axium fluvium, in sinum illum aquas suas infundit.

CXXV. Hac dum iter fecit Xerxes, in camelos impedimenta portantes impetum fecere leones. Hi enim noctu e consuetis suis sedibus descendentes, nullo alio neque jumento tacto, neque homine, solas corripiebant camelos. (2) Atqui mirari subit, quid caussae fuerit quod leones compelleret, ut, intactis reliquis omnibus, solis camelis insidiarentur, quum numquam vel vidissent hoc animal, vel periculum ejus fecissent.

CXXVI. Sunt autem in his regionibus frequentes leones, et boves item silvestres, quorum cornua immani sunt magnitudine; quae in Graeciam solent importari. (2) Terminus autem leonibus est Nestus fluvius per Abdera fluens, et Acarnaniam perfluens Achelous. Nam nec orientem versus ulla in parte anterioris Europae ultra Nestum leonem aliquis videat, nec ab occidente Acheloi in reliqua continente; sed inter duos istos fluvios leones gignuntur.

CXXVII. Thermam ut Xerxes pervenit, substitit ibi cum exercitu. Obtinebant autem castra exercitus ejus totam oram maritimam, inde a Therma urbe et terra Mygdonia usque ad Lydiam fluvium et Haliacmonem, qui Bottiaeam a Macedonia disterminant, in eumdem alveum aquas suas confundentes. (2) Tantum terrae spatium occuparunt barbarorum castra. Fluviorum autem, quos commemoravi, solus Echedorus, e Crestonaeis fluens, ad potandum non suffecit exercitui, sed aqua illum destituit.

CXXVIII. Xerxes vero ex Therma prospectans Thessalicos montes, Olympum atque Ossam, altitudine mirum in modum eminentes, ut rescivit in medio illorum angustam esse convallem, quam perfluat Peneus amnis, audivitque esse ibi viam quae in Thessaliam ferat, cupidus fuit nave conscensa spectandi ostium Penei: quippe ducturus erat exercitum superiore via per Macedonas superne habitantes in Perrhaebos praeter Gonnon urbem, quum tutissimum illac iter esse rescivisset. (2) Et sicut cupivit, ita fecit. Conscensa nave Sidonia, quam eamdem semper conscendere consueverat, quoties tale quidpiam susciperet, signum reliquis etiam navibus proposuit solvendi, relicto ibi pedestri exercitu. (3) Ubi ad ostium Penei Xerxes pervenit, illudque spectavit, ingenti captus est admiratione: advocatosque viae duces interrogavit, fierine posset, ut averteretur fluvius et alia parte in mare derivaretur.

CXXIX. Thessaliam fama est lacum olim fuisse, utpote altissimis montibus undique circumclausam. (2) Etenim latus orienti obversum praecludunt Pelion et Ossa montes, quorum radices sese contingunt; septemtrionale latus Olympus praecludit, occidentale Pindus, meridiei et Noto obversum Othrys: et cava terra inter praedictos montes intercepta, Thessalia est. (3) Igitur quum in hanc terram et alii frequentes rivi et quinque prae caeteris clari influant hi, Peneus,

Apidanus, Onochonus, Enipeus, et Pamisus; omnes hi modo nominati rivi, ex montibus Thessaliam cingentibus in hunc campum influentes, per unam convallem, eamque angustam, exitum habent in mare, postquam in unum alveum aquas suas cuncti ante infuderunt: qui ex quo confluxere, caeteri nomem omittunt suum, et unum Penei nomen manet. (4) Pristinis vero temporibus, quum convallis illa nondum existeret, quae exitum aperit aquis, aiunt rivos illos, et praeter rivos Boebeidem lacum, nomina quidem ea quibus nunc adpellantur non habuisse, sed nihilo minus quam nunc fluxisse, atque adeo effecisse ut pelagus esset tota Thessalia. (5) Et ipsi quidem Thessali aiunt, Neptunum fecisse convallem illam, per quam tamquam canalem effluit Peneus: nec praeter rationem hoc adfirmant. Qui enim Neptunum existimat movere terram, et, quae terrae motu diducta sunt, opera hujus dei esse; is istud quoque videns dixerit, Neptunum id fecisse. Est enim illa montium diductio, ut mihi plane adparebat, terrae motu effecta.

CXXX. Viae autem duces, quaerenti Xerxi an alius foret Peneo exitus in mare, rem adcurate compertam habentes, responderunt: «Non est, rex, huic flumini alius exitus qui ad mare pertineat, nisi hic ipse: est enim tota Thessalia undique montibus cincta.» Ad haec Xerxes dixisse memoratur: «Prudentes viri sunt Thessali: (2) itaque jam multo ante sibi praecaverunt, melius sibi consulentes, quum alioquin, tum quod terram incolunt captu et expugnatu facilem. Nulla enim alia re fuerit opus, nisi ut hoc flumen in illorum terram immittatur aggere ex hac convalle repulsum, et ex iis per quos nunc fluit alveis aversum, quo universa Thessalia praeter montes, aquis mergeretur.» (3) Haec dixit ad Aleuae filios spectantia, quod illi, Thessali quum essent, primi Graecorum sese regi tradiderant, quos de communi gentis consilio societatem sibi pollicitos esse Xerxes arbitrabatur. His dictis, quae voluerat contemplatus, Thermam renavigavit.

CXXXI. Ibi tum aliquammultos dies in Pieria est commoratus. Etenim montem Macedonicum tertia pars exercitus tondebat, ut illac universae copiae in Perrhaebos transirent. Interim praecones per Graeciam ad postulandam terram dimissi redierunt; alii vacui, alii terram et aquam adferentes.

CXXXII. Qui haec dederunt populi, hi fere fuere: Thessali, Dolopes, aenianes, Perrhaebi, Locri, Magnetes, Malienses, Achaei Phthiotae, Thebani et reliqui Boeoti, exceptis Thespiensibus et Plataeensibus. (2) Contra hos Graeci ii, qui bellum adversus barbarum susceperunt, foedus pepigerunt interposito juramento, cujus haec erat formula: Quicumque populi Graeci Persae sese tradiderint, nulla necessitate coacti, rebus suis bene habentibus, hos Delphico deo decimam proventuum dare debere. Haec formula foederis fuit a Graecis contra hos initi.

CXXXIII. Athenas autem et Spartam praecones ad terram postulandam Xerxes non misit, hac de caussa: superiori tempore, quum ad hoc ipsum Darius legatos misisset, hos, qui postulatum venerant, Athenienses in barathrum, Lacedaemonii vero in puteum praecipitaverant, jussos ex his terram et aquam capere regi adferendam. (2) Hanc ob caussam ad hos Xerxes non misit qui postularent. Quod quidem ob facinus adversus praecones admissum quidnam Atheniensibus mali acciderit, dicere non possum, nisi quod terra eorum et urbs evastata est: at hoc quidem non illam ob culpam puto accidisse.

CXXXIV. In Lacedaemonios vero incubuit Talthybii ira, praeconis Agamemnonis. Est enim Spartae Talthybii fanum: et supersunt ibi posteri Talthybii, Talthybiadae nominati, quibus hoc privilegium datum est, ut omnia praeconum munera apud Spartanos exerceant. (2) Ab illo vero tempore Spartanis sacra facientibus non contigit perlitare: idque longum per tempus apud eos obtinuit. (3) Quod quum dolerent Lacedaemonii, et in magna ponerent calamitate, concione populi saepius habita, et praeconio edito in hanc sententiam, si quis vellet Lacedaemoniorum pro Sparta mortem obire; tum vero Sperthias Aneristi filius, et Bulis Nicolai, cives Spartani, et nobili loco nati, et opibus adprime eminentes, ultro sese obtulerunt ad poenas Xerxi solvendas pro Darii praeconibus Spartae occisis. Ita hos Spartani, tamquam subituros supplicium, in Medos miserunt.

CXXXV. Estque et audacia ista horum virorum admiratione digna, et eorumdem oratio, quae fuit hujusmodi. Dum Susa proficiscuntur, veniunt ad Hydarnem. Is Hydarnes genere Persa erat, praefectus orae maritimae Asiae; (2) qui eos ad hospitium vocatos, et liberaliter exceptos, his verbis interrogavit: «Viri Lacedaemonii, quid tandem respuitis amici esse Regis? Me et res meas respicientes, videtis quo pacto sciat rex viros bonos honorare. (3) Ita igitur vos quoque si regi vos traderetis (nam viri boni esse ab ipso estis judicati), unusquisque vestrum parti cuidam Graeciae imperaturus esset regis beneficio.» Ad haec illi responderunt: «Hydarnes, non ex aequo proficiscitur hoc quod tu nobis das consilium. (4) Nam id, quod tu expertus es, nobis consulis: alterum autem non es expertus. Servire quidem nosti; libertatis vero nondum cepisti experimentum, utrum dulcis sit, annon. Hanc enim si esses expertus, consuleres nobis, ut pro ea non hastis modo pugnaremus, verum etiam securibus.» Haec illi responderunt Hydarni.

CXXXVI. Inde ubi Susa adscenderunt, et in conspectum venere regis, primum quidem, jubentibus satellitibus et vim illis adferentibus ut in terram prostrati adorarent regem, neutiquam se, etiam si in caput ab illis detruderentur, id facturos aiebant; nec enim sui moris esse adorare hominem, nec ea caussa venisse. (2) Tum, postquam ne id facerent ita repugnarunt, deinde haec et his similia dixere: «Rex Medorum, miserunt nos Lacedaemonii, ut pro praeconibus Spartae occisis poenam solvamus.» (3) Quibus Xerxes, ut erat generoso animo, haec respondit: Non se similem futurum Lacedaemoniis: illos enim, occidendo praecones, jura omnibus hominibus sancta violasse; se vero, quod in illis damnet facinus, id non admissurum; neque illos vicissim interficiendo culpa liberaturum Lacedaemonios.

CXXXVII. Ita, ratione ista a Lacedaemoniis inita, pacata in praesens tempus est Talthybii ira, licet Spartam redierint Sperthias et Bulis. (2) At multo post tempore recruduit illa, ut aiunt Lacedaemonii, in bello Peloponnesiorum et Atheniensium. Quae res, si qua alia, utique divinitus accidisse mihi videtur. (3) Nam, ut in legatos ingrueret Talthybii ira, neque cessaret priusquam exitum esset nacta, id jus et fas ferebat: quod vero in filios ingruerit horum virorum qui pacandae ejus caussa ad regem erant profecti, in Nicolaum Bulidis filium, et in Sperthiae filium Aneristum, qui Halienses [alii piscatores] Tirynthios cepit, navi oneraria navigans viris repleta; id igitur ex divini numinis memore ira accidisse plane mihi fit manifestum. (4) Hi enim, quum a Lacedaemoniis legati missi essent in Asiam, proditi a Sitalce Terei filio, Thracum rege, et Nymphodoro Pytheae filio Abderita, intercepti sunt prope Bisanthen ad Hellespontum; et in Atticam abducti, interfecti sunt ab Atheniensibus, cum eisque Aristeas Adimanti filius, Corinthius. Sed hoc quidem multis annis post hanc regis accidit expeditionem.

CXXXVIII. Sed ad superiorem revertor narrationem. Regis haec expeditio titulum quidem habebat tamquam adversus Athenas tendens, sed contra universam dirigebatur Graeciam. (2) Qua re multo ante cognita, non eodem modo Graeci omnes erant adfecti. Quippe eorum alii, quum terram et aquam Persae dedissent, confidebant nihil mali a barbaro sibi illatum iri: (3) alii vero, qui non dederant, ingenti metu tenebantur;[TR14] quum nec navium idoneus numerus esset in Graecia, quibus excipere invadentem hostem possent, et multitudo arma capere nollet, sed haud cunctanter faveret Medis.

CXXXIX. Atque hoc loco necessitas me cogit, ut sententiam dicam, invidiosam quidem illam apud plerosque homines: nec tamen me retinebo, quin id, quoniam manifeste verum mihi videtur, pronunciem. (2) Si Athenienses imminentis periculi metu terra sua excessissent, aut si manentes tradidissent se Xerxi, Graecorum nulli periculum facturi erant mari occurrendi regi. (3) Quodsi ergo mari nemo restitisset Xerxi, in continenti utique ita se res erat habitura: quantumvis multae murorum loricae per Isthmum fuissent a Peloponnesiis erectae, deserti Lacedaemonii a sociis (non illis quidem volentibus, sed necessitate coactis, quippe quorum civitates singulatim ab hostium classe fuissent expugnatae) soli fuissent relicti: soli autem relicti, fortibus editis facinoribus, generose erant occubituri. (4) Aut hoc fato erant functuri: aut, priusquam illud forent experti, quum vidissent reliquos Graecos cum Medis sentire, ipsi quoque deditionem erant facturi: atque ita, utrumlibet accidisset, Graecia in potestate erat futura Persarum. (5) Nam murorum illorum per Isthmum ductorum quaenam futura fuisset utilitas, exputare equidem non possum, quando rex maris tenuisset imperium. (6) Nunc si quis dicat, Athenienses sospitatores fuisse Graeciae, non aberraverit a vero: etenim, utram rationem rerum gerendarum illi sequerentur, ea ratio praeponderatura erat. Itaque, quum hoc sint secuti ut libera maneret Graecia, hi soli sunt, qui, quidquid Graeci nominis reliquum erat quod cum Medis non sentiret, id excitarunt, quique, secundum deos utique, regem repulerunt. (7) Neque eos oracula terribilia Delphis advenientia, ingentemque incutientia metum, movere potuerunt ut Graeciam desererent: sed permanentes sustinuerunt invadentem fines suos hostem.

CXL. Missis enim Delphos legatis consulere oraculum Athenienses voluerant. Qui legati postquam, peractis circa templum legitimis caerimoniis, aedem erant ingressi consederantque,[TR15] hoc eis Pythia, cui nomen erat Aristonica, oraculum ediderat:

O miseri, quid sedetis? fugite ad extrema terrarum, relictis

aedibus et summis collibus in-orbem-conditae urbis.

Nec enim caput firmum manebit, nec corpus,

nec extremi pedes, neque manus, nec de media quidquam

supererit, sed pernicies advenit. Disturbabit enim illam

et ignis, et acer Mavors, Syriacum agens currum.

Multaque etiam alia munita perdet loca, non modo tuum:

multaque Immortalium templa rabido dabit igni,

quae jam nunc passim stant sudore fluentia,

metuque trementia: et de summis tectis

sanguis ater defluit, inevitabilium praenuncius malorum.

Sed excedite hoc penetrali, et animi robur opponite malis.

CXLI. His auditis, Atheniensium legati gravissimo luctu erant adfecti. Qui quum ob nunciatam calamitatem prorsus abjecissent animum, Timon Androbuli filius, civis Delphensis, spectatus in primis inter suos, consuluit eis, ut sumpto oleae ramo iterum intrarent, et supplicum habitu denuo peterent oraculum. (2) Qui quum illi obsecuti essent, dixissentque:[TR16] «O rex Apollo, melius nobis oraculum de patria ede, hos supplicum ramos respiciens, quos tibi ferimus, aut ex hoc penetrali non discedimus, sed hic manebimus usque dum vita excedamus:» haec ubi dixerunt, alterum illis oraculum Pythia edidit hujusmodi:

Non potest Pallas Jovem Olympium flectere,

multis illum verbis precata prudentique consilio.

Tibi vero hoc rursus verbum edico, adamantis simile firmitate.

Quando caetera omnia capientur, quae intra Cecropis fines

et sacri Cithaeronis latebras sunt comprehensa;

Tritoniae hoc dat late-cernens Juppiter, ut ligneus murus

solus inexpugnabilis sit, qui te tuosque liberos servet.

Neque tu equitum mane peditumque invadentem

a continente numerosum exercitum tranquillus; sed recipite te,

terga vertens. Erit tempus, quum tu etiam contra stabis.

O divina Salamis! perdes tu filios mulierum

sive passim disseminata Cerere, sive collecta.

CXLII. Quae quum mitiora ipsis essent esseque viderentur quam prius editum oraculum, scripto haec consignarunt, et redierunt Athenas. Id ipsum vero responsum postquam reversi legati ad populum retulere, et aliae multae dicebantur sententiae ab his qui in mentem oraculi inquirebant, et hae duae maxime inter se conflictantes. (2) Dicebant seniorum nonnulli, videri sibi deum significare superfuturam esse arcem. Erat enim olim arx Athenarum septo munita: hi igitur, id septum cogitantes, hunc esse ligneum illum murum conjectabantur. (3) Alii contra, naves, aiebant, a deo significari; hasque parandas esse atque instruendas, omissis aliis rebus omnibus, contendebant. Hi vero ipsi, qui naves esse dicebant ligneum murum, in duobus postremis Pythiae versibus illis haesitabant:

O divina Salamis! perdes tu filios mulierum,

sive passim disseminata Cerere, sive collecta.

(4) Quae ob verba conturbabantur animi eorum qui naves interpretabantur ligneum murum. Nam interpretes oraculi in hanc sententiam verba haec accipiebant, quasi ad Salaminem essent cladem accepturi, si ad navalem pugnam sese comparassent.

CXLIII. Erat autem Athenis vir quidam, nuper inter primarios cives locum consecutus, cui erat nomen Themistocles, vulgo vero Neoclis filius adpellabatur. (2) Hic vir, negans recte ista accipi ab oraculorum interpretibus, in hanc sententiam disseruit: Si vere ad Athenienses spectaret istud dictum, non adeo miti verbo usurum fuisse, ait, deum, sed «O misera Salamis» dicturum fuisse, non «O divina Salamis;» si quidem circa eam perituri essent incolae. (3) Sed enim in hostes valere dei responsum, si quid illud recte intelligat, non in Athenienses. Itaque suasit civibus, ut ad navalem pugnam sese compararent; hunc enim esse ligneum murum. (4) Hanc in partem quum sententiam Themistocles dixisset, censuerunt Athenienses potiorem esse hanc rationem, quam illam quae erat ab oraculorum interpretibus proposita: qui, adparatum navalis pugnae dissuadentes, summam rei in eo verti contendebant, ut ne manus quidem contra invadentes hostes tollerent, sed, relicta prorsus Attica, in alia terra novas sedes quaererent.

CXLIV. Alia vero etiam ante hanc ejusdem Themistoclis sententia opportune vicerat. Quum ingentes fuissent in Atheniensium aerario pecuniae, quae ex metallis a Laureo redierant, in eoque res esset, ut ea pecunia viritim a civibus divideretur, et unusquisque decem acciperet drachmas; (2) tunc Themistocles persuaserat civibus, ut, omissa illa distributione, naves ex hac pecunia ducentas aedificarent ad bellum, bellum cum aeginetis intelligens. Hoc enim bellum, tunc conflatum, Graeciae fuit saluti, eo quod Athenienses mari dare operam coegit. (3) Sed naves hae, ad quem comparatae fuerant usum, in eum quidem non sunt adhibitae: at ita tamen opportuno tempore in promptu fuere Graeciae. Has igitur naves, ante comparatas, tunc habuere Athenienses; praeterque eas aliae erant aedificandae. (4) Et post acceptum oraculi responsum habita deliberatione decreverunt, deo obsequentes cum omnibus copiis naves conscendere, et mari, una cum eis ex Graecis qui ita vellent, excipere barbarum Graeciam invadentem. Ista igitur, quae dixi, oracula Athiensibus evenerant.

CXLV. Postquam vero in unum locum convenere quicumque ex Graecis Graeciam incolentibus meliora sentiebant, ibi tum collatis inter se sermonibus, fideque data, de communi consilio placuit, primum rerum omnium componere inimicitias et mutua bella, quae inter ipsos obtinerent. Erant autem et contra alios suscepta bella; maximum vero obtinebat inter Athenienses et aeginetas. (2) Deinde vero, quum rescivissent Sardibus cum exercitu esse Xerxem, placuit speculatores mittere in Asiam, qui res regis explorarent; tum et Argos mittere legatos, societatem adversus Persas conciliaturos; item alios in Siciliam mittere ad Gelonem Dinomenis filium, et in Corcyram, qui auxilia Graecis mittenda postularent; denique alios in Cretam: hoc consilio, ut, si fieri posset, in unum coalesceret Graecum omne genus, cunctique concordes junctis agerent viribus; quippe cunctis pariter Graecis imminente periculo. Dicebantur autem permagnae esse res Gelonis, multo ampliores quam ullius populi Graeci.

CXLVI. His ita decretis, depositis inimicitiis, primum speculatores mittunt in Asiam, tres viros. (2) Qui postquam Sardes venerunt, exercitumque explorarunt regis, deprehensi sunt, tortique a ducibus copiarum pedestrium, abducebantur supplicio adficiendi: capitis enim erant damnati. (3) Quod ubi Xerxes rescivit, improbata ducum sententia, satellitum nonnullos misit jussos ad se adducere speculatores, si vivos etiam nunc nacti essent. (4) Qui quum illos superstites invenissent, et in conspectum produxissent regis; tum vero rex, postquam ex eis quaesivit qua caussa venissent, imperavit satellitibus, ut circumducerent homines; pedestremque omnem

exercitum et equitatum illis ostenderent, spectaculoque satiatos, in quamcumque vellent ipsi regionem dimitterent incolumes.

CXLVII. Ista imperans rex, hanc rationem adjecit, ut diceret, si periissent speculatores, nec praescituros fuisse Graecos quanto regis copiae sint fama ampliores, nec ipsos magnum incommodum hostibus fuisse adlaturos tribus occisis viris: (2) verum hi si in Graeciam redierint, videri Graecos, cognitis rebus ipsius, ante susceptam hanc expeditionem libertatem suam tradituros; atque ita ne opus quidem Persis fore, ut ducendi adversus illos exercitus molestiam sustineant. (3) Similis ista regis sententia fuit alteri huic. Quum Abydi Xerxes versaretur, conspicatus est naves frumentarias ex Ponto per Hellespontum navigantes, et aeginam atque Peloponnesum petentes. (4) Consiliarii igitur qui adsidebant ei, ut cognoverunt hostiles esse naves, capere illas erant parati, respicientes nutum regis, quando ille imperium esset daturus. Xerxes vero ex illis quaesivit, quorsum[TR17] navigarent. Qui ut dixere, «Ad tuos hostes, domine; frumentum eis advehentes:» (5) respondit ille: «Atque etiam nos eodem navigamus, quo hi, et aliis rebus et frumento instructi. Quid ergo mali hi faciunt, quod frumentum nobis adportent?» (6) Speculatores igitur, quos dixi, postquam omnia spectarunt et a Xerxe dimissi sunt, ita in Europam rediere.

CXLVIII. Graeci contra Persam conjurati, postquam in Asiam speculatores mandarunt, porro Argos miserunt legatos. Aiunt autem Argivi, res tunc apud se in hunc modum esse gestas. (2) Statim ab initio cognitos ipsis fuisse adparatus quos adversus Graeciam faceret Barbarus: quumque simul intellexissent operam daturos esse Graecos, ut sese in societatem contra Persas adsciscerent, legatos se misisse Delphos, qui ex deo quaererent, quidnam facientes optime consulturi essent rebus suis: (3) nuper enim sex millia de suis occisos esse a Lacedaemoniis et a Cleomene, Anaxandridae filio; ea caussa legatos se misisse. Interrogantibus vero hoc responsum reddidisse Pythiam:

Finitimis invise, care immortalibus diis,

verutum intus tenens, cautus sede;

et capiti cave: caput enim corpus servabit.

(4) Hoc responsum sibi initio redditum a Pythia fuisse: deinde vero Argos venisse legatos; et adeuntes senatum, exposuisse mandata. (5) Ad ea Argivos respondisse, paratos se esse ea facere, si, composita cum Lacedaemoniis in triginta annos pace, dimidium imperii in universos socios ipsi obtinuissent: et aequum quidem esse, ut penes ipsos summa sit totius imperii; nihilominus autem contentos se dimidio fore.

CXLIX. Haec aiunt senatum respondisse, tametsi Argivos oraculum vetuisset contrahere cum Graecis societatem: (2) et, metuentes licet oraculum, cupidos tamen fuisse foedus in triginta annos cum Lacedaemoniis paciscendi, ut intra hos annos pueri ipsorum ad virilem pervenirent aetatem. Quodsi enim foedus non conciliaretur, veritos esse, ne, si forte ad superius malum alia quaedam calamitas in bello Persico accessisset, reliquum foret ut prorsus Lacedaemoniorum subjicerentur imperio. (3) Ad ista autem a senatu dicta eos ex legatis, qui Sparta erant missi, haec respondisse: De foedere quidem relaturos se ad multitudinem; de belli imperio autem mandatum sibi esse ut respondeant, dicereque se, duos sibi esse reges, Argivis vero unum: non posse igitur fieri, ut alteri utri regi Spartanorum abrogetur imperium. At, quin cum suis duobus Argivus aequum jus suffragii habeat, nihil impedire. (4) Ita, aiunt Argivi, non ferendam sibi visam esse Spartanorum arrogantiam, maluisseque se sub barbarorum esse imperio, quam Lacedaemoniis parere: edixisseque senatum legatis, ut ante solis occasum finibus suis excederent; id ni facerent, hostium loco habitum iri.

CL. Ista quidem his de rebus ipsi memorant Argivi. Est vero alia fama per Graeciam vulgata; misisse Xerxem, priusquam expeditionem in Graeciam susciperet, Argos caduceatorem. (2) Qui ubi advenit, in hunc modum locutus esse fertur: «Viri Argivi, rex Persarum haec vobis dicit. Nos Persen existimamus, a quo progeniti sumus, fuisse Persei filium, Danaae nepotem, natum ex Cephei filia Andromeda: ita igitur a vobis fuerimus oriundi. (3) Proinde aequum non est, ut aut nos progenitoribus nostris bellum faciamus, aut ut vos, aliis opem ferentes, contra nos in acie stetis; sed ut domi manentes, quietem agatis. Nam, si mihi ex sententia res successerint, nullos potiore loco, quam vos, habebo.» (4) Haec audientes, Argivos magni fecisse: et statim quidem, nihil nec pollicitos esse Graecis, nec ab illis postulasse; sed, postquam eos ad societatem Graeci invitarunt, tum vero, quum bene gnari essent Lacedaemonios secum non communicaturos esse imperium, dimidium illius postulasse, ut hoc praetextu utentes otium agerent.

CLI. Cum his etiam congruere, aiunt Graecorum nonnulli, aliam rem, quae quidem multis post annis incidisse memoratur. Adfuisse tunc forte Susis Memnoniis, alterius cujuspiam rei caussa, legatos Atheniensium, Calliam Hipponici filium, ejusque collegas: (2) Argivos vero et ipsos, per idem illud tempus missis Susa legatis, ex Artaxerxe quaesivisse, utrum sibi adhuc firma maneat amicitia quam cum Xerxe conciliassent, an hostes ab illo judicentur. His regem Artaxerxem respondisse, utique firmam manere, neque se ullam civitatem sibi magis amicam, quam Argos, existimare.

CLII. Jam vero, an revera Xerxes caduceatorem Argos miserit ista dicentem; et an Argivorum legati, Susa profecti, Artaxerxem de amicitia interrogaverint; id equidem pro certo confirmare non possum: nec de his aliam pronuncio sententiam, nisi quam ipsi dicunt Argivi. (2) Caeterum hoc satis scio, si omnes homines propria mala in commune conferrent, cum aliorum malis illa permutaturi, fore ut unusquisque, propius inspectis aliorum malis, lubens rursus ea reportaret, quae ipse attulisset. Ita nimirum non turpissime Argivi egerunt. (3) Ego autem dicere debeo quae memorantur; nec vero omnibus utique fidem debeo adhibere: atque hoc idem in universam hanc Historiam dictum intelligi velim. Nam et hoc traditur, Argivos advocasse Persam in Graeciam, quum male illis cessisset adversus Lacedaemonios bellum, quumque quidvis potius sibi accidere mallent, quam in tristi eo statu, quo tunc erant, manere. Atque haec de Argivis hactenus.

CLIII. In Siciliam et alii a sociis missi legati venerunt, cum Gelone acturi, et a Lacedaemoniis missus Syagrus. (2) Gelonis hujus progenitor, Gelae incola, ex Telo insula erat, contra Triopium sita: qui, quum a Lindiis ex Rhodo, duce Antiphemo, Gela conderetur, coloniae fuerat socius. (3) Hujus posteri, procedente tempore, hierophantae fuerunt Inferarum Dearum, et constanter idem munus tenuerunt; ad quod Telines, unus ex illorum majoribus, tali modo fuerat promotus. (4) Cives nonnulli Geloi, in seditione victi ab adversariis, in Mactorium oppidum confugerant supra Gelam situm. Hos Telines Gelam reduxit, nulla hominum manu adjutus, sed solis sacris harum dearum. Unde vero haec sumpserit, aut quomodo nactus sit, dicere non possum. (5) Sed his fretus reduxit illos hac conditione, ut posteri ipsius hierophantae illarum dearum essent. Quod autem audio rem tantam a Teline esse perfectam, id eo magis etiam miror, quod, quum talia non a quolibet homine patrari posse existimaverim, sed ab animo forti et virili robore debere proficisci, hic e contrario perhibetur a Siciliae incolis effeminatus et mollis admodum homo fuisse. At is quidem ita munus hoc obtinuerat.

CLIV. Mortuo Cleandro, Pantaris filio, qui, postquam septem annis Gelae fuerat tyrannus, a Sabyllo cive Geloo est interfectus; ibi tum Hippocrates, Cleandri frater, monarchiam suscepit. (2) Quo regnante Gelon, unus e posteris Telinis hierophantae, cum aliis multis, et in his cum aenesidemo Pataeci filio, qui corporis custos fuit Hippocratis, ... (3) Nec vero multo post Gelon ob virtutem praefectus universi equitatus nominatus est. Nam quum Callipolitas et Naxios oppugnaret Hippocrates, et Zanclaeeos et Leontinos, itemque Syracusios et barbarorum multos; in cunctis his bellis praeclare Gelonis virtus emicuit. (4) Earum autem quas dixi civitatum nulla, praeter Syracusas, effugit quin in servitutem ab Hippocrate redigeretur. Syracusios vero, praelio victos ad Elorum fluvium, liberaverunt Corinthii et Corcyraei, conciliata pace in hanc conditionem, ut Camarinam Hippocrati traderent Syracusii: nam antiquitus Syracusiorum Camarina fuerat.

CLV. Postquam vero Hippocrati etiam, quum totidem annos quot Cleander frater regnasset, accidit ut ad Hyblam urbem, bellum gerens cum Siculis, occumberet; tunc nimirum hic Gelon, nomine quidem tenus opem ferens filiis Hippocratis Euclidi et Cleandro, quibus jam parere cives noluerant, re vera autem, praelio victis Gelois, solus ipse regnavit, Hippocratis filiis imperio fraudatis. (2) Quae res quum ei praeter spem successisset, deinde gamoros quos vocant Syracusiorum (id est praediorum possessores) urbe ejectos a populo et a propriis servis, qui Cillicyrii vocantur, ex Casmena oppido Syracusas reduxit, atque ita hac quoque urbe potitus est: populus enim Syracusiorum adventanti Geloni et se et urbem tradidit.

CLVI. Syracusis potitus Gelon jam non tanti fecit Gelae imperare: itaque hanc urbem fratri suo Hieroni permisit, ipse vero Syracusas quolibet modo munivit et auxit: erantque ei Syracusae loco omnium. Et brevi haec urbs crevit floruitque. (2) Nam et Camarinaeos cunctos, Syracusas transductos, cives fecit, diruta Camarina urbe: et majore parte Geloorum civium eodem modo, quo Camarinaeis, usus est. (3) Megarenses quoque Siciliam incolentes, quum ab illo oppugnati in deditionem venissent; opulentiores eorum, qui bellum contra eum suscitaverant, et ob id se perditum iri putabant, pariter Syracusas transduxit, civesque fecit; (4) plebem autem Megarensium, quae belli non fuerat auctor, et nihil ab illo mali se passuram exspectabat, hanc

item Syracusas perductam vendidit ea conditione, ut e Sicilia exportarentur. (5) Eodemque modo etiam Euboeensibus usus est Siciliam incolentibus, discreta plebe a locupletibus. Egit autem ita cum utrisque hac caussa, quod molestiae et periculi plenum putaret, una cum plebe habitare. Tali modo potens tyrannus Gelon evaserat.

CLVII. Tunc vero, postquam Syracusas venere Graecorum legati, in conspectum Gelonis producti, haec apud eum verba fecerunt: «Miserunt nos Lacedaemonii et Athenienses horumque socii, ad societatem adversus Barbarum te invitaturos. (2) Haud dubie enim hunc nosti Graeciam invadentem; virum Persam, qui Hellesponto ponte juncto universas Orientis copias ex Asia transducturus est, et bellum illaturus Graeciae; caussam quidem praetexens, contra Athenas se ducere exercitum, in animo autem habens totam sibi Graeciam subjicere. (3) Tu vero magna praeditus es potentia, et haud minima pars Graeciae apud te est, quippe qui imperas Siciliae. Succurre igitur liberantibus Graeciam, cum eisque eam libera! (4) Etenim junctis Graeciae viribus omnibus magna contrahitur manus, et pares sumus invadenti hosti. Sin nostrûm alii nos produnt, alii vindicare nolunt, et exigua pars Graeciae sana est; tunc vero est verendum, ne Graecia pereat universa. (5) Noli enim existimare, si nos praelio victos Persa subegerit, non eumdem ad te pariter venturum; sed, priusquam istud accidat, tibi prospice. Nobs enim opem ferens, te ipsum tutum praestabis. Et rem bono consilio susceptam bonus plerumque sequi exitus solet.» Sic illi locuti sunt.

CLVIII. Gelon vero, vehementer illos increpans, in hunc modum respondit: «Viri Graeci, arroganti utentes oratione ausi estis me hortari ut subsidio vobis veniam adversus Barbarum. (2) At iidem vos, quum prius ego vos rogavi, ut barbarorum exercitum mecum adgrederemini, quo tempore adversus Carthaginienses bellum mihi incumbebat, obtestatusque sum ut Doriei necem, Anaxandridae filii, ab Egestaeis commissam ulcisceremini, simulque adjutorem me vobis obtuli ad liberanda emporia, e equibus magna commoda fructusque ad vos redibant, nec mei caussa venistis ad opem mihi ferendam, neque ad ulciscendam Doriei caedem; et, per vos si stetisset, omnia haec in barbarorum forent potestate. (3) At, postquam bene atque prospere mihi omnia cesserunt, nunc, ubi in vos versum est bellum, in vosque ingruit, ita demum memoria vos subiit Gelonis. (4) Verumtamen, quamvis a vobis turpiter fuerim contemptus, non ego vestrûm ero similis, sed paratus sum opem vobis ferre, ducentas praebiturus triremes, et vicies mille milites gravis armaturae, bis mille equites, bis mille sagittarios, bis mille funditores, et bis mille cursorios equites leviter armatos: denique universo Graecorum exercitui frumentum me suppeditaturum, usque dum debellarimus, recipio. (5) At hac conditione haec polliceor, ut dux et imperator sim Graecorum adversus Barbarum: alia conditione neque ipse venturus sum, nec alios missurus.»

CLIX. Haec audiens non tulit Syagrus, et his verbis respondit: «Ingentia profecto lamenta tolleret Pelopides Agamemnon, si audiret Spartanis imperium ablatum a Gelone et Syracusiis. (2) Immo hujus conditionis ne porro mentionem facias, ut tibi tradamus imperium. Sed, si vis auxilio venire Graeciae, scito sub Lacedaemoniorum te fore imperio: id si tibi non placet, noli auxilio venire.»

CLX. Ad haec Gelon, videns aversantem Syagri sermonem, postremam hanc illis proposuit conditionem: «Hospes Spartane, inquit, contumeliosa verba, in hominem projecta, iram solent

excitare: at tu, quamvis contumelioso usus sermone, me tamen non induces ut in respondendo sim immodestus. (2) Quandoquidem vero vos tanto studio urgetis ut imperium teneatis, consentaneum est ut ego majori etiam studio, quam vos, mihi hoc postulem, quippe multo majorem exercitum multoque plures naves vobis adducturus. At quoniam adeo ardua vobis haec conditio posita est, nos de eo quod prius postulavimus, nonnihil concedemus. (3) Si pedestribus copiis vos praefueritis, ego nauticis praeero: sin vobis volupe est classi praeesse, ego pedestribus praeero copiis. Aut in alterutro horum adquiescere vos oportet, aut abire talibus sociis destitutos.» Haec igitur Gelon proponebat.

CLXI. Verum antevertens Atheniensium legatus Lacedaemonium, his verbis illi respondit: «Rex Syracusiorum, non ducem petituros nos ad te Graecia misit, sed exercitum. Tu vero negas exercitum te missurum, nisi Graeciae imperes; nempe imperare illi cupis. (2) Quatenus igitur universi Graecorum exercitus ducatum tibi postulasti, satis nos Athenienses habuimus silentium tenere, bene gnari idoneum fore Laconem ad rationem tibi pro utrisque reddendam: nunc vero, ubi de universi imperii summa concedens, classis postulas imperium, sic tibi habe. (3) Si vel Laco tibi concederet classis imperium, nos non concederemus: nostrum enim hoc munus est, nisi Lacedaemonii id velint. His ergo, si classis obtinere imperium voluerint, non repugnamus: alii vero id concedemus nemini. (4) Sic enim frustra nos maximas Graecorum omnium nauticas copias paratas haberemus, si Syracusiis nos Athenienses imperio cederemus, qui populum exhibemus antiquissimum, solique sumus Graecorum qui numquam solum vertimus: quo de populo etiam Homerus poeta fortissimum virum ait ad Ilium venisse, et ordinasse instruxisseque exercitum. Quo minus reprehendendi sumus quod ista dicimus.»

CLXII. Tum vero Gelon, «Hospes Atheniensis, ait, vos videmini imperatores quidem habere, sed, quibus hi imperent, non habituros. Quoniam igitur nihil remittentes, omnia vultis tenere; ocyus hinc abire maturate, domumque reversi nunciate Graeciae, ver ei ex anno esse exemptum.» (2) Cujus dicti haec sententia est, quam ille significare voluit: nempe satis constat, praestantissimam anni partem ver esse; suum autem exercitum praestantissimam partem dixit in Graecorum exercitu. Itaque Graeciam, societate ipsius destitutam, comparavit cum anno, cui ver sit exemptum.

CLXIII. Legati igitur Graecorum, hisce cum Gelone actis, domum navigarunt. Atque ita tunc Gelon, timens quidem Graecis, veritusque ne superando Barbaro impares sint futuri, sed indignum et intolerabile existimans, ipsum, in Peloponnesum trajicientem, sub imperio esse Lacedaemoniorum, quum Siciliae sit tyrannus; hanc quidem aspernatus est conditionem, sed aliam rationem est secutus. (2) Simul atque Persam intellexit transiisse Hellespontum, cum tribus navibus actuariis quinquaginta remorum Cadmum, Scythae filium, genere Coum, Delphos misit, multis pecuniis et pacificis mandatis instructum, qui belli exitum exspectaret, et quidem, si vicisset Barbarus, pecunias ei et terram et aquam nomine Gelonis traderet; sin Graeci vicissent, pecunias reportaret.

CLXIV. Cadmus hic antea, quum patri in regnum Coorum firmo rerum statu successisset, sua sponte, nullo imminente periculo, sola justitia ductus, in medio Cois deposuerat regnum, et in

Siciliam migraverat. Ibi cum Samiis Zanclam urbem tenuit habitavitque, eam cujus nomen in Messanam mutatum est. (2) Hunc igitur Cadmum, qui isto modo in Siciliam venerat, Gelon propter reliquam etiam viri justitiam sibi perspectam, Delphos misit: isque praeter alia justitiae documenta etiam hoc non minimum a se editum reliquit, (3) quod, quum magnas in manibus haberet pecunias a Gelone sibi creditas, intervertere eas, quamquam nihil prohibebat, noluerit; sed, postquam pugna navali vicerant Graeci, et Xerxes cum exercitu abierat, ipse etiam in Siciliam reversus pecunias omnes Geloni reportaverit.

CLXV. Memorant etiam Siculi, quamvis sub imperio futurum Lacedaemoniorum, vel sic tamen Gelonem subsidio venturum fuisse Graecis, nisi Terillus Crinippi filius, Himerae tyrannus, a Therone aenesidemi filio, Agrigentinorum monarcha, Himera ejectus, sub ipsum hoc tempus trecenta millia Poenorum et Libyum et Iberorum et Ligurum et Helisycorum et Sardorum et Corsicanorum, horumque ducem Amilcarem Annonis filium, regem Carthaginiensium, in Siciliam transduxisset. (2) Nempe Amilcarem ad istam suscipiendam expeditionem induxerat Terillus pro hospitii jure opem ejus implorans: maxime vero eum commoverat Anaxilai studium, Cretinae filii, qui, quum Rhegii esset tyrannus, traditis Amilcari filiis suis obsidibus, persuaserat ei ut in Siciliam trajiceret ad opem socero suo ferendam: filiam enim Terilli, nomine Cydippen, in matrimonio Anaxilaus habuit. Ita igitur Gelonem, aiunt, quum Graecis auxilio venire non potuisset, pecunias illas Delphos misisse.

CLXVI. Praeterea haec quoque memorant, eodem die in Sicilia Gelonem et Theronem Amilcarem Carthaginiensem praelio superasse, quo die Graeci ad Salaminem Persam superarunt. (2) Amilcarem vero, qui a patre Carthaginiensis, a matre vero Syracusius fuit, et ob virtutem ad regiam dignitatem a Carthaginiensibus erat promotus; hunc, audio, postquam collatis signis victus est praelio, disparuisse: neque enim vivum, nec mortuum, usquam terrarum fuisse repertum, quamquam Gelon omnia deligentissime perquisiverit.

CLXVII. Narrant vero Poeni, probabili ratione utentes, barbaros cum Graecis in Sicilia ab solis ortu usque ad vesperam pugnasse; (eo enim usque extraxisse pugnam;) Amilcarem autem per id tempus in castris manentem sacra fecisse et perlitasse, integra corpora super ingente pyra cremantem; tum vero, quum, vinum forte infundens sacris, suos vidisset in fugam versos, se ipsum in ignem conjecisse, atque ita crematum nusquam comparuisse. (2) Eidem vero Amilcari, sive hac ratione, quam Poeni narrant, e conspectu hominum remoto, sive altera quam Syracusii tradunt, Carthaginienses et sacra faciunt et in omnibus civitatibus, quae ipsorum sunt coloniae, monumenta erexerunt, maximum vero in ipsa Carthagine. Sed haec de Siculis rebus hactenus.

CLXVIII. Corcyraei vero aliud legatis responderunt, aliud fecerunt: nam et hos ad societatem invitarunt iidem qui in Siciliam erant missi; eademque oratione apud hos usi sunt qua apud Gelonem. (2) Et hi quidem statim polliciti sunt auxilia se missuros, dicentes non negligendam sibi esse salutem Graeciae quae si periret, nihil aliud sibi fore reliquum, nisi ut proximo quoque die servitutem servirent: itaque, quanta maxima vi possent, illi esse succurrendum. (3) Ita speciose responderant. At ubi adfuit auxilia mittendi tempus, ibi tum, alia sentientes, naves quidem compleverunt sexaginta: sed aegre in altum provecti Peloponnesum adierunt, et circa Pylum et

Taenarum Laconicae terrae, inhibitis velis naves in alto tenentes, exspectarunt hi quoque exitum belli; minime quidem sperantes fore ut Graeci superiores discedant, sed existimantes Persam ingenti reportata victoria universae Graeciae imperio potiturum. (4) Itaque consulto id fecerunt, quo haec et talia Xerxi dicere possent: «Nos, rex, quum Graeci ad hujus belli societatem adsciscerent, qui copias non minimas habemus, et navium haud minimum numerum praebere poteramus, sed maximum post Athenienses, noluimus contra te arma ferre, aut quidquam quod ingratum tibi foret, facere.» Talia dicendo sperabant melius secum, quam cum aliis, actum iri: quod etiam eventurum fuerat, ut equidem opinor. (5) Adversus Graecos vero alia eis parata excusatio erat, qua etiam usi sunt. Accusantibus enim illos Graecis quod auxilia non misissent, dixerunt: complesse se quidem sexaginta triremes, sed ventis etesiis prohibitos esse Maleam circumvehi; ea caussa ad Salaminem non pervenisse, nec ullo pravo consilio factum esse, ut pugnae navali non interfuerint. Ita hi Graecos eluserunt.

CLXIX. Cretenses, postquam eos ad belli societatem invitarunt Graeci quibus id mandatum erat, hanc iniere rationem. Communi consilio Delphos missis legatis quaesiverunt ex deo, an ex usu ipsorum esset futurum, si opem ferrent Graeciae. (2) Quibus Pythia respondit: «Stulti conquerimini quantam vobis lacrimarum materiam propter auxilium Menelao latum immiserit Minos, iratus quod, quum Graeci vobis ad ulciscendam ipsius in Camico patratam caedem operam suam non contulissent, vos illis ad vindicandam mulierem a barbaro viro e Sparta raptam socios vos adjunxistis!» Id responsum ubi ad se relatum Cretenses audivere, opem Graecis ferre supersederunt.

CLXX. Minoem quippe fama est, quum Daedalum quaerens in Sicaniam venisset, quae nunc Sicilia vocatur, violenta morte ibi occubuisse: interjecto autem tempore Cretenses hortante deo, universos praeter Polichnitas et Praesios magna cum classe in Siciliam profectos, urbem Camicum, quam mea aetate Agrigentini incolebant, quinque annis continuis oppugnasse; ad extremum vero, quum nec capere urbem, nec diutius manere fame pressi possent, re infecta discessisse. (2) Eosdem deinde, narrant, circa Iapygiam navigantes, ingenti oborta tempestate ad terram fuisse adpulsos, fractisque navibus, quum nulla in Cretam redeundi ratio adpareret, ibi mansisse, et condita Hyria urbe, ex Cretensibus mutato nomine Iapyges Messapios, et ex insulanis incolas continentis esse factos: (3) tum deinde ex Hyria reliquas ab eisdem ductas conditasque esse colonias, quas longo interjecto tempore evertere conantes Tarentini ingentem cladem passi sunt, ut caedes haec hominum Graeci generis maxima fuerit omnium quas novimus, tam ipsorum Tarentinorum, quam Rheginorum. Ex Rheginis enim civibus, qui, a Micytho Choeri filio vi coacti, auxilio Tarentinis venerant, ea occasione perierunt tria millia; ipsorum vero Tarentinorum, qui obiere, non constabat numerus. (4) Micythus autem, qui minister fuit Anaxilai, Rhegii relictus erat ad administrandam urbem; idem qui deinde Rhegio pulsus, Tegeam Arcadiae habitavit, et multas illas Olympiae statuas dedicavit.

CLXXI. Sed haec de Rheginis et Tarentinis in transcursu dicta sunto. In Cretam vero hominibus viduatam immigrasse, aiunt Praesii, alios homines, maximeque Graecos: tertia vero post Minois obitum generatione gestum esse bellum Trojanum, in quo non postremi ordinis adjutores Menelai Cretenses fuisse satis aiunt constare. (2) Pro ista vero opera Graecis navata, postquam a Troja rediissent Cretenses, famem pestemque et ipsis et gregibus ipsorum esse obortam; denique, desolata iterum Creta, tertios nunc Cretenses una cum his, qui e superioribus reliqui

fuissent, eam habitare. Haec igitur in memoriam illis revocans Pythia prohibuit auxilia Graecis mittere volentes.

CLXXII. Thessali primum necessitate coacti Medorum partes sequi coeperunt, postquam ostenderunt non sibi placere Aleuadarum artificia. Nam simulatque intellexerunt Persam esse in Europam trajecturum, nuncios in Isthmum miserunt, ubi convenerant legati a civitatibus meliora sentientibus delecti, qui pro salute Graeciae deliberarent. (2) Ad hos ubi venerant Thessalorum legati, hac oratione usi sunt: «Viri Graeci, custodire oportet fauces Olympicas, quo Thessalia et universa Graecia a bello tuta praestetur. (3) Sumus quidem nos parati ad eas vobiscum custodiendas, sed et vos oportet validum mittere exercitum: etenim, nisi miseritis, scitote nos cum Persa foedus esse inituros. Nec enim profecto aequum est, ut nos, qui ante reliquam Graeciam adeo sumus expositi, soli pro vobis pereamus. (4) Quodsi vos opem ferre non vultis, nullam nobis necessitatem poteritis imponere; ultra vires enim cogi nemo potest: sed ipsi dabimus operam ut saluti nostrae aliqua ratione consulamus.» Haec Thessalorum fuit oratio.

CLXXIII. Qua audita oratione decreverunt Graeci pedestrem exercitum mari in Thessaliam mittere, qui fauces illas custodiret. Qui ubi collectus est exercitus, per Euripum navigavit; et postquam Alon Achaiae Phthiolidis pervenit, in terram expositus, relictis ibi navibus, in Thessaliam ire perrexit: et in Tempe pervenit, ubi sunt fauces quae ex inferiori Macedonia in Thessaliam ferunt secundum Peneum fluvium, qui inter Olympum montem et Ossam interfluit. (2) Ibi castra posuerunt collecta Graecorum circa decem millia gravis armaturae: cum eisque Thessalorum erat equitatus. Imperator erat Lacedaemoniorum Euaenetus, Careni filius, ex polemarchis electus, non quidem ex regia familia natus; Atheniensium vero, Themistocles Neoclis filius. (3) At nonnisi paucos dies hi ibi manserunt. Advenientes enim ab Alexandro Macedone, Amyntae filio, legati suaserunt eis ut discederent, neu in his faucibus manentes conculcarentur ab invadente exercitu; quibus verbis illi multitudinem copiarum pedestrium nauticarumque significarunt. (4) His igitur ita suadentibus, quum salutare videretur consilium, satisque constaret bene adversus ipsos animatum esse Macedonem, paruerunt Graeci. Mihi vero videtur metus fuisse, qui illis ut discederent suaserit, quum intellexissent aliam praeter hanc esse viam qua in Thessaliam transire hostis posset, per superiorem Macedoniam et Perrhaeborum fines juxta Gonnon urbem; qua etiam in Thessaliam transiit Xerxis exercitus. Graeci igitur, naves suas repetentes, ad Isthmum retro sunt profecti.

CLXXIV. Haec in Thessaliam expeditio suscepta est, quum rex in eo fuit ut in Europam ex Asia trajiceret, jamque Abydum pervenerat. Ita ergo Thessali, sociis destituti, studiose neque amplius dubitanter Medorum partes sunt amplexi, adeo et in ipsis rebus gerendis utilissimos sese regi praestiterint.

CLXXV. Graeci postquam ad Isthmum pervenere, reputantes ea quae ab Alexandro nunciata erant, deliberarunt qua ratione bellum administrarent, et quibus in locis sedes belli esset statuenda. (2) Vicit sententia, ut Thermopylarum fauces custodirentur: nam et angustiores has esse constabat quam illas per quas ex Macedonia in Thessaliam transitur, simulque propiores hae erant ipsorum terrae; callem autem, per quem deinde factum est ut interciperentur Graeci

ad Thermopylas, ne esse quidem noverant, priusquam Thermopylas ingressi resciverunt a Trachiniis. (3) Decreverunt igitur, custoditis illis faucibus Barbarum introitu in Graeciam prohibere, classem vero ad Artemisium terrae Histiaeotidis mittere. Nam vicina inter se sunt ista loca, ut quid utrobique geratur facile cognosci possit; et locorum haec ratio est.

CLXXVI. Artemisium ex aperto mari Thracico in angustum fretum coarctatur, quod est inter Sciathum insulam et continentem Magnesiae: inde angustias illas excipit Artemisium littus Euboeae, in quo est Artemidos (Dianae) templum. (2) Fauces autem illae, per quas ex Trachine in Graeciam est introitus, ubi angustissimae sunt, non ultra dimidiatum plethrum (quinquaginta pedes) patent. Nec vero ibi angustissimus locus universi hujus tractus est, sed ante et post Thermopylas: nam prope Alpenos, qui sunt post illas, nonnisi uni agendo vehiculo via patet; rursusque ante Thermopylas, ubi est Phoenix rivus, prope Anthelam oppidum, non nisi uni vehiculo patet iter. (3) Ab occidente vero Thermopylarum mons est praealtus, inaccessus praeruptusque, ad oetam tendens: ab oriente vero viae, mare est et paludes. Sunt autem in his faucibus aquae calidae, quas Chytros (id est Lebetes) incolae vocant; supra quas ara erecta est Herculi. (4) In hisce faucibus constructus erat murus, in quo olim porta fuerat. Murum illum Phocenses exstruxerant metu Thessalorum, qui ex Thesprotia venerant, terram aeolidem habitaturi, quam nunc possident. (5) Quum enim id agerent Thessali, ut vi subigerent Phocenses, muro isto exstructo hi sibi praecaverunt; atque etiam in viam, qua transitur, calidam aquam derivarunt, quo voraginosus fieret locus; quidlibet machinantes, ne in terram suam irrumperent Thessali. (6) Murus igitur ille antiquitus erat aedificatus, tunc vero majori ex parte corruerat vetustate: Graeci autem restituere eum decreverunt, et ibi Barbarum introitu Graeciae prohibere. Abest autem proxime a via vicus, nomine Alpine: ex quo rei frumentariae Graeci prospicere statuerunt.

CLXXII. Haec itaque loca haud dubie opportuna illis visa erant: atque adeo, provisis rebus omnibus, reputantes nec multitudine hominum ibi uti posse Barbaros, nec equitatu, excipere ibidem impetum invadentis Graeciam hostis decreverunt. (2) Quumque cognovissent in Pieria esse Persam, ex Isthmo discesserunt et pedibus alii profecti sunt ad Thermopylas, alii mari ad Artemisium.

CLXXVIII. Dum ita Graeci, bifariam divisi, occurrere hosti maturant; interim Delphenses, et sibi et Graeciae timentes, deum consuluerunt. Redditumque his est responsum, precibus votisque placarent ventos; hos enim magnos Graeciae fore adjutores. (2) Id acceptum responsum protinus Delphenses Graecis omnibus, qui libertatem tueri cupiebant, renunciarunt, eoque nuncio apud hos, quippe ad Barbari adventum vehementer trepidantes, immortalem inierunt gratiam. (3) Deinde iidem Delphenses ventis aram dedicarunt in Thyia, ubi locus sacer est Thyiae, Cephissi filiae, cujus de nomine locus iste nomen invenit, sacrificiisque illos placarunt. Atque etiam nunc ex oraculi jussu ventos placant Delphenses.

CLXXIX. Nauticus Xerxis exercitus, Therma urbe profectus, navibus decem optime navigantibus (quae classem antecedebant) recta Sciathum trajecit; ubi in statione erant speculatoriae tres

naves Graecorum, Troezenia, aeginensis, et Attica. Prospicientes autem hi naves barbarorum, fugae sese mandant.

CLXXX. Et Troezeniam quidem navem, cui praeerat Praxinus, protinus capiunt insequentes barbari. Quo facto, ex classiariis eum qui forma caeteris praestabat, in proram navis deductum, mactant, faustum omen sibi ducentes pulcerrimum Graecorum, quem primum omnium cepissent. (2) Erat autem mactato huic nomen Leo; qui fortasse aliquatenus ex ipso etiam hoc nomine istum fructum percepit.

CLXXXI. aeginensis vero triremis, cui Asonides erat praefectus, trepidationem etiam quamdam injecit hostibus. Militabat enim in ea Pytheas, Ischenoi filius, qui fortissimum virum illo die se praestitit; et, postquam capta est navis, eo usque pugnans restitit, donec totus veluti in frusta esset concisus. (2) Quem Persae, qui in illis navibus militabant, quum cadens non esset mortuus, sed spiraret adhuc, propter ipsius virtutem in vita servare maximi facientes, myrrhis vulnera viri curarunt, et fasciis ex byssina sindone obligarunt: (3) eumdemque, ut ad castra sua redirent, universo exercitui summa cum admiratione ostenderunt, benigneque cum eo egerunt: reliquos autem, quos in eadem navi ceperant, mancipiorum loco habuere.

CLXXXII. Ita igitur duae ex illis navibus ab hostibus captae sunt: tertia vero triremis, cui Phormus praeerat Atheniensis, dum fuga se recepit, ad terram impacta est in Penei ostiis: et navi quidem potiti sunt barbari, viris autem non item. Hi enim, simulatque ad littus navem ejecerant, exsilire et per Thessaliam iter facientes redierunt Athenas. (2) Haec Graeci ad Artemisium castra habentes, per ignes ex Sciatho editos cognoverunt; et cognitis, territi ab Artemisio ad Chalcidem cum classe se receperunt, Euripum custodituri, relictis quidem speculatoribus in editis Euboeae locis.

CLXXXIII. Ex decem, quas dixi, navibus hostium tres ad scopulum accesserunt inter Sciathum et Magnesiam interjectum, qui Myrmex (id est Formica) vocatur. (2) Super eo ubi barbari advectam lapideam columnam erexerunt, dein, ut jam nihil amplius navigationi obstabat, praetermissis ab regis ex Therma profectione undecim diebus, omnibus navibus Therma profecti, cursum versus Graeciam continuarunt. (3) Scopulum autem illum, in medio fere freto situm, indicaverat eis Pammon Scyrius. Totum igitur diem navigantes barbari viam confecerunt usque ad Sepiadem terrae Magnesiae et ad littus inter Casthanaeam oppidum et Sepiadem oram interjectum.

CLXXXIV. Ad hunc usque locum, et usque Thermopylas, exsors malorum fuit Xerxis exercitus, et numerus quidem hominum, ut ego computando invenio, tunc adhuc hic fuit: quum naves ex Asia profectae numero fuerint ducentae et septem supra mille, veterem multitudinem ex singulis populis collectam reperio fuisse unum et ducenta quadraginta millia hominum cum quadringentis, ducenos in quaque navi viros supputando. (2) Erant autem in quaque illarum navium, praeter indigenas classiarios, triceni viri Persae, Medi, et Sacae: quae altera multitudo efficit homines tricies sexies mille, ducentos et decem. (3) Huic vero et superiori numero adjiciam etiam eos, qui in quinquaginta remorum navibus actuariis fuerunt; statuens in earum

quaque, plus minus, fuisse octogenos. Collecta autem hujusmodi navigia fuerunt, ut jam ante demonstravi, ter mille: fuerint igitur in his ducenta quadraginta hominum millia. (4) Itaque navales hae copiae ex Asia transductae numero fuere quingenta septemdecim hominum millia cum sexcentis et decem. (5) Jam peditatus fuit decies septies centenorum millium; equitatus vero millium octoginta. His adjiciam Arabes camelis vectos, et Afros agitantes currus; quorum summam statuo fuisse viginti millium. (6) Ita conficitur nauticarum et pedestrium copiarum numerus, in unam summam collatus, vicies ter centena et septemdecim hominum millia cum sexcentis et decem. (7) Hic est igitur copiarum numerus, quas ex Asia eductas diximus, non computato famulitio quod illas sequebatur, nec frumentariis navibus, et qui his vehebantur.

CLXXXV. Jam cum universo hoc, quem enumeravimus, exercitu simul computandus ille est, qui ex Europa est contractus: de cujus quidem numero non nisi ex mea opinione dicere possum. Ac naves quidem Graeci Thraciam et vicinas Thraciae insulas incolentes contulere centum et viginti: quibus ex navibus conficitur hominum numerus, viginti quattuor millia. (2) Pedestrium vero copiarum, quas contulere Thraces et Paeones et Eordi et Bottiaei et Chalcidicum genus et Brygi et Pieres et Macedones et Perrhaebi et aenianes et Dolopes et Magnetes et Achaei Phthiotae et quotquot Thraciae oram maritimam habitant: copiarum, inquam, ex his populis contractarum numerum fuisse aestimo, trecenta hominum millia. (3) Quo numero cum illorum numero, qui ex Asia transducti sunt, in unam summam collato, conficitur universus numerus armatorum, sexies et vicies centena et unum et quadraginta millia, sexcenti et decem.

CLXXXVI. Tantus quum fuerit armatorum numerus, jam famulorum, qui hos sequebantur, eorumque qui in frumentariis erant navibus, et in reliquis utique navigiis exercitum comitantibus; horum, inquam, numerum non minorem, sed majorem etiam, puto fuisse quam numerum armatorum: (2) attamen parem hunc pono illi, et nihilo majorem, nec vero etiam minorem. Exaequato igitur horum numero cum numero illorum, prodit duplus numerus superioris. (3) Itaque quinquagies bis centena et octoginta tria millia ducentosque et viginti viros duxerat Xerxes Darii filius usque ad Sepiadem et ad Thermopylas.

CLXXXVII. Hi igitur universi exercitus Xerxis numerus fuit. Mulierum vero panificium curantium, et pellicum, et eunuchorum, nemo certum edere numerum possit, non magis quam equorum caeterorumque jumentorum impedimenta portantium, et canum Indicorum, quorum omnium immanis numerus castra secutus est. (2) Quare minime mirandum mihi videtur, fluminum nonnullorum aquam defecisse: sed illud potius miror, quo pacto cibaria suffecerint tot myriadibus. (3) Etenim inito calculo reperio, si unum tritici choenicem unusquisque in diem, nec amplius, accepit, singulis diebus consumpta esse centena et dena millia medimnorum, insuperque medimnos trecentos et quadraginta: (4) quo in calculo non computavi id, quod mulieribus et eunuchis et jumentis et canibus tribui debuit. Tot autem quum fuerint virorum myriades, formae praestantia et magnitudine corporis nemo ex omni hoc numero quam Xerxes ipse, dignior fuit qui tanto praeesset imperio.

CLXXXVIII. Jam classis, postquam solutis navibus, ut supra dixi, secundo cursu ad littus terrae Magnesiae pervenit, quod inter Casthanaeam oppidum et oram Sepiadem interjectum est;

priores quidem naves ad ipsam terram adpulerunt, reliquae vero, quoniam non adeo late patebat littus, post illas in ancoris stationem ceperunt, mare spectantes, et octo deinceps ordinibus in quincuncem locatae. (2) Ita quidem eam noctem transegere. Sub lucem vero, quum serenum ad id tempus coelum tranquillusque fuisset aer, subito effervescente mari ingens coorta est tempestas vehemensque ventus subsolanus, quem Hellespontiam vocant hujus regionis incolae. (3) Quotquot igitur ex his augescentem animadverterant ventum, et quibus per stationis rationem licuit, hi subductis in terram navibus a tempestate sibi caverunt, salvique et ipsi et eorum naves evaserunt. Quas vero naves nactus est ventus tenentes altum, harum alias ad Ipnos (id est Furnos) qui vocantur abripuit in Pelio monte, alias ad proximum littus adflixit: aliae ad ipsam Sepiadem adlisae sunt, aliae ad Meliboeam oppidum, aliae ad Casthanaeam ejectae; eratque ineluctabilis vis tempestatis.

CLXXXIX. Fertur autem fama, Athenienses ex oraculi responso Boream invocasse, quum aliud illis adlatum fuisset responsum, jubens eos generum advocare auxilio. Boreas enim, ut Graeci narrant, uxorem habuit Atticam, Orithyiam, Erechthei filiam. (2) Pro hac igitur adfinitate Athenienses, ut fama est, conjectantes Boream suum esse generum, quum Chalcide cum navibus insidiantes augescentem sensissent tempestatem, aut jam antea, sacrificiis placarunt invocaruntque Boream et Orithyiam, orantes ut auxilio sibi venirent, perderentque barbarorum naves, sicut antea ad Athon montem. (3) An igitur hanc ob caussam in barbaros stationem agentes ingruerit Boreas, non definiam: sed Athenienses quidem aiunt, et antea et tunc Boream ipsos juvisse, atque haec effecisse: et, postquam domum sunt reversi, fanum statuerunt Boreae ad Ilissum fluvium.

CXC. Hac calamitate, qui minimum numerum tradunt, naves periisse aiunt non minus quadringentas, homines autem innumerabiles, et rerum pretiosarum infinitam multitudinem; ita quidem, ut Aminocli Cretinae filio, civi Magneti, qui circa Sepiadem praedia habuit, perquam utile fuerit hoc naufragium: is enim multa deinde aurea pocula, multaque argentea, in littus ejecta sustulit, arcasque etiam reperit cimeliis Persarum repletas, et infinita alia [aurea] pretiosa collegit. At idem vir, quamvis locuples repertis his rebus factus, felix tamen caeteroqui non fuit: quippe tristis etiam casus eum adflictabat, per filii necem.

CXCI. Onerariarum autem navium frumentum vehentium, reliquorumque minorum navigiorum, quae interierunt, non constat numerus. Itaque duces classis, metuentes ne in se tanta calamitate adflictos Thessali impetum facerent, alto vallo ex naufragiis parato castra circumdedere. (2) Tres enim continuos dies tempestas duravit. Ad extremum vero Magi caesis vento victimis, adhibitisque magicis incantationibus, ad haec sacris Thetidi factis et Nereidibus, quarto die vim venti compescuerunt, sive is alioquin ipse sua sponte quievit. (3) Thetidi autem sacra fecerunt, quum ab Ionibus accepissent, ex hoc loco raptam illam fuisse a Peleo, et totam hanc oram Sepiadem eidem et reliquis Nereidibus sacram esse. Igitur ventus quidem quarto die quievit.

CXCII. Secundo vero die ab eo, quo primum coorta tempestas erat, speculatores ex Euboeae promontoriis decurrentes Graecis de Persarum naufragio omnia significarunt. (2) Quibus rebus hi cognitis, Neptunum Servatorem precati, et votis libaminibusque factis, quanta celeritate

poterant ad Artemisium redire maturarunt, sperantes nonnisi paucas naves sibi fore adversarias. (3) Hi igitur iterum ad Artemisium stationem ceperunt, hostem observantes: et Neptuni Servatoris cognomen ab illo tempore usque ad hunc diem apud Graecos in usu est.

CXCIII. Barbari, ut quievit ventus et compositi erant fluctus, deductis navibus, secundum continentem navigarunt: et Magnesiae promontorium circumvecti, recta in sinum qui ad Pagasas fert tetenderunt. (2) Est in hoc sinu locus terrae Magnesiae, ubi Herculem aiunt, postquam ex Argo navi aquatum missus fuisset, relictum esse ab Iasone ejusque sociis, quum aeam Colchicam ad auferendum aureum vellus navigarent. Illinc enim, aquati, soluturi erant in pelagus; qua de re nomen loco impositum est Aphetae (id est locus unde solvitur). Hoc igitur in loco stationem cepit Xerxis classis.

CXCIV. Forte autem accidit, ut quindecim naves, quae postremae navigabant, longius in altum ejicerentur: quae ut conspexerunt Graecorum naves ad Artemisium stantes, (2) suas esse naves rati barbari, cursu versus illas directo, medios in hostes inciderunt. Dux illarum navium fuit Sandôces Thamasii filius, Cymae aeolicae praefectus; quem superiore tempore rex Darius, quum judex fuisset regius, in culpa deprehensum, compertum nimirum quod accepta pecunia injustam sententiam pronunciasset, in crucem agi jusserat. (3) Et jam suspensus erat, quum Darius, rationem secum iniens rerum ab illo gestarum, reperit multo plura esse ejusdem merita in regiam domum, quam male facta: quod postquam Darius reperit, agnoscens properantius a se quam sapientius esse actum, solvi hominem jussit. (4) Ita ille supplicium a Dario sibi decretum effugit, superstesque fuit. At idem, nunc in Graecos delatus, non iterum erat elapsurus: ut enim adnavigantes hos Graeci viderunt, cognito illorum errore, contra evecti, facile cunctos ceperunt.

CXCV. In una harum navium navigans Aridolis captus est, Alabandorum Cariae tyrannus: in alia Paphiorum praetor Penthylus, Demonoi filius; qui quum duodecim naves ex Papho eduxisset, amissis illarum undecim tempestate ad Sepiadem ingruente, nunc una reliqua ad Artemisium navigans captus est. (2) Hos Graeci, interrogatos quae de Xerxis exercitu cognoscere cupiebant, vinctos in Corinthiorum Isthmum miserunt.

CXCVI. Ita igitur barbarorum classis, exceptis quindecim navibus, quibus praefuisse Sandocen dixi, ad Aphetas pervenit. (2) Xerxes autem cum pedestribus copiis, itinere per Thessaliam et Achaiam Phthiotidem facto, tertio etiam ante die in Maliensium fines erat ingressus. In Thessalia vero certamen instituerat inter suos equos et Thessalicum equitatum, cujus experiri virtutem voluit, quum rescivisset esse hunc praestantissimum totius Graeciae; et ex eo quidem certamine longe inferiores Graeci equi discesserant. (3) Ex fluviis autem Thessaliae unus Onochonus ad bibendum non satis aquae praebuit exercitui: ex eis vero qui Achaiam perfluunt, etiam is qui illorum maximus est, Epidanus, non nisi aegre duravit.

CXCVII. Postquam Alum in Achaia Xerxes pervenerat, viae duces omnia enarrare cupientes, indigenam famam ei retulerunt ad Jovis Laphystii fanum spectantem: Athamantem aeoli filium, consiliis cum Ino communicatis, Phrixo mortem esse machinatum, interjecto vero tempore

Achaeos ex oraculi responso posteris ejusdem hosce imposuisse labores: (2) quicumque hujus familiae natu maximus est, ei introitu in prytaneum, quod leiton Achaei vocant, interdicunt; ipsique, ne ingrediatur, excubias agunt; qui si nihilo minus introivisset, nullo pacto exire ei prius licet quam ad aram ducatur ubi mactandus est. Ad haec narrarunt, multos ex his, qui ita mactandi fuissent, sibi timentes, in aliam terram tamquam exsulatum abiisse: quorum si quis interjecto tempore rediisset, deprehendaturque prytaneum ingressus, eum mactari, coronis et infulis ornatum, et cum pompa eductum. (3) Teneri autem hac lege posteros Cytissori, Phrixi filii, ea caussa quoniam, quum Achaei ex oraculi responso lustrandae terrae suae caussa Athamantem aeoli filium mactaturi essent, adveniens ex aea Colchidis hic Cytissorus illum liberaverit: hoc enim facto Cytissorum iram dei in posteros suos contraxisse. (4) His auditis Xerxes, ut ad lucum pervenit, et ipse eo abstinuit, et universo exercitui ut abstinerent edixit: et domum posterorum Athamantis pariter atque templum veneratus est.

CXCVIII. Haec quidem in Thessalia et in Achaia gesta. Ex hisce dein regionibus Maliensium fines Xerxes ingressus est, ad sinum maris, in quo quotidie aestus maris accidit ei reciprocatio. (2) Juxta hunc sinum est locus campestris, partim latus, partim vero admodum angustus. Circa illum locum montes praealti et inaccessi, Trachiniae petrae dicti, universam Maliacam terram includunt. (3) Primum ad hunc sinum oppidum, ex Achaia venienti, Anticyra est; juxta quam Spercheus fluvius, ex aenianibus profluens, in mare influit. Ab hoc, interjectis viginti stadiis, alius fluvius est, cui nomen Dyras; quem fama est emersisse ad ferendam Herculi, quum cremaretur, opem. Ab hoc, rursus viginti stadiis interjectis, alius fluvius est, nomine Melas.

CXCIX. Ab hoc Melane fluvio quinque stadia Trachis urbs abest. Eodemque loco, ubi Trachis sita est, latissime patet haec regio a montibus ad mare: est enim planities vicies bis mille plethrorum. (2) Est autem in monte, qui Trachinium agrum praecludit, divortium a meridie Trachinis, per quod divortium Asopus fluit juxta montis radicem.

CC. Est item alius fluvius a meridie Asopi, Phoenix, non magnus; qui postquam ex his montibus defluxit, Asopo miscetur. Prope hunc Phoenicem fluvium arctissimus est hujus tractus locus: quippe una sola via ibi munita est, qua nonnisi singulis plaustris transitus patet. A Phoenice vero fluvio quindecim sunt stadia ad Thermopylas: (2) tum in intervallo, quod est inter Phoenicem fluvium et Thermopylas, vicus est nomine Anthela, praeter quem praeterfluens Asopus in mare evolvitur: et circa eumdem vicum latius est spatium, in quo stat templum Cereris Amphictyonidis, et sedes sunt Amphictyonibus paratae, et ipsius Amphictyonis templum.

CCI. Jam Xerxes in Trachinio campo terrae Maliacae castra posuit: Graeci vero in ipso transitu. Nominatur autem hic locus a plerisque quidem Graecis Thermopylae, incolae vero et finitimi nude Pylas dicunt. (2) Itaque utrique in his locis castra habebant: occupabat autem Xerxes totum spatium septemtrionem versus a Thermopylis usque Trachinem pertinens; Graeci vero ea quae in hac continente versus Notum et meridiem sita sunt.

CCII. Graeci vero hoc in loco Persam exspectantes, hi fuere: Spartani trecenti graviter armati: tum Tegeatae et Mantinenses mille, utrorumque quingenti: ex Orchomeno Arcadiae centum et viginti, et ex reliqua Arcadia mille; (2) tot Arcades fuere: Corinthii vero quadringenti: ex Phliunte ducenti; ex Mycenis octoginta. Hi sunt qui ex Peloponneso adfuerunt. Ex Boeotis vero, Thespienses septingenti, et Thebani quadringenti.

CCIII. Praeter hos vero evocati aderant Locri Opuntii omnibus copiis, et Phocenses mille. Ipsi enim Graeci missis legatis hos advocaverant, dicentes, tamquam antecursores sese venisse ante alios, exspectari vero reliquos socios in proximum quemque diem, et maris tutelam sibi curae esse, custodirique illud ab Atheniensibus et aeginetis reliquisque in classem designatis. Nihil autem illis esse gravius metuendum: (2) non enim deum esse, qui Graeciam invadat, sed hominem: nullum autem nec esse nec futurum esse mortalem, cui, ex quo natus sit, malum nullum acciderit; immo maximis accidere maxima. Debere itaque etiam illum, qui Graeciam invadat, mortalis quum sit, gloria sua excidere. His auditis, illi Trachinem auxilio Graecis venerunt.

CCIV. His igitur et alii quidem ex quaque civitate duces praeerant; sed, quem maxime cuncti admirabantur, et penes quem summa erat totius imperii, Lacedaemonius fuit Leonidas, genus ab Hercule ducens hac majorum serie: pater Anaxandrides fuit, avus Leon: tum reliqui progenitores, Eurycratides, Anaxander, Eurycrates, Polydorus, Alcamenes, Telecles, Archelaus, Hegesilaus, Doryssus, Leobotes, Echestratus, Agis, Eurysthenes, Aristodemus; Aristomachus, Cleodaeus, Hyllus, Hercules. Is Leonidas regnum Spartae necopinans erat adeptus.

CCV. Quum enim duo illi fratres essent natu majores, Cleomenes et Dorieus, procul habuerat cogitationem regni adipiscendi. Sed Cleomene sine mascula prole defuncto, quum jam tum Dorieus etiam non amplius in vivis esset, quippe in Sicilia mortuus, ita ad Leonidam regnum pervenit, quoniam et major natu erat Cleombroto, Anaxandridae filio natu minimo, et Cleomenis etiam filiam in matrimonio habebat. (2) Is igitur ad Thermopylas erat profectus cum delectis ab ipso trecentis illis, justae aetatis viris, et quibus domi liberi erant. Adsumpserat autem, priusquam advenisset, Thebanos quoque illos quorum numerum supra declaravi, quibus Leontiades praeerat, Eurymachi filius. (3) Quos solos ex Graecis adsumere ea caussa properaverat Leonidas, quod accusabantur Thebani vehementer cum Medis sentire. Invitaverat igitur eos ad armorum societatem, cognoscere cupiens, utrum missuri essent secum socios, an ex aperto repudiaturi Graecorum societatem: et illi, aliud licet sentientes, miserant.

CCVI. Et Leonidam quidem cum his, qui cum eo erant, primos omnium miserant Spartani hoc consilio, ut et reliqui socii, his conspectis, adversus hostes proficiscerentur, neque ipsi pariter Medorum sequerentur partes, si cunctari Spartanos intellexissent. Deinde vero, quum Carnea nunc obstarent, peractis festis diebus, custodia Spartae relicta, cum omnibus copiis occurrere decreverant hosti. (2) Similiter vero etiam reliqui socii facere constituerant: qui, quum in idem ipsum tempus, quo haec gerebantur, Olympias incideret, rati non tam cito ad Thermopylas armis decretum iri, antecursores interim miserunt. Tale igitur horum fuit consilium.

CCVII. Jam, qui ad Thermopylas fuere Graeci, ubi haud procul ab introitu fuit Persa, timore perculsi de receptu consultare coeperunt. Et reliquis quidem Peloponnesiis placuit, abire in Peloponnesum, et Isthmum custodire. (2) Leonidas vero, sententiam istam vehementer indignatis Phocensibus et Locris, de communi horum consilio manere ibi decrevit, legatosque per civitates dimittere qui ab illis auxilia arcesserent, quandoquidem nimis exiguus ipsorum numerus esset ad prohibendum Medorum exercitum.

CCVIII. Dum hi ita consultant, interim Xerxes equitem misit speculatorem, qui et numerum eorum, et quid facerent, exploraret. Audierat enim, quum adhuc in Thessalia esset, collectum hoc loco stare exiguum exercitum, cujus duces sint Lacedaemonii et Leonidas, ab Hercule genus ducens. (2) Ut ad castra accessit eques, contemplatus est, spectavitque non totum quidem exercitum; nam, qui intra murum erant, quem a se instauratum Graeci custodiebant, hos conspicere non potuit: exteriores vero observavit, qui ante murum stationem habebant. (3) Erant autem tunc forte extra murum locati Lacedaemonii. Horum igitur alios vidit gymnasticis exercitationibus vacantes, alios comam pectentes. Miratus eques spectaculum, cognito hominum numero, omnibusque rebus adcurate perceptis, rediit per otium, nemine persequente, sed omnibus eum prorsus contemptui habentibus. Reversus, Xerxi cuncta quae viderat renunciavit.

CCIX. Quibus auditis, conjectare Xerxes non potuit id quod res erat, comparare sese hos homines ad pereundum postquam perdidissent ipsi quam plurimos potuissent: sed, quum ridicula facere ei viderentur, Demaratum ad se vocavit, Aristonis filium, qui in castris aderat. (2) Is ubi advenerat, de singulis eum interrogavit Xerxes, cognoscere cupiens quid esset quod facerent Lacedaemonii. Et ille, «Audisti me, inquit, jam ante, quum adversus Graeciam proficisceremur, de his viris disserentem; at risui me habuisti quum audiebas dicentem tibi quemnam fore harum rerum exitum praeviderem. Mihi enim, rex, summa contentio est, veritatem adversus te colere. (3) Audi igitur etiam nunc. Adsunt hi viri, de introitu nobiscum pugnaturi, et ad hoc se comparant. Hic enim apud illos mos obtinet: quando vitae discrimen sunt adituri, tunc capita curant. (4) Scito vero: si hosce, et eos qui Spartae manent, subegeris; nullus alius hominum populus est, qui adversus te, rex, manus tollere sustineat. Nunc enim cum regno inter Graecos praeclarissimo tibi res est, et cum viris fortissimis.» (5) Quae dicta, quum prorsus incredibilia Xerxi viderentur, iterum quaesivit, quo tandem pacto tam exigua hominum manus suo exercitui esset repugnatura. Et ille, «Rex, inquit, age mecum ut cum homine mendaci, nisi haec ita eventura sunt ut ego dico.»

CCX. Haec Demaratus dicens Xerxi non persuasit. Itaque quattuor rex intermisit dies, assidue illos sperans fuga se recepturos. Quinto vero die, quum illi non recessissent, sed per obstinatam, ut Xerxi videbantur, impudentiam temeritatemque manerent, iratus rex Medos et Cissios adversus illos misit, dato mandato ut vivos caperent et in conspectum suum adducerent. (2) Ut vero in Graecos cum impetu irruerunt Medi, multi ex eis cecidere: quibus successere alii, nec se recepere, quamvis magna clade accepta: ostenderuntque cuilibet, maxime vero regi ipsi, multos quidem homines esse, sed paucos viros. Praeliati sunt autem per totum diem.

CCXI. Postquam ita male accepti sunt Medi, tum hi quidem in castra se recepere: et Persae eis succedentes, quos Immortales rex adpellabat, quibus praeerat Hydarnes, in hostem iverunt; quasi hi utique facile confecturi rem essent. (2) Ut vero hi quoque pugnam cum Graecis conseruere, nihilo amplius, quam Medi, promoverunt, sed eamdem habuere sortem; quippe in angusto transitu pugnantes, ubi explicari multitudo non poterat, et hastis utentes brevioribus quam Graeci. (3) Lacedaemonii vero memorabilem ediderunt pugnam, quum aliis rebus ostendentes peritos sese cum imperitis congredi, tum quod subinde terga verterent, veluti fugam capessentes universi, deinde vero, quando fugientibus Persae cum clamore strepituque instabant, ipsique jam in eo erant ut deprehenderentur, subito conversa acie hosti sese opponerent, atque ita innumerabilem Persarum prosternerent multitudinem. Ceciderunt autem ibi Spartanorum etiam nonnulli. (4) Postquam vero, quamvis magno conatu, et turmatim et quovis modo impetum facientes, nulla parte introitus potiri Persae potuerunt, postremo hi quoque retrogressi sunt.

CCXII. Dum ita conflictabantur, fertur Xerxes, quum spectandi caussa haud procul abesset, ter de solio suo exsiliisse, metuens nempe suo exercitui. (2) Tunc igitur ita pugnatum est. Postridie vero ejus diei nihilo felicius barbari pugnaverunt. Quum enim exiguus esset Graecorum numerus, rati barbari confectos esse illos vulneribus, neque vires amplius ad resistendum habituros, denuo eos adgressi sunt. (3) At Graeci, per ordines perque populos digesti, in vicem cuncti pugnarunt, Phocensibus exceptis: hi enim in monte erant locati, semitam custodituri. Ubi vero nihilo melius, quam pridie, Persae rem sibi viderunt succedere, abscesserunt.

CCXIII. Ibi tunc regem, quidnam consilii caperet incertum, convenit Ephialtes, Eurydemi filius, Maliensis, ingens ab illo praemium se relaturum sperans, indicavitque ei semitam per montes ad Thermopylas ferentem; atque ita Graecos prodidit, stationem ibi habentes. (2) Idem postea, metu Lacedaemoniorum, in Thessaliam profugit: exsulantisque caput proposita pecunia proscriptum est a Pylagoris, quum Amphictyones ad agendum Pylaeum conventum essent congregati. Interjecto vero tempore, quum Anticyram rediisset, ab Athenade Trachinio occisus est. (3) Et interfecit quidem Ephialten Athenades aliam ob caussam, quam in sequentibus historiis exponam: at nihilo minus tamen praemio honoratus est a Lacedaemoniis. Ita igitur Ephialtes postea periit.

CCXIV. Fertur autem etiam alia fama, Onetam Phanagorae filium, Carystium, et Corydalum Anticyrensem cum rege sermones illos habuisse, et Persas circum montem illum circumduxisse; mihi neutiquam credibilis. (2) Nam falsam esse partim inde colligi oportet, quod Graecorum Pylagori, quos utique prae caeteris compertam habuisse rei veritatem consentaneum est, non Onetae et Corydali caput proscripserunt, sed Ephialtae Trachinii; tum, quod Ephialten novimus ob hanc culpam exsulasse. (3) Caeterum cognita quidem haec semita Onetae quoque, quamquam non Maliensi, esse potuit, si hanc regionem saepius adierat: at enimvero Ephialtes est, qui hostes per semitam illam circa montem circumduxit: hunc hujus culpae reum scribo.

CCXV. Xerxes, ea probans quae se effecturum pollicitus Ephialtes erat, vehementer gavisus, sine mora Hydarnen et qui sub ejus ductu erant misit: et illi sub noctem, quo tempore accenduntur

lucernae, e castris profecti sunt. (2) Invenerant illam semitam indigenae Malienses; eaque reperta Thessalis adversus Phocenses itineris duces fuerant, quo tempore Phocenses introitum in suam regionem opposito obstruxerant muro, atque ita tutos se a bello praestiterant: atque ex illo inde tempore adparuit illa usui nulli esse Maliensibus.

CCXVI. Est autem callis hujus per montem ferentis ratio haec: incipit ab Asopo fluvio, ubi ille per montium divortium perfluit; est autem monti, per quem semita transit, semitaeque ipsi idem nomen, Anopaea: fertque haec Anopaea secundum dorsum montis, et desinit circa Alpenum, primum oppidorum Locrensium versus Malienses, eo loco ubi Melampygus qui dicitur lapis est, suntque Cercopum sedes: ubi etiam angustissimus callis est.

CCXVII. Hac igitur semita, quam descripsi, Persae trajecto Asopo totam noctem iter fecerunt, a dextra habentes oetaeorum montes, a sinistra vero montes Trachiniorum: et illuxit aurora, quum ad summum montem pervenerunt. (2) Hoc igitur loco montem custodiebant, ut etiam ante demonstravi, Phocenses mille graviter armati, et suam regionem tutantes, et callem custodientes. (3) Inferior enim introitus ab eis, quos dixi, custodiebatur: semitam autem, quae fert per montem, Phocenses custodiebant, qui Leonidae ultro hanc operam receperant.

CCXVIII. Adscendentes quidem latuerant Persae, quum quercubus totus obsitus mons esset: postquam vero adscenderant, hoc modo adventantes illos cognovere Phocenses, quum tranquillum esset coelum, propter folia sub pedibus strata multus, ut res fert, ortus strepitus excitavit eos ut ad arma concurrerent: et protinus barbari adfuerunt. (2) Qui ubi armatos conspexere viros, mirati sunt, quod, quum neminem sibi putassent occursurum, in exercitum incidissent. Ibi tum Hydarnes, veritus ne, qui Phocenses erant, Lacedaemonii essent, quaesivit ex Ephialte, cujus populi is esset exercitus: et ubi quod res erat audivit, in aciem Persas instruxit. (3) At Phocenses, quum multis crebrisque telis ferirentur, rati non nisi adversus se hos esse profectos, arrepta fuga in summum montis verticem se receperunt, ad occumbendam mortem parati. (4) Hi igitur ita erant animati: at Persae, qui cum Ephialte et Hydarne erant, nullam Phocensium rationem habentes, descendere de monte properarunt.

CCXIX. Qui ad Thermopylas erant Graeci, his primum Megistias vates, inspectis victimis, praedixerat mortem primo mane eis instantem: deinde advenere etiam transfugae, circuitum hostium nunciantes: (2) hi, quum adhuc tunc nox esset, significaverunt: tertio autem speculatores diurni, de summitatibus montium decurrentes, illucescente jam die, idem indicium fecere. Ibi tum Graeci, quid sibi faciendum esset deliberantes, in diversas abiere sententias, aliis contendentibus non deserendam esse stationem, aliis contra nitentibus. (3) Hinc soluto consilio, discesserunt alii, et suam quisque in civitatem tendens dispersi sunt: alii vero parati erant cum Leonida manere.

CCXX. Dicunt autem, ipsum Leonidam illos dimisisse, ne perirent curantem; se autem et praesentes Spartanos non decere dicentem deserere stationem ad quam custodiendam principio missi essent. (2) Et ego quoque quam maxime in hac sum sententia, Leonidam, quum

minime promptos esse socios vidisset, nec ad subeundum secum periculum ultro paratos, abire illos jussisse; sibi autem, ut abiret, inhonestum judicasse. (3) Contra, si maneret, ingens eum gloria manebat, et Spartae felicitas non exstinguebatur. Etenim Spartanis, jam in primo hujus belli initio oraculum consulentibus, responderat Pythia, aut eversum iri Lacedaemonem a barbaris; aut regem ipsorum periturum. (4) Hoc eis illa responsum versibus hexametris comprehensum dederat, his verbis:

Vobis, o spatiosae Spartae incolae,

aut ingens urbs gloriosa a viris Persis

evertitur; aut, si non hoc, ab Hercule oriundum

flebunt mortuum regem Lacedaemonis fines.

Nec enim sustinebit eum taurorum robur leonumque

contra stantium; Jovis enim ille robur habet; eumque dico

non iri repressum prius, quam horum alterutrum fuerit sortitus.

(5) Igitur Leonidam, haec reputantem, cupientemque solis Spartanis sempiternam adquirere gloriam, dimisisse potius arbitror socios illos qui abiere, quam ipsos per se ab illo dissentientes, ita spreta omni militari disciplina abiisse.

CCXXI. Cujus rei mihi hoc etiam haud minimum documentum est, quod non modo reliqui dimissi sunt, sed quod satis constat, vati etiam exercitum sequenti, Megistiae Acarnani, genus a Melampode derivanti, eidem qui e victimis eventura illis praedixerat, missionem dedisse Leonidam, veritum ne cum ipsis periret. At ille, quamquam missionem nactus, non tamen discessit; sed filium, militiae hujus socium, qui unicus illi natus erat, dimisit.

CCXXII. Caeteri igitur socii dimissi abierunt, mandato Leonidae obsequentes. Thespienses vero et Thebani soli apud Lacedaemonios manserunt. (2) Et Thebani quidem nolentes et inviti manserunt; retinuit eos autem Leonidas, obsidum loco habens: Thespienses vero summa sua voluntate; neutiquam enim Leonidam et qui cum illo erant se deserturos abscessurosque aiebant, sed apud illos mansuros mortemque cum eisdem occubituros. His praeerat Demophilus, Diadromae filius.

CCXXIII. Orto sole, Xerxes libamina fecit: deinde aliquamdiu moratus, quo tempore forum maxime frequentari hominibus solet impressionem in hostem facere instituit: ita enim significatum ei ab Ephialte erat. Nam descensus de monte brevior est, atque iter inde ad Thermopylas compendiosius, quam circuitus et adscensus montis. (2) Barbari igitur, qui cum Xerxe erant, in hostem perrexerunt: et Graeci cum Leonida, utpote ad mortem ire parati, jam multo longius, quam ante, in spatiosiorem faucium partem progressi sunt. (3) Nam muri quidem munimentum custodiebatur; superioribus vero diebus in ipsas etiam fauces progressi pugnaverant. Nunc igitur, quum extra angustias consererent pugnam, ingens hostium cecidit multitudo. Etenim manipulorum duces, flagellis a tergo instantes, et unumquemque caedentes, ad ulterius progrediendum suos concitabant. (4) Itaque eorum multi in mare incidentes perierunt; multo vero plures, alii ab aliis, vivi conculcati sunt: nec ulla ratio habebatur pereuntium. Nam Lacedaemonii, quum imminere sibi mortem ab his qui montem circumiverant non ignorarent, quanta maxima poterant fortitudinis specimina adversus barbaros ediderunt, nullo modo parcentes sibi, ac furiosorum in morem pugnantes.

CCXXIV. Hastae quidem jam tunc plerisque fractae erant, et gladiis illi Persas conficiebant. (2) In eo labore, ab altera parte, Leonidas fotissime pugnans cecidit, cum eoque alii illustres Spartani; quorum ergo, ut dignorum virorum, nomina sciscitatus sum cognovique: rescivi vero etiam omnium nomina trecentorum. (3) Ab altera parte, ex Persis ibidem et alii multi illustres ceciderunt viri, et in his duo Darii filii, Abrocomes, et Hyperanthes, quos ex Phrataguna Artanis filia Darius susceperat. (4) Artanes autem frater fuerat Darii, Hystaspis filius, Arsamis nepos. Is Dario filiam suam elocans, simul totam suam domum ei donaverat, quum unica ipsius proles illa esset.

CCXXV. Igitur duo Xerxis fratres ibi ceciderunt pugnantes super Leonidae cadavere, de quo acre fuit inter Persas et Lacedaemonios certamen: donec ad extremum sua virtute Graeci illud subtraxerunt, quater in fugam versis adversariis. Ita pugnatum est, donec qui cum Ephialte erant advenere. (2) Quos ubi accedere intellexerunt Graeci, tum vero mutatum certamen est. Tunc enim in angustias viae se receperunt, et murum etiam praetergressi, ubi ad tumulum venerunt, qui in introitu angustiarum est, ubi nunc lapideus leo stat in Leonidae memoriam, ibi confertim consederunt exceptis Thebanis caeteri omnes. (3) Eodemque loco gladiis sese defendentes, quibus gladii supererant, alii manibus dentibusque depugnantes, obruti sunt barbarorum telis, partim subruta muri munitione ex adverso ingruentium, partim ex circuitu undique circumstantium.

CCXXVI. Tales quum se praestiterint Lacedaemonii et Thespienses omnes, fortissimus tamen ex his fuisse dicitur Dieneces Spartanus: quem aiunt, priusquam cum Medis congrederentur, verbum illud dixisse, quum Trachinium quemdam audivisset dicentem, quando barbari tela emiserint, multitudine telorum solem iri obscuratum; tantam enim esse hostium multitudinem. (2) Hunc igitur, nihil perterritum, sed aspernantem Medorum multitudinem, respondisse aiunt, fausta omnia Graecis nunciare hospitem Trachinium; quandoquidem sole telis Medorum obscurato, in umbra sint pugnaturi, non in sole. Haec et ejusdem generis alia dicta, aiunt, Dienecem Lacedaemonium fortis animi monumenta reliquisse.

CCXXVII. Post hunc fortissimos se praestitisse memorant Lacedaemonios duos fratres, Alpheum et Maronem, Orsiphanti filios. Ex Thespiensibus vero praecipuam laudem abstulit vir, cui Dithyrambus nomen fuit, Harmatidae filius.

CCXXVIII. Sepulti sunt omnes eodem loco quod ceciderunt, et tam in horum honorem, quam in illorum qui ante ceciderant quam dimissi a Leonida socii abierunt, hae inscriptiones positae sunt:

Cum trecentis olim myriadibus hic pugnarunt

ex Peloponneso quattuor millia virorum.

(2) Haec in honorem omnium posita inscriptio est; in Spartanorum vero memoriam privatim ista:

Hospes, nuncia Lacedaemoniis, hoc loco nos

jacere, dictis illorum obsequentes.

In Lacedaemonios igitur hoc; in vatem vero istud:

Monumentum hoc illustris Megistiae, quem olim Medi

Spercheo fluvio occiderunt trajecto,

vatis, qui instans tunc fatum probe cognitum habens,

deserere tamen Spartae duces non sustinuit.

(3) Inscriptionibus istis et columnis, excepto vatis epigrammate, Amphictyones illos honorarunt: vatis vero Megistiae epigramma Simonides posuit, Leoprepis filius, pro hospitii familiaritate.

CCXXIX. Narrant, ex trecentis illis Spartanis duos viros, Eurytum et Aristodemum, quum, si commune voluissent consilium sequi, potuissent ambo aut simul salvi Spartam redire, ut qui a

Leonida e castris dimissi decubuerant in Alpenis, vehementi oculorum dolore laborantes; aut, si redire ad commilitones voluissent, mortem potuissent obire cum reliquis: (2) hos igitur, narrant, quum alterutrum horum licuisset eligere, noluisse commune sequi consilium; sed, inter se dissentientes, Eurytum, cognito Persarum per montem circuitu, arma postulasse, captisque armis jussisse helotam suum ad pugnantes se ducere; et, postquam ad illos pervenit, helotam quidem fuga salutem petiisse, ipsum vero in hostium agmen irruentem occubuisse: Aristodemum autem, deficientem animo, remansisse. (3) Quodsi igitur unus Aristodemus oculorum morbo laborasset, eaque caussa Spartam rediisset, aut si ambo simul reversi essent, Spartani (ut mihi videtur) nullam in eos iram erant exercituri: nunc vero, quum alter periit, alter, qui in eadem caussa fuerat, mori recusavit, necessario vehementer irasci Aristodemo debuerunt.

CCXXX. Alii igitur, hoc modo hacque occasione Aristodemum, memorant, salvum Spartam evasisse: alii vero aiunt, ad deferendum nuncium quemdam missum eum fuisse e castris, et, quum pugnae deinde interesse potuisset, noluisse, sed in via moratum, superstitem fuisse; socium autem, qui simul cum cum eo missus fuerat, ad pugnam rediisse, in eaque occubuisse.

CCXXXI. Quidquid est, Lacedaemonem reversus Aristodemus probro et ignominia notatus est, atque ita infamis habitus, ut nemo Spartanorum lumen ei accenderet, nec cum eo colloqueretur, utque per ignominiam trepidus Aristodemus nominaretur. Sed idem vir in pugna ad Plataeas culpam, quae eum premebat, dissolvit totam.

CCXXXII. Memorant etiam, alium ex trecentis, nomine Pantiten, quum ad deferendum nuncium in Thessaliam fuisset missus, superstitem fuisse; eumdem vero, quum Spartam reversus ignominia esset notatus, voluntario suspendio vitam finiisse.

CCXXXIII. Thebani vero, quibus dux praeerat Leontiades, hactenus quidem a Graecorum partibus stantes, necessitate coacti, adversus regis exercitum dimicaverant. (2) Ut vero superiorem esse viderunt rem Persarum, quo tempore Graeci qui cum Leonida fuerant ad tumulum se recipere properabant, his desertis, passis manibus ad barbaros accesserunt, dicentes id quod verissimum erat, cum Medis sese sentire; et inter primos terram et aquam regi tradidisse; necessitate autem coactos venisse ad Thermopylas, et a cladis culpa regi illatae esse immunes. (3) His dictis, salvi evaserunt; habebant enim etiam Thessalos dictorum testes. Nec tamen prorsus feliciter eis res cessit. Nam, ut accedentes eos in potestate habuerunt barbari, nonnullos etiam, ut accedebant, interfecerunt; plurimis vero Xerxis jussu regia inusserunt stigmata, initio a duce Leontiade facto; cujus viri filium Eurymachum, interjecto tempore, Plataeenses interfecerunt, quum quadringentorum dux fuisset Thebanorum, quorum ope Plataeensium urbem occupaverat.

CCXXXIV. Hoc igitur modo ad Thermopylas Graeci pugnaverant. Tum vero Xerxes vocatum ad se Demaratum interrogavit, hoc usus sermonis introitu: «Demarate, vir probus es: ex vero ita judico: quaecumque enim dixisti, ea ita evenerunt. (2) Nunc autem dic mihi, quotnam numero sint reliqui Lacedaemonii; et ex his quot sint horum similes in re bellica, an etiam tales sint omnes.» Et ille, «Rex, inquit, multitudo quidem omnium Lacedaemoniorum ingens est, et

civitates sunt multae: quod vero tu scire cupis, id dicam. (3) Est in Laconica Sparta, civitas virorum octies mille admodum: et hi quidem omnes similes sunt his qui hîc pugnarunt. Caeteri vero Lacedaemonii his utique non sunt similes, at fortes tamen viri sunt.» (4) Ad haec Xerxes ait: «Quonam igitur pacto, Demarate, hos homines minimo labore subigemus? Age, hoc mihi prome! Tu enim vias consiliorum omnium, quibus illi utuntur, compertas habes, quippe qui rex eorum fuisti.»

CCXXXV. Respondit Demaratus: «Quandoquidem studiose tu me, o rex, consulis, aequum est ut tibi id, quod optimum fuerit, expromam: nempe, si trecentarum navium classem in Laconicam miseris terram. (2) Est autem prope illam sita insula, cui nomen Cythera; de qua Chilon, vir olim apud nos sapientissimus, dicere consueverat, ingens lucrum fore Spartanis, si ea insula mari mergeretur potius, quam emineret. Nempe ille, non utique tuam classem ex longo tempore prospiciens, sed quamlibet quorumcumque hominum timens classem, semper veritus erat ne ex illa insula tale quidpiam patriae suae immineret, quale tibi ego nunc propono. (3) Ex hac igitur insula impetum faciens tua classis terreat Lacedaemonios: et illi, proprio finitimoque bello pressi, nihil verendum est, ne reliquae Graeciae, a pedestribus tuis copiis oppugnatae, auxilio veniant. Domita autem reliqua Graecia, Laconicum genus per se relinquitur invalidum. (4) Istud autem ni feceris, hoc futurum exspecta. Est Peloponnesi isthmus angustus; quo loco a conjuratis adversus te omnibus Peloponnesibus scito certamina multo acriora tibi, quam quae adhuc facta sunt, imminere. Istud vero si feceris, isthmus ille et civitates omnes sine pugna in tuam cedent potestatem.»

CCXXXVI. Post haec Achaemenes, frater Xerxis, et classi praepositus, qui huic colloquio intererat, veritus ne ad faciendum quod Demaratus suaserat Xerxes induceretur, hunc sermonem est exorsus: «Rex, video te sermonem admittere viri, qui tuae invidet felicitati, aut etiam prodere res tuas conatur. (2) Nam hoc uti more amant Graeci: invident aliis ob felicitatem, oderuntque potentiores. (3) Quodsi tu in praesenti rerum statu, postquam quadringentae nostrarum navium naufragium fecerunt, alias trecentas de classe dimiseris quae Peloponnesum circumnavigent, erunt nobis hostes ad resistendum pares: sin conjuncta manet nostra classis, difficilis illis erit ad oppugnandum, omninoque resistere tibi neutiquam poterunt. Adhaec universae navales copiae terrestribus erunt praesidio, et terrestres copiae navalibus, una iter facientes: quos si diremeris, nec tu illis utilis esse poteris, nec illae tibi. (4) Quodsi tuae rationes recte erunt initae, sic induc animum, ut nihil cures res adversariorum, quo loco gesturi sint bellum, quidve agant, aut quanta sit illorum multitudo. Satis ipsi idonei sunt suas res curare, atque nos nostras. Lacedaemonii vero, si contra Persas in pugnam progredientur, ne unam quidem hanc praesentem cladem reparabunt.»

CCXXXVII. Cui Xerxes his verbis respondit: «Achaemenes, recte tu mihi dicere videris, atque ita faciam. Demaratus autem ea dicit, quae meis rebus ipse utilissima judicat: ejus tamen sententia a tua superatur. (2) Nam istud quidem non admitto, non bene eum cupere meis rebus: documento quippe mihi sunt quum superiores ejus sermones, tum res ipsa. Etenim civis quidem invidet felicitati civis, et tacite ei infensus est; nec facile civis, a popularium aliquo consultus, ea illi quae ipsi optima videntur suaserit, nisi probabiles in virtute progressus fecerit: cujusmodi rari sunt homines: (3) hospes vero hospiti felici benevolentissimus est, et consultanti lubens optima

suaserit. Itaque maledicentia adversus Demaratum, qui meus hospes est, abstinere dehinc quemlibet jubeo.»

CCXXXVIII. Haec Xerxes postquam dixit, per caesorum cadavera transiit; et Leonidae, ut audivit regem hunc et ducem Lacedaemoniorum fuisse, abscindi caput et e palo erigi jussit. (2) Ac mihi quidem quum aliis documentis, tum vero maxime hoc ipso, fit manifestum, Xerxem vivo Leonidae omnium hominum maxime iratum fuisse: alioqui enim numquam in mortui corpus ita nefarie saeviturus erat, quandoquidem maxime omnium, quos novi, hominum Persae honorare fortes viros consueverunt. Illi igitur, quibus id imperatum est, jussa exsecuti sunt.

CCXXXIX. Sed redeo ad eam narrationem, quam superius imperfectam reliqui. Parare regem expeditionem adversus Graeciam primi resciverant Lacedaemonii, idque mira quadam ratione resciverant. Ideoque ad Delphicum miserunt oraculum, ubi illud eis editum est responsum, quod paulo ante commemoravi. (2) Demaratus enim, Aristonis filius, exsulans apud Medos, ut equidem existimo, et ratio mecum militat, non bene animatus fuit in Lacedaemonios. Conjectare igitur licet, utrum benevolo hoc fecerit animo an insultandi caussa. (3) Postquam decrevit Xerxes exercitum adversus Graeciam ducere, Demaratus tunc Susis praesens, ubi id rescivit, Lacedaemoniis voluit significare. Qui quum aliam rationem qua id eis significaret, non haberet, quum periculum esset ne deprehenderetur, tali usus est commento: (4) sumpta duplicata tabella, ceram ex ea erasit, et ligno tabellae consilium Xerxis inscripsit: quo facto, scriptum istud infusa cera denuo obduxit, ne nudam ferenti tabellam molestia exhiberetur a viarum custodibus. (5) Postquam vero Lacedaemonem perlata tabella est, conjectare Lacedaemonii, quid rei esset, prius non potuere, quam (ut equidem accepi) Cleomenis filia, Leonidae uxor, Gorgo, eos docuisset. Haec enim re secum perpensa, eradi ceram jussit, atque ita in ligno reperturos esse scripturam ait: (6) cui obsequentes illi scripta intus repererunt legeruntque, ac deinde reliquis Graecis legenda miserunt. Haec igitur ita gesta esse memorant.

HERODOTI HISTORIARUM LIBER OCTAVUS. (URANIA.)

I. Graeci populi in classem descripti, hi fuere: Athenienses naves praebuerant centum viginti septem; Plataeenses vero, quum rei nauticae essent expertes, sua virtute studioque incensi, simul cum Atheniensibus naves Atticas propugnatoribus compleverant. (2) Corinthii quadraginta praebuerant naves: Megarenses, viginti. Chalcidenses item viginti compleverant; sed naves illis suppeditarunt Athenienses. aeginetae octodecim naves praebuerant: Sicyonii, duodecim: Lacedaemonii, decem: Epidaurii, octo: Eretrienses, septem: Troezenii, quinque: Styrenses, duas: Cei, duas naves (triremes) et duas actuarias quinquaginta remorum: Locri denique Opuntii septem actuariis quinquaginta remorum auxilio venerant.

II. Hi igitur fuere, qui ad Artemisium militarunt: dixique etiam, quem navium numerum singuli populi contulerint. Fuit autem collectarum ad Artemisium navium universus numerus, actuariis quinquaginta remorum exceptis, ducentae septuaginta et una. (2) Imperatorem autem, penes quem imperii summa erat, praebuerant Spartani, Eurybiadem, Euryclidae filium. Dixerant enim

socii, nisi Laco summum obtineret imperium, non se secuturos esse Athenienses duces; sed exercitum, qui futurus esset, dissoluturos.

III. Etenim jam initio, priusquam in Siciliam petendae societatis caussa misissent, agitatus sermo erat, Atheniensibus permittendum esse classis imperium. Contradicentibus vero sociis cesserant Athenienses, quod magni facerent servari Graeciam, pulcreque nossent, si de principatu inter sese contenderent, perituram esse Graeciam: recte quidem illi sentientes. (2) Nam civilis dissensio tanto pejor res est bello communi consensu gesto, quanto pejor res est bellum quam pax. Hoc ipsum igitur intelligentes Athenienses non repugnarunt sociis, sed cesserunt, quamdiu illis magnopere indigebant. Quod satis ipsi ostenderunt: (3) nam, postquam pulso Persa jam de ipsius terra contendere coeperant, caussam prae se ferentes contumeliam Pausaniae, Lacedaemoniis imperium eripuerunt. Sed haec quidem insequente tempore gesta sunt.

IV. At tunc Graeci qui ad Artemisium se contulerant, ut viderunt navium multitudinem, quae ad Aphetas convenerant, omniaque plena conspexerunt militum, metu perculsi, quod praeter opinionem exspectationemque suam res barbaris successisset, de capessenda fuga et de receptu ab Artemisio versus interiora Graecia deliberarunt. (2) Quod ab illis agitari consilium ubi cognovere Euboeenses, orarunt Eurybiadem, ut aliquantisper saltem maneret, donec ipsi liberos suos reliquamque familiam in tuto collocassent. (3) Id postquam Eurybiadi non persuaserunt, alio se convertentes, Atheniensium duci persuaserunt Themistocli, proposita talentorum triginta mercede, ea conditione ut ibi manerent et ante Euboeam pugna navali decernerent.

V. Et Themistocles, ut ibi manerent Graeci, tali ratione effecit. Ex hac pecunia Eurybiadi quinque impertivit talenta, quasi nempe de suo illi daret. Hoc ita persuaso, quum e reliquis solus adhuc Adimantus obniteretur, Ocyti filius, Corinthiorum dux, dicens ab Artemisio se discessurum, nec diutius ibi moraturum: (2) hunc, interposito juramento, Themistocles his verbis adlocutus est: «Non tu quidem nos deseres: tibi enim ego majora munera dabo, quam missurus tibi rex Medorum esset, si desereres socios.» His dictis, in navem Adimanti tria misit talenta. (3) Itaque illi, muneribus perculsi, persuaderi sibi passi sunt, et Euboeensibus gratum factum est; ipse autem Themistocles lucratus est, reliqua sibi retinens: illi vero, quibus pecuniae partem impertiverat, putabant ab Atheniensibus sibi ista conditione datam esse pecuniam.

VI. Itaque ad Euboeam manserunt Graeci, et pugnam navalem commiserunt. Quae res in hunc modum gesta est. Quum post meridiem ad Aphetas pervenissent barbari, jamque antea cognovissent, quod nunc etiam ipsi videbant, Graecorum paucas naves ad Artemisium in statione esse, incessit eos cupido illas adgrediendi, potiri eis posse sperantes. (2) Jam ex adverso quidem protinus contra eas navigare non placuit, hac caussa, ne, si ipsos Graeci viderent contra se navigantes, arriperent fugam, noxque fugientes reciperet; atque erant nimirum fuga salutem consecuturi: debebat autem, ut Persae quidem dictitabant, ne ignifer quidem in vita reliquus manere.

VII. Hac igitur de caussa tale ceperunt consilium. Selectas ex universa classe naves ducentas extra Sciathum, ne ab hostibus conspicerentur, circummiserunt; quae, praeter Caphareum et Geraestum Euboeam circumvectae, in Euripum navigarent; quo nimirum medios illos includerent, hi, ubi in Euripum pervenissent, reditum in Graeciam intercipientes; ipsi vero, ex adverso eos adgredientes. (2) Hoc consilio dimissis navibus ad id delectis, ipsi eo die adgredi Graecos non habuere in animo, non prius illos adgressuri quam edito a circumnavigantibus signo, de quo convenerat, certiores essent facti, ad locum constitutum illos pervenisse. Dum hi ita circumnavigant, interim illi apud Aphetas reliquarum navium ineunt numerum.

VIII. Per idem vero tempus, quo numerum hi inierunt navium, quum esset in hoc exercitu Scyllias Scionaeus, omnium optimus illa aetate urinator, qui etiam in naufragio ad Pelium facto multas res pretiosas Persis servaverat, multasque item ipse adquisiverat sibi; Scyllias hic jam pridem consilium quidem agitaverat ad Graecos transfugiendi, necdum vero occasionem exsequendi consilii erat nactus qualem hoc tempore. (2) Is igitur quo pacto nunc ab Aphetis ad Graecos pervenerit, pro certo dicere non possum: miror vero si vera sunt quae narrantur. Narrant enim, hunc hominem, postquam ex Aphetis mare subiisset, non prius emersisse quam ad Artemisium pervenisset, viam hanc octoginta admodum stadiorum per mare emensum. (3) Memorantur quidem de eodem homine et alia, fabularum speciem habentia; sed in his, vera nonnulla. Ut meam de hac re dicam sententiam, navigio ille ad Artemisium pervenerit. (4) Ut autem eo pervenit, protinus ducibus Graecorum et naufragium quo modo factum sit exposuit, et circummissas circa Euboeam naves indicavit.

IX. His rebus cognitis, deliberarunt Graeci: multisque dictis sententiis, decreverunt eo die ibi manere stationemque servare, post mediam autem noctem discedere, navibusque Euboeam circumnavigantibus obviam ire. (2) Deinde vero, ut nemo contra eos enavigavit, sub solis occasum ipsi adversus barbaros excursionem fecerunt, periculum facturi generis pugnae quo illi usuri essent, et perruptionis per hostiles naves.

X. Quos paucis navibus adversus sese tendentes conspicati milites ducesque Xerxis, prorsus existimantes male sanos eos esse, educunt et ipsi naves, facile se illos intercepturos sperantes: probabili utique spe, ut qui Graecorum naves adeo paucas viderent, suas vero et multis partibus numerosiores et melius navigantes. Haec illi cogitantes, medios Graecos circumcluserunt. (2) Ibi tum, quicumque ex Ionibus bene cupiebant Graecis, et inviti militabant, hi in maxima calamitate ponebant quod illos undique cinctos viderent, nec eorum ullum evasurum existimarunt: ita desperatae his visae erant res Graecorum. (3) Quibus autem lubentibus ea res acciderat, hi acriter inter se contendebant, ut quisque primus, navi capta Attica, praemium a rege acciperet: nam Atheniensium potissima ratio apud utrumque hostium exercitum habebatur.

XI. Graeci, quum adhuc fronte in longum directa proras navium omnium hosti adversas habuissent, ut editum est signum, primum puppes in medium contraxerunt: deinde, altero edito signo, adgressi sunt opus; et in exiguum licet spatium conclusi, jam a fronte impetum in hostes fecerunt. (2) Ibi tunc triginta ceperunt naves barbarorum, et Philaonem, Chersidis filium, Gorgi Salaminiorum regis fratrem, spectatum in exercitu virum. Primus ex Graecis navem hostium

cepit civis Atheniensis Lycomedes, aeschraei filius, et virtutis praemium princeps hic retulit. (3) Caeterum ancipite Marte pugnam hanc navalem pugnantes ingruens nox diremit: et Graeci quidem ad Artemesium sunt reversi; barbari vero Aphetas, multo graviore, quam exspectaverant, certamine defuncti. (4) In hac navali pugna ex Graecis qui cum rege militabant, unus Antidorus Lemnius ad Graecorum transivit partes: cui dein ob hoc factum Athenienses praedium in Salamine dono dederunt.

XII. Facta nocte, quum esset medium anni tempus aestivum, immensa vi aquarum tota nocte cecidit de coelo, et dira tonitrua exstitere de Pelio: moxque cadavera et naufragia ejiciebantur versus Aphetas, et circa navium proras volvebantur, palmulasque impediebant remorum. (2) Haec audientes qui ibi erant milites, terrore perculsi, prorsus se perituros existimabant, tot tantisque simul malis ingruentibus. Etenim priusquam e naufragio et tempestate ad Pelium coorta potuissent respirare, gravis incidit pugna navalis; post pugnam vero vehementissimus imber, et validi torrentes in mare decurrentes, et dira tonitrua. Hi igitur talem egerunt noctem.

XIII. Verum illis, quibus mandatum erat Euboeam circumnavigare, eadem nox multo fuit atrocior; tanto quidem magis, quod in medio pelago versantibus incidit. (2) Et tristis illis finis fuit. Nam postquam illis navigantibus, quum adversus Coela (id est Cava) Euboeae essent, tempestates atque imber incidit; vento abrepti, nescientes ipsi quo ferrentur, ad petras impingebantur. (3) Adeo omnia effecit deus, quibus Persarum copiae aequales fierent copiis Graecorum, nec multo eis essent superiores. Hi igitur circa Coela Euboeae perierunt.

XIV. Qui ad Aphetas erant barbari, ut grata illis dies illuxit, tranquillas tenuere naves; bene secum agi existimantes, si, malis defuncti, quietem in praesenti agere possent. (2) At Graecis subsidio venere tres et quinquaginta Atticae naves: quarum et adventus vires illorum animosque confirmavit, et adlatus simul nuncius, Barbaros Euboeam circumnavigantes coorta tempestate cunctos periisse. (3) Itaque eadem diei hora, qua pridie, navibus evecti, in Cilicienses naves impetum fecerunt: hisque corruptis, ingruente nocte, ad Artemisium reversi sunt.

XV. Tertio vero die aegerrime ferentes barbarorum duces, tam paucas naves adeo contumeliosa sibi damna inferre, veritique Xerxis iram, non amplius exspectarunt dum Graeci pugnae facerent initium; sed se invicem cohortati, circa medium diei navibus sunt evecti. (2) Accidit autem, ut eisdem diebus et navales hae pugnae, et pedestres ad Thermopylas, pugnarentur. Et erat certamen omne, mari, de Euripo; quemadmodum Leonidae et his qui cum eo erant, de custodiendo transitu in Graeciam. (3) Hi igitur sese cohortabantur, ne barbaros in Graeciam transmitterent: illi vero, ut classem delerent Graecorum, et freto potirentur.

XVI. Jam, ubi instructa acie evecta est regia classis, quieti Graeci ad Artemisium stetere. At postquam illi in lunae speciem ordinare naves instituerunt, quo Graecos undique cinctos tenerent; tum vero hi quoque evecti sunt, praeliumque commiserunt. (2) Et in hac quidem navali pugna pares fere utrimque fuere. Etenim Xerxis magna classis ob multitudinem navium ipsa se impediebat, quum et turbarentur naves, et aliae in alias mutuo inciderent. At nihil tamen secius

restiterunt, neque se receperunt; quippe indignissimam rem ducentes, a paucis navibus in fugam verti. (3) Igitur multae quidem Graecorum naves perierunt, multi item homines; sed longe plures et naves barbarorum et homines. Hoc vero certamine defuncti, discesserunt utrimque.

XVII. In hac pugna ex Xerxis militibus praecipuam virtutis laudem aegyptii retulere, quum aliis editis praeclare factis, tum captis quinque Graecorum navibus simul cum vectoribus. (2) Inter Graecos virtus eminuit Atheniensium; et inter Athenienses, Cliniae virtus, filii Alcibiadis; qui propria navi militabat, privato sumptu ducentis viris instructa.

XVIII. Dirempto proelio, libenter utrique ad suam stationem properarunt. Et Graeci, ut e pugna reversi sunt, cadaverum quidem et naufragiorum sunt potiti; sed, quum aspere fuissent accepti, et maxime Athenienses, quorum dimidia pars navium vulneratae erant, ad interiora Graeciae se recipere decreverunt.

XIX. Themistocles vero, reputans secum, si Ionicum genus atque Caricum abstraheretur a Barbaro, reliquis copiis superiores evadere posse Graecos; quum Euboeenses per id tempus greges suos ad mare agerent, eo convocavit Graecorum duces, dixitque, videri sibi ansam habere, qua speraret fortissimos socios abstrahi ab rege posse. (2) Et hoc quidem nonnisi hactenus illis aperuit; ad res autem praesentes quod spectat, ita illis faciendum ait: de Euboeensium gregibus quotquot quisque vellet pecudes mactaret; satius enim esse, suos milites illas habere, quam hostes. Simul illos hortatus est, ut quisque praeciperet suis ignes accendere. (3) De reditu vero, sibi, ait, curae fore justum tempus quo salvi in Graeciam essent perventuri.[TR1] Atque haec illis facere placuit: protinusque accensis ignibus, ad pecudes sese converterunt.

XX. Nempe Euboeenses, insuper habito Bacidis oraculo, quasi nihil dicente, nihil neque ex insula exportaverant, nec in munita loca importaverant, quasi nullus adfuturus hostis esset; adeoque ipsi res suas in magnum discrimen adduxerant. (2) Est autem Bacidis de his oraculum hujusmodi:

Cogita, barbara-lingua-loquens quando juga imposuerit mari

byblina, ut procul Euboea absint multum-mecantes caprae.

His verbis quum illi in malis tunc et praesentibus et imminentibus non essent usi, in promptu erat ut in maximas inciderent calamitates.

XXI. Dum haec aguntur, adfuit e Trachine speculator. Nam et ad Artemisium speculator fuit, Polyas genere Anticyrensis, cui mandatum erat (et ad hoc remis bene instructum navigium in parato habebat), ut, si gravius conflictaretur classis, id illis qui ad Thermopylas erant significaret: et similiter apud Leonidam Habronichus, Lysiclis filius, Atheniensis, paratus fuit qui conscensa

actuaria navi his ad Artemisium renunciaret, si pedestribus copiis novi quidpiam accidisset. (2) Hic igitur Habronichus advenit, significavitque quae circa Leonidam ejusque exercitum gesta erant. Quibus illi rebus cognitis, jam non amplius differendum sibi discessum judicantes, receperunt se eodem ordine quo in statione erant locati; primi Corinthii, postremi Athenienses.

XXII. Tum vero Themistocles, selectis velocissimis Atheniensium navibus, ad aquas quasque circa ea loca potabiles se conferens, lapidibus incidit scripta, quae Iones postridie ejus diei ad Artemisium adpellentes legerunt. (2) Erat autem scriptorum sententia haec: «Viri Iones, inique agitis, qui contra parentes militatis, et Graeciam in servitutem conamini redigere. (3) Immo vero, quod maxime a vobis postulamus, nostris a partibus state! Id si facere non licet vobis, at etiam nunc neutris vos partibus adjungite, et vos ipsi, et Caribus, ut idem faciant, persuadete. (4) Sin horum neutrum fieri potest, sed graviore necessitate, quam ut deficere ab hostibus possitis, estis adstricti; vos in ipso saltem opere, quando pugnam conseremus, consulto cessate, memores a nobis vos esse progenitos, atque etiam inimicitias has, quas cum Barbaro gerimus, primam a vobis originem traxisse.» (4) Haec Themistocles scripsit, ut equidem arbitror, re in utramque partem deliberata; quo eisdem his scriptis, sive ea laterent Barbarum, Iones ad deficiendum a rege et ad Graecos transeundum permoverentur; sive ea renunciata essent Xerxi et in calumniam apud eum adducta, de fide suspecti redderentur Iones, eaque caussa a pugnis navalibus procul haberentur.

XXIII. Ut haec inscripsit Themistocles, continuo post Graecorum discessum civis Histiaeensis, navigio profectus, barbaris fugam illorum ab Artemisio nunciavit. (2) At illi, fidem nuncio non adhibentes, in custodia hominem tenuerunt; velocesque naves, quae rem explorarent, praemiserunt. A quibus quum relatum esset id quod res erat, ita demum universa simul classis, ut primi spargebantur radii solis, ad Artemisium profecta est. (3) Ibi usque ad meridiem morati, Histiaeam inde navigarunt. Quo ubi pervenere, Histiaeorum urbe potiti, maritimos omnes vicos Ellopii agri, qui ditionis Histiaeotidis est, incursarunt.

XXIV. Hi dum ibi morantur, interim Xerxes, postquam quae ad occisorum cadavera spectant, praeparaverat, nuncium misit ad classem. Praeparaverat autem haecce. Quotquot de ipsius exercitu ceciderant (erant autem ad vicies mille), ex his nonnisi mille admodum reliquit, caeteros depressis in id fossis sepelivit, superne stratis arborum foliis, ingestaque humo, ne a classiariis conspicerentur. (2) Ut Histiaeam praeco pervenit, convocata totius exercitus concione, haec edixit: «Viri, armorum socii, rex Xerxes, unicuique e vobis, quisquis voluerit, potestatem dat suum ordinem relinquendi, spectatumque veniendi quo pacto ille cum male sanis his hominibus pugnet, qui se regis copias superaturos esse speraverant.»

XXV. Haec postquam nuncius edixit, mox nihil rarius fuit quam navigia: ita multi cupidi erant spectandi. Et hi, ad Thermopylas transvecti, obierunt spectaruntque cadavera: et, quum Lacedaemoniis mixtos Helotas viderent, hos omnes, qui ceciderant, Lacedaemonios et Thespienses esse arbitrabantur. (2) Nec vero latuit transvectos quid de suis, qui ceciderant, Xerxes fecisset: namque manifeste ridiculum erat; quum Persarum nonnisi mille jacentia cadavera conspicerentur, Graecorum autem in unum locum congesta quattuor millia. (3) Hunc

igitur diem spectando insumpsere: postridie vero classiarii, qui trajecerant, Histiaeam ad naves sunt reversi; Xerxes autem cum suis ad ulterius progrediendum se accinxit.

XXVI. Per idem tempus venere ad Persas transfugae ex Arcadia, homines numero pauci, victum quaerentes, et operam sum illis praestare cupientes. Hos in conspectum regis adductos interrogarunt Persae de Graecis, quidnam illi facerent: et unus quidam prae caeteris erat, qui hoc ex illis quaesivit. (2) Responderunt illi, Olympia Graecos agere, spectareque certamen gymnicum et curule. Tum rursus interrogati, quodnam esset propositum praemium, de quo contenderent; dixere, oleae dari coronam. (3) Ibi tum Tritantaechmes, Artabani filius, nobilissimam dicens sententiam, timiditatis culpam apud regem incurrit. (4) Ut enim audivit, coronam esse certaminis praemium, non pecunias, silentium non tenuit; sed coram omnibus, «Papae, inquit, Mardonie, quales contra viros tu nos pugnaturos duxisti, qui non de pecuniis, sed de virtute, certamina instituunt!» Hoc ejus dictum erat.

XXVII. Interea temporis, post infelicem rerum ad Thermopylas exitum, protinus Thessali praeconem miserunt ad Phocenses; quippe quibus semper fuerant infensi, maxime vero a clade novissime ab illis accepta. (2) Etenim paucis annis ante hanc expeditionem a Barbaro susceptam Thessali eorumque socii, quum omnibus copiis invasissent Phocenses, victi ab illis erant aspereque accepti. (3) Quum enim apud Phocenses, ad Parnassum conclusos, vates esset Tellias Eliensis, callidum inventum hic Tellias illis commentus erat hujusmodi: (4) sexcentis viris Phocensium fortissimis, et ipsis et eorum armis, creta dealbatis, noctu de improviso impetum in Thessalos fecit, mandato dato suis, ut, quemcumque non albicantem cernerent, hunc interficerent. (5) Igitur primae Thessalorum custodiae, his conspectis, aliud existimantes esse prodigium, fugam capessiverunt, et post custodias ipse exercitus; ita ut quattuor millibus caesorum et scutorum potirentur Phocenses, quorum scutorum dimidium apud Abas dedicarunt, reliquas Delphis; utque ex decima pecuniarum hoc praelio partarum factae sint ingentes illae statuae, quae ante templum Delphicum circa tripodem positae sunt, et aliae similes Abis dedicatae.

XXVIII. Hoc modo Phocenses peditatum acceperant Thessalorum, a quibus fuerant oppugnati: equitatum vero eorumdem, terram ipsorum invadentem, insanabili clade adfecerant. (2) Nam in introitu, qui est ad Hyampolin, ducta ingenti fossa, in eaque vacuis depositis amphoris, et solo injecta humo rursus aequato, incurrentes exspectaverant Thessalos. (3) Et illi, tamquam facile eos oppressuri, magno impetu invecti, in amphoras inciderant, et equi fractis cruribus perierant.

XXIX. Cujus duplicis cladis caussa infensi Phocensibus Thessali, misso praecone, haecce eis edixere: «Meliora edocti, Phocenses, intelligite tandem, pares vos nobis non esse. (2) Nam et antehac inter Graecos, quoad nobis res eorum placuere, superiores semper fere eramus vobis, et nunc apud Barbarum tantum valemus, ut penes nos sit et agro vos exui, et in servitutem abripi. (3) At, licet omnia possimus, tamen injuriarum non sumus memores: sed pro illis rependantur nobis quinquaginta argenti talenta; et recipimus vobis, aversuros nos mala terrae vestrae impendentia.»

XXX. Haec Phocensibus Thessali edixere. Soli enim ex omnibus illarum regionum hominibus Phocenses Medorum partes non sequebantur, nulla quidem alia de caussa, ut ego collatis inter se rationibus reperio, nisi odio Thessalorum; qui si Graecorum partibus se adjunxissent, cum Medis facturi fuisse Phocenses mihi videntur. (2) Ista igitur quum Thessali edixissent; nec pecunias se daturos, responderunt Phocenses, et in promptu sibi esse, Medorum partes, similiter atque Thessali faciant, amplecti, si modo vellent; sed nolle se ultro proditores esse Graeciae.

XXXI. Quod ubi relatum est responsum, tum vero Thessali, irati Phocensibus, viae duces fuere Barbaro. (2) Et primum quidem ex Trachinia Doridem sunt ingressi. Etenim Doricae terrae angusta lacinia, triginta fere stadiorum latitudine, hac porrigitur, inter Maliacam et Phocidem terram interjecta; qui tractus olim Dryopis erat. (3) Est autem haec regio metropolis Doriensium, eorum qui Peloponnesum incolunt. Hanc igitur Doridem terram ingressi barbari non vastarunt; etenim cum Medis sentiebant incolae, nec placuerat Thessalis ut injuria his inferretur.

XXXII. Ut vero ex Doride in Phocidem sunt ingressi, ipsos quidem Phocenses non sunt nacti. Nam eorum alii in Parnassi fastigia conscenderant: est autem ad recipiendam multitudinem idoneus Parnassi vertex contra Neonem oppidum seorsum situs, cui Tithorea nomen; (2) in quem nimirum et res suas comportaverant, et ipsi adscenderant. Major vero pars eorumdem in Ozolas Locros sese atque res suas receperant, in Amphissam oppidum, supra Crisaeum campum situm. (3) Barbari autem universam terram Phocidem incursarunt; ita enim exercitum duxerunt Thessali: et quocumque pervenerunt, cuncta cremarunt vastaruntque, ignem et in oppida et in templa injicientes.

XXXIII. Hac enim iter facientes secundum Cephissum fluvium, omnia depopulabantur; cremaruntque Drymon oppidum, et Charadram, et Erochum, et Tethronium, et Amphicaeam, et Neonem, et Pedieas, et Triteas, et Elateam, et Hyampolin, et Parapotamios, et Abas, (2) ubi opulentum erat Apollinis templum thesauris donariisque multis instructum: eratque ibidem, atque etiam nunc est, oraculum: hoc quoque templum, exspoliatum, igne cremarunt. (3) Atque Phocensium nonnullos, ad montana insecuti, captivos fecerunt; et nonnullis etiam mulieribus, ob multitudinem vim facientium, necem attulerunt.

XXXIV. Parapotamios praetergressi barbari in Panopensium agrum venerunt. Inde jam discretae illorum copiae, bifariam divisae sunt. Plurima quidem et validissima pars exercitus una cum ipso Xerxe, Athenas tendens, in Boeotiam intravit, in fines Orchomeniorum. (2) Boeotorum autem universa multitudo cum Medis sentiebat: et oppida illorum tutabantur viri Macedones, ab Alexandro ad hoc missi; tutabantur ea autem, hoc ipso declaraturi Xerxi, cum Medis sentire Boeotos. Hi igitur ex Barbaris hac via incedebant.

XXXV. At illorum alii, sumptis viarum ducibus, versus Delphicum templum intendebant iter, Parnassum a dextra relinquentes. Quascumque vero etiam hi Phocidis permearunt regiones, has cunctas evastarunt: nam et Panopensium oppidum incenderunt, et Dauliorum, et aeolidarum.

(2) Viam autem istam hi, sejuncti ab reliquo exercitu, ingressi sunt hoc consilio, ut, spoliato Delphico templo, opes illius Xerxi regi repraesentarent. (3) Noverat autem, ut ego accepi, Xerxes omnia quae in hoc templo erant melius quam quae suis in aedibus reliquerat, quippe multis ea constanter memorantibus, ac praesertim Croesi donaria, Alyattis filii.

XXXVI. Ejus rei nuncius gravissimum Delphensibus timorem injecit: quo terrore perculsi, oraculum de sacris pecuniis rebusque pretiosis consuluerunt, utrum in terram eas defoderent, an in aliam regionem exportarent. (2) At vetuit deus loco illas movere, dicens, se ipsum ad tutanda sua sufficere. Quo audito responso, jam sibi ipsis Delphenses consuluerunt: (3) et liberos quidem et uxores trans mare in Achaiam dimisere: ipsorum vero plerique in juga conscenderunt Parnassi, resque suas in Corycium antrum comportarunt; alii vero in Amphissam Locridem secesserunt. Itaque cuncti Delphenses reliquerunt urbem, exceptis sexaginta viris et propheta.

XXXVII. Ut vero adpropinquarunt invadentes barbari, jamque in conspectu habuere templum; ibi tunc propheta, cui nomen erat Aceratus, sacra arma vidit ante templum proposita, ex interiore penetrali prolata, quae nulli hominum fas erat tangere. (2) Atque ille hoc prodigium Delphensibus, qui in urbe aderant, nunciatum ivit. Ut vero gradum accelerantes barbari prope aedem fuere Minervae Pronaeae, alia his oblata sunt prodigia, superiori etiam prodigio majora. (3) Nam et hoc sane mirabile est, arma Martia sua sponte extra templum proposita adparuisse: sed quae mox deinde evenerunt, ea prae omnibus ostentis maxima admiratione digna sunt. (4) Ubi enim subeuntes barbari prope Pronaeae Minervae aedem fuere, ibi tum et de coelo fulmina in eos deciderunt, et de Parnasso abrupta duo cacumina ingenti cum fragore in eosdem praecipitarunt, multosque oppresserunt, et ex Pronaeae aede clamor et ululatus est exauditus.

XXXVIII. Quibus rebus simul incidentibus, terror barbaris est incussus: quos ubi fugam capessere Delphenses intellexerunt, descendentes de monte non exiguam illorum stragem edidere; reliqui vero recta in Boeotiam profugerunt. (2) Memorarunt autem, ut ego accepi, hi ex barbaris qui redierunt, praeter ista se alia etiam ostenta divinitus missa vidisse: namque duos armatos, majores quam pro humana natura, continenter sibi institisse, persequentes caedemque facientes.

XXXIX. Istos duos, aiunt Delphenses, indigenas fuisse heroas, Phylacum et Autonoum, quorum fana sunt in templi vicinia; Phylaci quidem, secundum ipsam viam, supra Pronaeae aedem; Autonoi vero, prope Castaliam sub Hyampeo cacumine. (2) Saxa autem, quae de Parnasso deciderant, ad nostram usque aetatem superfuerunt, in agro Minervae Pronaeae sacro jacentia; in quem, postquam per barbaros devoluta sunt, incubuerunt. Isto igitur modo hi homines a Delphico templo discesserunt.

XL. Jam classis Graecorum, ab Artemisio profecta, rogatu Atheniensium ad Salaminem adpulit. Et hoc quidem consilio Athenienses a sociis, ut ad Salamina adpellerent, rogaverant, ut ipsi liberos et uxores ex Attica exportatos in tuto locarent, et porro quid sibi faciendum esset deliberarent. (2) Nam pro praesente rerum statu, quum opinione sua essent frustrati, consilium

capturi erant. Etenim quum existimassent se Peloponnesios cum omnibus copiis reperturos esse in Boeotia subsidentes ibique Barbarum excepturos, nihil horum repererant: sed certiores erant facti, Isthmum illos muro intercipere, et Peloponnesus ut salva sit maxime curare, hancque custodire, caetera omittentes. Haec quum intellexissent Athenienses, idcirco socios, ut ad Salamina sisterent classem, rogaverant.

XLI. Et reliqui quidem ad Salamina adpulerunt, Athenienses vero ad Atticam. Quo ubi pervenere, praeconio edixerunt, quo loco quisque posset Atheniensium, eo liberos et familiam in tuto locaret. (2) Ibi tunc plerique Troezena eos miserunt, alii vero in aeginam, alii Salamina. Properarunt autem suos suaque extra Atticam in tuto locare, partim oraculi mandato obtemperare cupientes, partim, nec minime, hac de caussa: (3) dicunt Athenienses, ingentem serpentem, arcis custodem, versari in templo, nec vero id perhibent solum, sed etiam tamquam re vera ibi versanti menstrua sacra faciunt adponuntque: est autem menstruum sacrificium, placenta melle condita. Haec placenta, quum superioribus temporibus constanter consumpta fuisset, tunc intacta erat. (4) Quod ubi significavit antistita templi, tanto magis atque studiosius urbem reliquerunt Athenienses, quod etiam dea arcem deseruisset. Exportatis autem rebus omnibus, in tutoque locatis, ad castra navigarunt.

XLII. Postquam vero isti ab Artemisio ad Salamina constituerant classem, accepto ejus rei nuncio reliquae etiam nauticae Graecorum copiae eodem confluxerunt, Troezene profectae. Edictum enim illis fuerat, ut ad Pogonem, Troezeniorum portum, convenirent: et convenerant multo plures quam quae ad Artemisium navali praelio erant defunctae, et ex pluribus civitatibus. (2) Classi cum imperii summa praefectus erat idem qui ad Artemisium, Eurybiades, Euryclidae filius, Spartanus, nec vero ex regio genere natus: sed plurimas naves, optimeque navigantes, praebuerant Athenienses.

XLIII. Qui autem hac in classe militabant, hi fuere: ex Peloponneso, Lacedaemonii, sedecim naves praebentes: tum Corinthii, totidem naves cum vectoribus praebentes quot ad Artemisium: Sicyonii vero quindecim praebuerunt naves; Epidaurii, decem; Troezenii, quinque; Hermionenses, tres. Sunt autem isti, exceptis Hermionensibus, Dorica et Macedna natio, ex Erineo et Pindo et Dryopide novissime profecti. (2) Hermionenses vero Dryopes sunt, ab Hercule et Maliensibus ex regione quae Doris nunc vocatur ejecti. Hae copiae Peloponnesiorum erant.

XLIV. Ex populis vero continentem extra Peloponnesum incolentibus adfuere, primum, Athenienses, qui prae reliquis omnibus centum et octoginta naves contulerunt: et hi quidem nunc soli erant; nam in pugna ad Salaminem Atheniensibus Plataeenses praesto non fuere, hac de caussa: quo tempore Graeci, relicto Artemisio, prope Chalcidem fuerant, Plataeenses in oppositam Boeotiae oram exscenderant, et ad familias suas in tuto locandas erant profecti: (2) ita, dum suos tutantur, in tempore non adfuerunt. Athenienses, quo tempore Pelasgi Graeciam quae nunc vocatur tenebant, Pelasgi fuerant, Cranai nominati; sub Cecrope vero rege, Cecropidae sunt adpellati: tum regnante Erechtheo, mutato nomine, Athenienses adpellati: ab Ione vero, Xuthi filio, qui copiarum dux fuit Atheniensium, Iones sunt denominati.

XLV. Megarenses totidem naves cum vectoribus contulerant, quot ad Artemisium. Ampraciotae cum septem navibus praesto erant: Leucadii cum tribus; Doricus hic quoque populus est, ex Corintho.

XLVI. Ex insulanis aeginetae naves contulerant triginta: et instructas quidem etiam alias habebant, sed illis suam custodiebant terram, triginta vero optime navigantibus pugnarunt ad Salaminem. Sunt autem aeginetae Dorienses, ex Epidauro: nomen vero insulae prius oenone fuerat. (2) Post aeginetas, Chalcidenses aderant cum viginti navibus quas easdem ad Artemisium habuerant; et Eretrienses cum eisdem septem navibus: Ionica haec gens est. Deinde Cei, Ionicus populus Athenis oriundus, cum eisdem quibus ad Artemisium. (3) Naxii cum quattuor navibus aderant; ad Medos quidem missi a civibus, quemadmodum reliqui insulani: sed spreto mandato ad Graecos sese contulerant hortante Democrito, spectato inter suos viro, qui tunc trierarcha erat. Sunt autem Iones Naxii, Athenis oriundi. (4) Styrenses easdem, quas ad Artemisium, naves contulerunt; Cythnii vero triremem unam, et actuariam quinquaginta remorum: utrique hi Dryopes sunt. (5) Seriphii etiam, et Siphnii, et Melii cum Graecis militarunt: hi enim soli ex insulanis Barbaro terram et aquam non tradiderant.

XLVII. Quos adhuc memoravi pugnae ad Salamina socios, hi omnes citra Thesprotiam et Acherontem fluvium habitant: Thesproti enim finitimi sunt Ampraciotis et Leucadiis, qui ex ultimis Graeciae regionibus adfuerunt. (2) Ex his vero qui ultra incolunt, soli Crotoniatae fuere, qui periclitanti succurrerent Graeciae, et una quidem nave, cui praefuit vir ter Pythiorum certaminum victor, Phayllus: sunt autem Crotoniatae origine Achaei.

XLVIII. Jam reliqui quidem, quos memoravi, triremes in bellum praebuerunt; Melii vero et Siphnii et Seriphii penteconteros (longas naves remis quinquaginta instructas) et Melii quidem, genus a Lacedaemone derivantes, duas praebuere; Siphnii vero et Seriphii, Iones ab Athenis originem ducentes, utrique unam. Fuit autem universus navium numerus, demptis penteconteris, trecentae septuaginta et octo.

XLIX. Ut ad Salaminem convenit ex praedictis civitatibus classis, deliberarunt duces, rogante Eurybiade ut sententiam diceret quisquis vellet, quo loco oportunissimum videretur pugna navali decernere, ex eis nempe locis quae in ipsorum essent potestate: jam enim Attica pro derelicta erat: itaque de reliquis locis rogavit. (2) Et pleraeque eorum, qui verba fecerunt, in hoc congruebant sententiae, ad Isthmum navigandum esse, et ante Peloponnesum navali pugna decernendum: cujus sententiae hanc rationem reddebant, quod, si inferiores ex pugna discessissent, et Salamine essent, obsiderentur in insula, ubi nullum ipsis adparere subsidium posset; ad Isthmum vero, ad suos se possent salvi recipere.

L. Dum ita duces Peloponnesiorum disputant, advenit vir Atheniensis, nuncians in Atticam ingressum esse Barbarum, et totam regionem igne vastare. (2) Quippe exercitus una cum Xerxe, itinere per Boeotiam facto, incensa Thespiensium urbe, qui in Peloponnesum se receperant,

itemque Plataeensium urbe, Athenas profectus, omnia illius regionis loca evastabat. Incenderat autem Thespiam et Plataeam, quod a Thebanis audisset, cum Medis illos non sentire.

LI. A transitu Hellesponti, unde iter facere coeperant barbari, postquam ibi unum mensem erant morati, quo in Europam transierunt, tribus proximis mensibus in Attica adfuerunt, praetore Atheniensibus Calliade. (2) Deprehenderunt autem vacuam urbem, et paucos quosdam Atheniensium in templo versantes, quaestores templi, et pauperes nonnullos homines; qui arce asseribus atque palis ligneis praesepta arcebant subeuntes. Hi et ob victus inopiam sese Salaminem non receperant, et quos se solos existimarent sententiam reperisse oraculi a Pythia editi, ligneum murum insuperabilem fore; nempe hoc ipsum esse certum illud refugium, quod oraculo significatum esset, non naves.

LII. Persae vero, castris in tumulo positis ex adverso arcis sito, quem Areopagum (Martium tumulum) Athenienses vocant, hoc modo illam oppugnarunt: stupam sagittis circumdatam incendebant, atque ita sagittas adversus vallum jaculabantur. (2) Tunc oppugnati Athenienses, ad extremum licet malum redacti, fallente eos etiam vallo, tamen resistebant; nec conditiones de deditione admittebant, a Pisistratidis propositas. Resistebant autem, quum alia contrà machinantes, tum et, quoties ad portam succederent barbari, ingentibus in eos saxis devolutis; ut perdiu Xerxes inops fuerit consilii, quum illos expugnare non posset.

LIII. Ad extremum vero, post illas difficultates, introitus quidam in arcem barbaris adparuit: debuit enim, juxta oraculum, universa Atheniensium terra, quatenus in continente erat, in barbarorum venire potestatem. (2) Erat igitur ante arcem, sed in parte a porta et adscensu aversa, locus ubi nemo excubabat, et ubi nemo crediderat quemquam hominum umquam adscensurum: eo loco, quamvis praerupto, adscenderunt nonnulli prope Aglauri fanum, Cecropis filiae. (3) Quos ut in arcem conscendisse viderunt Athenienses, alii de muro sese praecipitarunt perieruntque, alii in interiorem templi aedem confugerunt. (4) Persae vero qui adscenderant, primum ad portam adcurrerunt, eaque aperta trucidarunt supplices; quibus omnibus occisis, spoliarunt templum, et universam acropolin incenderunt.

LIV. Tum Xerxes, Athenis penitus potitus, equitem Susa misit, qui Artabano rem ab ipsis feliciter gestam nunciaret. Postridie vero quam nuncium hunc dimisit, convocatis Atheniensium exsulibus, qui illius castra sequebantur, mandavit, ut in arcem adscenderent, suoque ritu ibi sacra facerent; sive quod viso nocturno monitus hoc illis imperavit, sive religio quaedam eum incesserat quod templum cremasset. Et Atheniensium exsules mandata fecerunt.

LV. Cur autem hujus rei fecerim mentionem, dicam. Est in hac acropoli templum Erechthei illius, qui terra genitus dicitur, quo in templo olea inest et mare, quae Athenienses narrant ab Neptuno et Minerva, quum de terrae hujus possessione inter se certarent, posita fuisse monumenta. (2) Haec igitur olea simul cum reliquo templo a barbaris erat cremata: altero vero ab hoc incendio die, ut in id templum adscenderunt Athenienses sacra facere jussi a Xerxe, surculum viderunt e stipite enatum, cubiti fere longitudine. Hoc quidem illi memorarunt.

LVI. Graeci vero ad Salaminem, ut nunciatum est eis quo statu esset Athenarum acropolis, tanto sunt terrore perculsi, ut e ducibus nonnulli ne manserint quidem donec super quaestione proposita fieret decretum, sed in naves sese conjicientes vela panderint tamquam abituri; et reliqui, re deliberata, fecerunt decretum, ad Isthmum esse pugnandum. Jamque nox aderat; et hi quoque, soluto consessu, naves sunt ingressi.

LVII. Ibi tunc Themistoclem, in navem reversum, interrogavit Mnesiphilus, civis Atheniensis, quidnam ab illis decretum foret. A quo ubi cognovit, decretum esse ut navibus ad Isthmum deductis ante Peloponnesum dimicarent: (2) «Quodsi igitur, inquit, hi Salamine solverint, tu pro nulla amplius patria pugnabis. Nam in suas quique civitates se recipient, et nec Eurybiades, nec quisquam hominum alius retinere eos poterit, quin dissolvatur exercitus: et per ducum imprudentiam peritura est Graecia. (3) At tu, si qua via aut ratio superest, perge, et, quae decreta sunt, operam da ut rescindas; si forte persuadere Eurybiadi potueris, ut mutato consilio hic maneat.»

LVIII. Themistocli admodum placuit monitum: qui, nullo ad haec responso dato, ad Eurybiadis navem perrexit. Quo ubi venit, de communibus rebus, ait, se aliquid cum illo communicaturum: et ille, si quid secum vellet, navem suam conscendere eum jussit. (2) Ibi tum Eurybiadi adsidens Themistocles, et omnia ista quae ex Mnesiphilo audiverat, tamquam sua, exposuit, et multa alia adjecit, donec precibus eum expugnavit, ut nave egrederetur, et in concilium iterum convocaret duces.

LIX. Qui ubi convenerunt, priusquam rem, cujus caussa convocati duces erant, Eurybiades proponeret, multos Themistocles fecit sermones, enixe flagitans. (2) Quem loquentem interfatus, Corinthius dux Adimantus, Ocyti filius: «Themistocles, inquit, in certaminum solemnibus, qui ante tempus surgunt, flagris caeduntur.» Et ille, sui purgandi caussa, ait: «At, qui pone manent, non coronantur.»

LX. Ita tunc quidem placide respondit Corinthio. Ad Eurybiadem vero conversus, nihil jam eorum dixit quae ante exposuerat, dispersum iri socios, si Salamine solvissent: (2) etenim, praesentibus sociis, nullo modo decorum erat ut eos accusaret: sed aliam dicendi rationem tenens, ita locutus est: (I.) «Penes te nunc est servare Graeciam, si meum consilium secutus, hic manens pugnam navalem commiseris, neque his morem gesseris qui naves ad Isthmum promovendas esse contendunt. Accipe enim, et alteram alteri rationi oppone. (3) Ad Isthmum pugnam committens, in aperto mari pugnabis, ubi minime nobis conducit, graviores naves habentibus, et numero pauciores. Porro Salaminem perdes, et Megara, et aeginam, etiamsi caeteroquin feliciter nobis res esset cessura. (4) Nam classem illorum secuturus est pedestris exercitus, adeoque tu ipse eos in Peloponnesum duxeris, periculumque fuerit ut universam perdas Graeciam. (II.) Sin quae ego dico feceris, haec in illis commoda reperies. Primum quidem, in angusto mari confligentes paucis navibus adversus multas, si rationi consentaneus exitus fuerit pugnae, multo erimus superiores. Nam in angusto praelium navale facere, pro nobis est; in aperto vero, pro illis. (5) Deinde Salamis servatur, in qua nos liberos nostros et uxores deposuimus. Tum vero etiam illud

in hac ratione continetur, quod inprimis vobis cordi est: nam, hic manens, pariter pro Peloponneso pugnabis, atque ad Isthmum; nec vero illos, si sapueris, in Peloponnesum duces. (III.) Sin quod ego spero evenerit, pugnaque navali vicerimus, tunc nec ad Isthmum vobis aderunt barbari, nec ultra Atticam progredientur, sed incondita fuga se recipient, lucrabimurque servata Megara, et aeginam, et Salaminem, ad quam nos hostibus superiores esse futuros oraculo etiam praedictum est. (6) Jam consilia rationi consentanea capientibus hominibus solent plerumque etiam consentanea evenire: sin contra rationem consulunt, ne deus quidem humanis sententiis accedere amat.»

LXI. Haec ubi Themistocles dixit, iterum in eum invectus est Corinthius Adimantus, tacere jubens virum cui nulla sit patria, vetansque Eurybiadem suffragia rogare super sententia ab homine exsule proposita; quando enim patriam ostendere Themistocles potuerit, tunc demum ei licitum fore sententias cum aliis conferre. Haec in eum dicta projecit, quod captae Athenae in hostium essent potestate. (2) Tum vero Themistocles et illum et Corinthios multis insectatus maledictis, ratione eis demonstravit, et urbem et terram Atheniensibus ampliorem, quam illis, esse, quamdiu ducentas habuerint naves instructas; nullum enim Graecum populum, quem adierint, ipsos esse repulsurum.

LXII. Haec postquam significavit, ad Eurybiadem convertens sermonem, majore concitatione ait: «Tu si hic manes, hicque manens fortem te virum praestas, recte feceris; si non, Graeciam evertes. Nam summa belli nobis in navibus vertitur. (2) Tu vero mihi morem gere. Id ni feceris; nos quidem e vestigio, receptis nostris, Sirin proficiscemur, Italiae urbem, jam antiquitus nostram, quam a nobis instaurandam esse oracula etiam dicunt: vos vero, talibus sociis privati, eorum quae dixi reminiscemini.»

LXIII. His a Themistocle dictis meliora edoctus Eurybiades est. Et maxime quidem eo mihi videtur sententiam mutasse, quod vereretur, ne, si ad Isthmum deduceret classem, Athenienses desererent socios: qui si illos deseruissent, reliqui non amplius pares hostibus erant futuri. Hanc igitur suscepit sententiam, ut ibi manerent, ibique navali pugna decernerent.

LXIV. Hoc modo quum hi ad Salaminem verbis inter se essent velitati, postquam ita placuit Eurybiadi, ad committendum ibidem navale praelium se compararunt. Et ut illuxit dies, simul cum oriente sole et terra et mare contremuit. Itaque diis vota facere placuit, et aeacidas socios invocare. (2) Utque placuit, ita fecerunt. Deos omnes precati, protinus ex Salamine Ajacem et Telamonem advocarunt: et ad advehendum aeacum reliquosque aeacidas navem in aeginam miserunt.

LXV. Fuit per id tempus Dicaeus, Theocydis filius, civis Atheniensis, exsul et in existimatione apud Medos, qui narravit: quo tempore Attica, Atheniensibus nudata, vastabatur a pedestri Xerxis exercitu, fuisse tunc se forte cum Demarato Lacedaemonio in Thriasio campo, vidisseque ibi pulverem ab Eleusine orientem, tamquam a triginta admodum millibus hominum excitatum; quumque miratus esset quibusnam ab hominibus excitaretur ille pulvis, exaudisse mox vocem,

quae vox ei visa esset mysticus esse Iacchus. (2) Tum Demaratum, qui sacrorum Eleusiniorum esset ignarus, ex se quaesisse quid esset quod ita sonaret, seque ei respondisse: «Demarate, haud aberit quin magna clades exercitum regis adfligat. Quum enim deserta sit Attica, prorsus manifestum est, divinum esse hunc sonum, ab Eleusine auxilio venientem Atheniensibus eorumque sociis. (3) Quod quidem ostentum si Peloponnesum versus cadet, periculum ipsi regi et pedestribus illius copiis erit: sin ad classem convertetur quae Salamine est, navalibus regis copiis exitium portenderit. (4) Agunt autem quinto quoque anno hoc festum Athenienses Cereri Matri et Proserpinae: et, quisquis vult ipsorum et reliquorum Graecorum, his sacris initiatur; et hoc vocis sono, quem audis, in ejusdem festi solemnibus Iacchum celebrant.» (5) Ad haec Demaratum dixisse: «Silentium tene, neu alii cuiquam hoc dicas. Quod si enim ad regem deferentur haec tua verba, capite lues, nec aut ego aut quisquam hominum alius servare te poterit. Quare tu sile: quod autem ad exercitum hunc pertinet, id diis curae erit.» (6) Hoc sibi Demaratum ait praecepisse: tum vero ex pulvere illo et sonitu ortam esse nubem, quae in sublime levata, versus Salaminem ad castra Graecorum delata sit. Ita se intellexisse, classem Xerxis perditum iri. Haec Dicaeus, Theocydis filius, referebat, Demaratum aliosque testes citans.

LXVI. Nauticus Xerxis exercitus, postquam ex Trachine, conspecta Laconica strage, in Histiaeam rursus trajecerat, tres dies ibi moratus per Euripum navigavit, et aliis tribus diebus Phalerum pervenit. (2) Videnturque mihi hostes, et terra et mari advenientes, non minore hominum numero Athenas invasisse, quam cum quo ad Sepiadem venerant et ad Thermopylas. (3) Eis enim qui tempestate perierunt, et qui ad Thermopylas ceciderunt et in navalibus pugnis ad Artemisium, hos oppono qui tunc nondum secuti regem erant, Malienses, et Dorienses, et Locros, et Boeotos; qui nunc omnibus copiis, exceptis Thespiensibus et Plataeensibus, eum sequebantur; ad haec utique Carystios, et Andrios, et Tenios, reliquosque insularum incolas omnes, praeter quinque illas civitates, quarum nomina supra commemoravi. (4) Nam quo magis intro in Graeciam progrediebatur Persa, tanto plures eum populi sequebantur.

LXVII. Postquam igitur hi omnes Athenas pervenerant, Pariis exceptis; nam Parii, pone manentes in Cythno, exitum belli exspectabant: reliqui vero ut in Phalerum pervenerunt, ibi tunc Xerxes ipse ad classem descendit, cum navium ducibus cupiens sermones conferre, sententiasque eorum explorare. (2) Eo igitur profectus quum concilio praesideret, aderant convocati populorum regi subjectorum tyranni, et ordinum in classe praefecti, sedentes prout cuique illorum honorem rex tribuerat: primus quidem, Sidonius rex; post hunc Tyrius; tum reliqui. (3) Qui ut ordine deinceps consederant, Mardonium Xerxes misit, qui tentaret singulos interrogaretque, an faciendum esse navale praelium censerent.

LXVIII. Quos ubi Mardonius, initio facto ab Sidonio, circumiens rogavit, communi consensu reliqui omnes pro sententia dixere, faciendum esse praelium navale; una Artemisia haec verba fecit: (I.) «Dic tu regi, Mardonie, me haec dicere. (2) Equidem, quae in pugnis ad Euboeam factis nec ignavissima fui, nec minima facta edidi, domine, par est ut veram meam sententiam edam, dicamque quae tuis rebus maxime conferre censeo. (3) Atqui hoc dico: parce navibus, neu praelium navale committe. Hi enim viri tuis viris mari tanto sunt superiores, quanto mulieribus viri. Quid autem omnino necesse est ut navalis pugnae adeas discrimen? annon Athenas tenes, quarum caussa hanc suscepisti expeditionem? annon reliquam quoque Graeciam tenes? (4) neque quisquam tibi resistit: nam, qui adhuc restiterunt, hi ita abs te accepti sunt ut

commeruere. (II.) Quem vero exitum habituras esse putem res adversariorum, dicam. (5) Si tu non properaveris navalem facere pugnam, sed hic manens ad terram adplicueris naves, aut si in Peloponnesum etiam progredieris; facile tibi, Domine, succedent ea quorum caussa huc venisti. (6) Neque enim diu tibi resistere poterunt Graeci, sed disperges eos, et in suas quique civitates profugient. Nec enim commeatus illis, ut ego audio, in hac insula paratus adest: nec verosimile est, si tu adversus Peloponnesum duxeris pedestrem exercitum, tranquillos hic mansuros hos qui ex illa regione venerunt; nec illis curae erit pro Atheniensibus discrimen navalis praelii adire. (III.) Sin protinus praelium facere maturaveris, vereor ne navalis exercitus male acceptus, pedestri quoque calamitatem sit adlaturus. (7) Ad haec, rex, hoc etiam cogites velim, bonis viris servos solere esse malos, malis vero bonos. (8) Atqui tibi, viro omnium optimo, mali servi sunt, hi qui in sociorum numero dicuntur esse, nempe aegyptii, et Cyprii, et Cilices, et Pamphylii, inutiles prorsus homines.»

LXIX. Haec ubi Artemisia Mardonio dixit, quicumque reginae favebant, dolebant eam ista locutam, verentes ne malum quoddam ei a rege immineret, quod illum vetuisset navalem pugnam facere: qui vero invidebant ei maleque cupiebant, ut quae prae reliquis omnibus sociis in honore esset apud regem, judicio illius delectabantur, quippe exitium ei adlaturo. (2) At ut ad Xerxem relatae sunt sententiae, admodum gavisus est illius sententiae: et, quum jam antea eximiam esse mulierem judicasset, nunc etiam magis eam laudavit. Attamen hac in re pluribus, ait, esse parendum; ratus ad Euboeam sponte suos rem male gessisse, quoniam ipse abfuisset: nunc autem constituerat ipse spectare pugnantes.

LXX. Postquam enavigandi signum datum est, eduxerunt naves Salaminem versus, et per otium explicuerunt aciem. At tunc quidem non suffecit dies, ut committeretur praelium: nox enim supervenit; et illi in posterum diem sese comparabant. (2) Graecos vero metus incessit et trepidatio, praesertim vero Peloponnesios: angebantur quippe, quod ad Salaminem residentes pro Atheniensium terra essent dimicaturi; ubi si victi essent, in insula interclusi obsiderentur, sua terra sine praesidio relicta.

LXXI. Sub eamdem noctem pedestris barbarorum exercitus adversus Peloponnesum profectus est; quamquam quaecumque excogitari potuerunt effecta erant, ne a continente in Peloponnesum irrumpere barbari possent. (2) Simulatque enim cognoverant Peloponnesii obiisse Leonidam cum suis ad Thermopylas, concursu ex oppidis facto Isthmum occuparunt, et praeerat eis ibi Cleombrotus, Anaxandridae filius, frater Leonidae. (3) Ad Isthmum igitur considentes, primum Scironidem viam obstruxerunt, deinde de communi consilio murum per Isthmum instituerunt ducere. Quumque multae essent hominum myriades, quorum quisque manum operi admovit, perficiebatur opus. Nam et lapides et lateres et ligna et corbes sabulo repletae congerebantur; et sociata opera opus facientes, nullo temporis momento, nec noctu, nec interdiu, cessabant.

LXXII. Qui vero ad muniendum Isthmum operam suam consociarunt Graeci, hi fuere: Lacedaemonii et Arcades omnes, et Elei, et Corinthii, et Sicyonii, et Epidaurii, et Phliasii, et Troezenii, et Hermionenses. (2) Hi sunt qui periclitanti Graeciae vehementer metuentes

succurrerunt: reliquis Peloponnesiis nulli curae ea res fuit. Olympiorum autem et Carneorum jam praeterierant solemnia.

LXXIII. Peloponnesum septem incolunt populi. Horum[TR2] duo sunt indigenae; eamdem nunc, quam antiquitus, regionem habitantes, Arcades, et Cynurii: unus populus, Achaicus, Peloponneso quidem non egressus est, sed suam regionem cum alia mutavit. (2) Reliqui quattuor ex illis septem populis, advenae sunt: Dorienses, aetoli, Dryopes, et Lemnii. (3) Et Doriensium quidem multae sunt et illustres civitates: aetolorum vero sola Elis: Dryopum, Hermione et Asine prope Cardamylen Laconicam: Lemniorum vero, Paroreatae omnes. (4) Cynurii, indigenae quum sint, soli feruntur Iones esse; sed in Dorienses mutati sunt, partim quod sub imperio fuerunt Argivorum, partim temporis progressu: sunt autem Orneatae et horum finitimi. (5) Istorum septem populorum reliquae civitates, praeter eas quas nominavi, neutrarum erant partium: si autem libere loqui licet, dum neutrarum fuere partium, Medis favebant.

LXXIV. Igitur qui ad Isthmum erant, ex quo dixi labore conflictabantur, quippe de summa rerum jam periclitantes, nec sperantes mari praeclare admodum gestum iri rem. Et illi ad Salaminem, quamquam quae ad Isthmum agebantur cognoverunt, trepidabant, non tam sibi metuentes, quam Peloponneso. (2) Et aliquantisper quidem vir viro adstans tacite inter se sermones conferebant, imprudens mirans Eurybiadis consilium: ad extremum vero in publicum res erupit; (3) et coiit concilium, multaque verba eisdem de rebus jactabantur; dicentibus aliis, necessario ad Peloponnesum esse navigandum, et pro illa propugnandum, nec ad regionem ab hoste captam manendum, et pro illa dimicandum; Atheniensibus vero et aeginetis et Megarensibus contendentibus, eo loci manendum et cum hoste confligendum.

LXXV. Ibi tunc Themistocles, quum vinceret sententia Peloponnesiorum, clanculum concilio egressus, hominem navigio in castra misit Medorum, edoctum quod dicere oporteret. Nomen homini Sicinnus fuit: erat autem servus et filiorum paedagogus Themistoclis; (2) quem post has res gestas Themistocles, quo tempore Thespienses novos cooptarunt cives, Thespiensem fecit, et divitiis oneravit. Is ubi navigio illuc pervenit, apud duces barbarorum haec verba fecit: (3) «Misit me dux Atheniensium clam reliquis Graecis; favet enim ille regis partibus, cupitque ut res vestrae rebus Graecorum sint superiores; misit me autem qui vobis nunciarem, fugam meditari Graecos, metu perculsos. Nunc igitur in promptu vobis est rem conficere longe praeclarissimam, si non commiseritis ut illi fuga dilabantur. (4) Nam nec inter se sunt concordes, nec amplius vobis resistent; sed adversus se invicem pugnantes videbitis hos qui vobiscum sentiunt et eos qui contra.» Et hic quidem, his dictis, e vestigio discessit.

LXXVI. Illi vero, fidem nuncio adhibentes, primum in Psyttaleam, parvam insulam inter Salaminem et continentem sitam, magnum numerum Persarum exposuerunt: deinde, sub mediam noctem evecti sunt Salaminem versus ad intercludendum qui cornu occidentem spectans tenebant; simulque, qui ad Ceon et Cynosuram erant locati, evecti sunt, et universum fretum usque ad Munychiam occuparunt. (2) Evecti autem his navibus sunt eo consilio, quo fuga elabi non possent Graeci, sed ad Salaminem circumventi poenas darent praeliorum ad Artemisium factorum. (3) In exiguam vero illam insulam, cui Psyttalea nomen, idoneum

Persarum numerum exposuerunt hoc consilio, ut, quoniam praelio facto navali et homines et naufragia huc maxime delatum iri videbantur (sita enim insula erat in freto ubi pugna erat facienda), ibi suos servarent, hostes vero interficerent. (4) Silentio autem haec omnia fecerunt, ne animadverterent adversarii: et per totam noctem, nulla quiete sumpta, in hoc adparatu fuere occupati.

LXXVII. In has res tales equidem intuens, negare non possum vera esse oracula huc spectantia; nec rejicere conabor manifeste loquentia.

At quum sacrum Dianae littus aureo-ense-instructae

navibus velut ponte straverint et mari-cinctam Cynosuram,

insana spe vastatis splendidis Athenis;

tum diva Vindicta exstinguet minacem Satietatem, Contumeliae filiam,

dire furentem, omnia conantem ad se trahere,

aes enim aeri miscebitur, et sanguine Mavors

pontum rubefaciet. Tunc libertatis diem Graeciae

reddet late-cernens Saturnius et alma Victoria.

(2) Ad haec talia, et adversus ita clare loquentem Bacidem, nec ego contradicendi oraculis caussa quidquam dicere audeo, nec ab aliis dictum admitto.

LXXVIII. Jam inter duces ad Salaminem gravis exsistebat sermonum contentio. Necdum vero illi noverant, undique inclusos se esse a barbaris; sed, ut illos interdiu locatos viderant, ita eodem in loco mansisse eos putabant.

LXXIX. Dum inter se altercantur duces; interim ex aegina trajecerat Aristides, Lysimachi filius, civis quidem Atheniensis, sed ostracismo damnatus a populo, quem ego, ut ejus mores accepi, optimum Athenis virum justissimumque fuisse judico. (2) Hic vir, stans ad introitum concilii,

evocari ad se jussit Themistoclem, qui non ei amicus, sed quam maxime inimicus erat; verum ob praesentium gravitatem malorum oblitus inimicitiarum, ad se vocari illum jussit, colloqui cum eo cupiens: (3) antea audiverat autem, id urgere Peloponnesios ut ad Isthmum abducatur classis. Postquam egressus est Themistocles, his verbis eum Aristides adloquitur: «Debemus nos et alias et nimirum nunc maxime de hoc inter nos contendere, uter nostrûm majora commoda patriae sit adlaturus. (4) Dico vero tibi, perinde esse, multa an pauca verba facias ad Peloponnesios classem hinc abducere cupientes. Ego enim ocularis testis tibi aio, nullam nunc, ne si velint quidem, facultatem esse Corinthiis et ipsi Eurybiadi enavigandi; undique enim circumclusi sumus ab hostibus. At tu i intro, et hoc illis nuncia.»

LXXX. Sic ille, cui Themistocles respondit: «Et rectissime tu mones; et bonum utique adfers nuncium: nam, quod ego ut fieret cupiveram, id tu factum esse testis ocularis nuncias. Scito enim, a me monitos fecisse hos Medos: quandoquidem enim sponte noluerunt Graeci praelio decernere, necesse fuit ut inviti cogerentur. (2) At tu, quoniam huc venisti bonum nuncium adferens, ipse illis nuncia. Nam si ego haec dixero, videbor illis ficta loqui, neque eis persuadebo factum hoc esse a barbaris. Sed tu eos adi; et ipse illis, ut res habet, indica. Quod ubi ut indicaveris, si illi persuasi fuerint, tum quidem optime res habebit; sin dictis tuis non adhibuerint fidem, perinde nobis erit: etenim non amplius aufugient, si, ut tu ais, undique cincti sumus ab hostibus.»

LXXXI. Igitur in concilium ingressus Aristides rem nunciat, dicens, se ex aegina venire, et per hostium naves in statione locatas aegre pervasisse latentem; nam universam Graecorum classem a Persarum navibus esse circumventam: quare se illis consulere, ut ad propulsandum hostem sese comparent. His dictis, ille discessit; inter hos vero rursus orta est sermonum disceptatio: plerique enim ex ducibus fidem nuncio non adhiberunt.

LXXXII. Dum hi ita increduli sunt, advenit triremis transfuga Teniorum, cui praeerat civis Tenius Panaetius, Sosimenis filius; quae omnem veritatem attulit. Quod quidem ob factum Delphis in tripode nomen Teniorum inscriptum est in eorum populorum nominibus qui Barbarum debellarunt. (2) Hac igitur navi, quae ad Salaminem ab hoste transfugit, simul cum Lemnia navi quae antea ad Artemisium transfugerat, completus est numerus navium, quibus usi sunt Graeci, ut trecentae et octoginta confierent; ad quem explendum numerum duae naves prius defuerant.

LXXXIII. Postquam Teniorum verba fidem fecere Graecis, tum demum ad navalem pugnam sese hi compararunt, et prima luce coetum coegerunt propugnatorum. Ibi tunc prae caeteris ducibus Themistocles bene apud suos pro concione verba fecit; cujus in eo vertebatur oratio, ut meliora quaeque pejoribus opponeret, (2) hortareturque, ut, quaecumque in hominis naturam et conditionem caderent, ex his eligerent optima. Postquam dicendi finem fecit, conscendere naves suos jussit. (3) Qui dum conscendunt, adfuit ex aegina triremis quae ad deducendos aeacidas missa erat: tum deinde navibus omnibus evecti sunt Graeci.

LXXXIV. Quos in altum evectos tanto protinus impetu adgressi sunt barbari, ut caeteri Graeci omnes in puppim remigarent, et terrae admoverent naves. Unus Aminias, Atheniensis civis, Pallenensis, longius evectus, navem hostilem rostro petiit. (2) Cujus navis, quum alteri implicita haereret, nec inde divelli posset; ita demum caeteri, auxilio venientes Aminiae, praelium commiserunt. Id quidem fuisse navalis pugnae initium memorant Athenienses: aeginetae vero, illam navem, aiunt, pugnae initium fecisse, quae aeginam ad advehendos aeacidas fuerat missa. (3) Narratur hoc etiam, adparuisse Graecis speciem mulieris, quae illos, ita ut universus exaudiret exercitus, ad fortiter pugnandum hortata sit, increpatos prius his verbis, «Miseri! quousque in puppim remigabitis.»

LXXXV. Contra Athenienses locati Phoenices erant; hi enim cornu obtinebant Eleusinem et occidentem spectans: contra Lacedaemonios vero Iones, qui in altero cornu versus orientem et Piraeeum erant. Et horum quidem pauci, ut monuerat eos Themistocles, de industria cessarunt; major pars vero strenue pugnabat. (2) Possem sane multorum nomina trierarchorum edere, qui Graecas naves ceperunt: nec vero eos memorabo, nisi Theomestorem Androdamantis filium, et Phylacum Histiaei, Samium utrumque. (3) Horum autem solorum ea caussa facio mentionem, quod Theomestor ob hanc rem gestam Sami tyrannus a Persis est constitutus; Phylacus vero eorum numero qui bene de rege meruerunt adscriptus est, et amplus terrae tractus eidem donatus. Orosangae Persico sermone vocantur bene de rege meriti. Ac de his quidem ita res habet.

LXXXVI. Major vero numerus hostilium navium in hac ad Salaminem pugna periit; aliae ab Atheniensibus corruptae, aliae ab aeginetis. Nam quum Graeci ordine et justa acie pugnarent, barbari vero necdum satis ordinati fuissent, neque recto consilio quidquam gererent, debuit id fere ipsum evenire quod accidit: (2) quamquam eo die longe fortiores fuerunt seseque praestiterunt quam ad Euboeam, quum unusquisque formidine Xerxis studium omne adhiberet; quisque enim se spectatum iri a rege existimabat.

LXXXVII. Jam, quod ad alios attinet, quo pacto singuli nonnulli barbarorum aut Graecorum pugnaverint, non possum pro comperto referre: sed ad Artemisiam quod spectat, haec gesta sunt, unde illa magis etiam regi adprobata est. (2) Postquam magno tumultu res regis misceri coeperant, per id tempus navem Artemisiae persequebatur navis Attica. Et illa, quum effugere non posset, quoniam antea eam multae aliae sociae naves erant, ipsius autem navis hostibus erat proxima, hoc consilium cepit, quod etiam eventu utilissimum ei fuit. Quum enim instaret illi Attica navis, ipsa capto impetu in sociam navem impegit, qua Calyndenses viri vehebantur cum rege Calyndensium Damasithymo. (3) Cum quo an ei antea, quum adhuc ad Hellespontum fuissent, altercatio quaedam intercesserit, confirmare equidem non possum, nec utrum consulto id fecerit, an casu tunc maxime Calydensium illa navis ei fuerit objecta. Ut vero in illam impegit, eamque depressit, singulari felicitate usa, duplex inde commodum retulit. (4) Nam Atticae navis trierarchus, ubi illam vidit in navem hominum barbarorum facere[TR3] impetum, ratus Artemisiae navem aut esse Graecanicam, aut a barbaris ad Graecos transfugere et ipsis succurrere, omissa illa, alias barbarorum naves petiit.

LXXXVIII. Itaque hoc primum illa commodum consecuta est, ut salva evaserit: insuper vero eidem contigit, ut, quum damno adfecisset Xerxem, ob id ipsum factum maxime ab eodem laudaretur. (2) Aiunt enim, quum pugnam rex spectaret, animadvertisse eum hanc navem in alteram impingentem: quumque adstantium aliquis ei dixisset, «Vides, domine, quam fortiter Artemisia pugnet, quae navem hostilem depressit!» (3) quaesisse illum, verene sit hoc Artemisiae factum? Cui illos respondisse, plane se nosse navis insigne. Existimabant hi autem hostilem esse navem, quam illa depressisset. (4) Nam et alia, ut dictum est, feliciter ei cesserant, et hoc, quod ex Calyndica navi nemo unus salvus evaserit, qui accusare illam potuisset. (5) Itaque Xerxes ad ea, quae ei ab his dicta erant, hoc verbum edidisse fertur: «Viri mihi facti sunt mulieres; mulieres vero, viri.» Hoc a Xerxe dictum memoratur.

LXXXIX. In hoc autem praelio occubuit dux Ariabignes, Darii filius, frater Xerxis: occubuere item alii multi illustres viri ex Persis Medisque et ex eorum sociis: ex Graecis vero pauci quidam. Hi enim quum essent natandi periti si quae eorum navis periit, quotquot non in manuum conflictu ceciderunt, ad Salaminem enatarunt: (2) at barbarorum plerique, natandi imperiti, in mari periere. Et postquam primae naves in fugam erant versae, tum vero plurimae corruptae sunt: nam qui pone erant locati, hi quum navibus in anteriora progredi conarentur, quippe et ipsi praeclarum aliquod facinus regi ostensuri, in suorum naves fugientium inciderunt.

XC. In eodem tumultu hoc etiam accidit. Phoenices quidam, quorum naves perierant, ad regem accedentes calumniati sunt Iones, tamquam per eorum proditionem periissent naves. (2) Forte fortuna autem ita cecidit res, ut Ionum duces nihil mali paterentur, et Phoenices calumniantes hancce mercedem ferrent. Dum illi adhuc ista dicunt, in unam ex Atheniensium navibus irruit navis Samothracica: (3) et dum mergitur Attica navis, adcurrens navis aeginensis deprimit Samothracicam. Tum vero Samothraces, ut erant solertes jaculatores, de navi quae ipsorum navem depresserat conjectis telis deturbarunt propugnatores, navemque conscenderunt, eaque potiti sunt. (4) Id factum Iones servavit. Ut enim rem praeclare ab his gestam Xerxes vidit, iram suam in Phoenices vertit, quippe valde aeger animi et quoslibet accusans: illorumque capita jussit praecidi, ne, quum ignavi ipsi essent, fortiores viros calumniarentur. (5) Xerxes enim, e regione Salaminis sedens in montis radice, cui aegaleos nomen, quoties aliquod facinus a suis editum cerneret, sciscitabatur quis esset qui id fecisset: et scribae notabant trierarchi nomen cum patris et civitatis nomine. (6) Insuper vero etiam Ariaramnes Persa, qui tunc aderat, operam suam Ionibus, quorum erat amicus, ad hoc contulerat ut malum illud in Phoenicum capita verteretur.

XCI. Ubi vero in fugam versi barbari ad Phalerum navibus contenderunt, ibi tunc aeginetae, in freto in subsidiis stantes memoratu digna facinora edidere. (2) Etenim Athenienses quidem in hoc tumultu naves et resistentes et fugientes perdebant, aeginetae vero eas quae praelio excedebant: et, ut quaeque periculum ab Atheniensibus effugerant, hae dum recipiebant se, in aeginetas incidebant.

XCII. Ibi forte mutuo sibi occurrerunt navis Themistoclis, aliam navem persequentis, et Polycriti navis, Crii filii, aeginetae, qui in Sidoniam illam navem impetum fecerat, a qua prius ad Sciathum

capta fuerat aeginensis navis speculatoria; qua navi vehebatur Pytheas, Ischenoi filius, quem Persae misere concisum in navi habebant, virtutem ejus admirantes. Hunc igitur Pytheam simul cum Persis vehens navis Sidonia capta nunc est a Polycrito, atque ita servatus Pytheas, et aeginam dein adductus. (2) Jam ubi Atticam navem conspexit Polycritus, eamque ex insigni imperatorio agnovit, inclamans Themistocli, et conviciis eum insectatus, Ita, ait, aeginetae Medis favent! Haec Polycritus, postquam in navem istam impetum fecerat, in Themistoclem projecit.

XCIII. Barbari vero, quorum superfuere naves, fuga ad Phalerum sub pedestris exercitus tutamen pervenerunt. (2) In hac navali pugna e Graecis praecipuam laudem consecuti sunt aeginetae; et post hos, Athenienses: ex singulis vero viris Polycritus aegineta, et duo Athenienses, Eumenes Anagyrasius, et Aminias Pallenensis, qui Artemisiam quoque persecutus est. (3) Qui si scivisset navi illa Artemisiam vehi, non prius desiturus erat quam aut illam cepisset aut ipse captus fuisset: nam Atheniensium triremium praefectis hoc imperatum erat, praetereaque praemium erat propositum decem millia drachmarum, si quis eam vivam cepisset: magnopere quippe indignati erant mulierem contra Athenas militare. (4) At haec quidem, ut supra dictum est, periculum effugit: sed et reliqui, quorum superfuere naves, in Phalerum se receperunt.

XCIV. Adimantum vero, Corinthiorum ducem, aiunt Athenienses, initio statim, ut concurrerunt naves, metu terroreque perculsum, sustulisse vela et in fugam sese proripuisse; reliquosque Corinthios, imperatoriam navem videntes aufugere, pariter abiisse. (2) Qui quum in fuga ex adverso templi Minervae Sciradis, quod in Salamine est, versarentur, incidisse in eos memorant celocem divinitus missam; quam qui misisset, repertum esse neminem; accessisse eam autem ad Corinthios, omnium quae apud exercitum gesta erant ignaros. (3) Fuisse autem divinam rem inde colligunt, quod qui in celoce erant, quum ad naves adpropinquassent, haec dixissent: «Adimante, tu abductis navibus in fugam te proripuisti prodens Graecos: at illi tantam de hostibus victoriam reportant, quantam ipsi precati erant.» (4) Quibus haec dicentibus quum fidem non adhiberet Adimantus, rursus eosdem dixisse, paratos ipsos esse obsides sese sistere, et ad supplicium duci, ni Graeci comperti fuissent victoriam reportasse. Ita igitur et illum et reliquos retro convertisse naves, et re peracta in castra Graecorum venisse. (5) Haec de Corinthiis Athenienses narrant: at negant factum Corinthii, seque inter primos navali huic pugnae autumant interfuisse; eisque testimonium exhibet reliqua Graecia.

XCV. Aristides vero, Lysimachi filius, Atheniensis, cujus etiam paulo ante, ut optimi viri, feci mentionem, in illo ad Salaminem tumultu hanc navavit operam: adsumptis gravis armaturae militibus multis eorum qui secundum littus terrae Salaminiae erant locati, genere Atheniensibus, cum his in Psyttaleam insulam trajecit, et Persas omnes qui in insula hac erant interfecit.

XCVI. Dirempto navali praelio Graeci, postquam naufragiorum quidquid forte adhuc ibi locorum erat in terram Salaminis pertraxerunt, ad novam pugnam sese compararunt, existimantes reliquis navibus denuo usurum regem. (2) Sed magnam naufragiorum partem abripiens ventus Zephyrus ad littus Atticae, cui Colias nomen, devexit: itaque impleta sunt quum reliqua oracula omnia quae de hac navali pugna Bacis et Musaeus dixerant, tum vero etiam illud quod multis

ante annis de naufragiis eo loci ejiciendis Lysistratus ediderat, fatidicus Atheniensis, quod Graecos omnes fefellerat:

Coliades mulieres remis frixurae sunt.

Hoc autem post discessum regis erat futurum.

XCVII. Xerxes vero, ut acceptam vidit cladem, veritus ne quis Ionum consuleret Graecis aut etiam ipsi per se consilium caperent in Hellespontum navigandi pontesque solvendi, quo ipse in Europa interclusus de salute periclitaretur, fugam meditabatur. (2) Celare autem de hoc consilio cupiens et Graecos et suos, aggerem ducere in Salaminem instituit, gaulosque Phoenicios colligavit, qui pro ponte et muro essent; simulque et ad praelium se comparavit, tamquam aliam pugnam navalem commissurus. (3) Et reliqui quidem omnes, ubi eum haec facere viderunt, prorsus existimabant serio illum et ex animi sententia paratum esse manere et redintegrare bellum: sed Mardonium nihil horum fefellit, quippe bene gnarum quid ille consilii agitaret. Haec dum Xerxes agebat, simul nuncium in Persidem misit, qui recentem nunciaret calamitatem.

XCVIII. Hisce nunciis Persicis nihil est inter mortales quod citius eo quo tenditur perveniat: ita hoc a Persis excogitatum est. (2) Aiunt enim, quot dierum est universum iter, tot dispositos et equos et viros in quaque diurna statione paratos stare; quos nec nix, nec imber, nec aestus, nec nox impedit quominus suum quisque cursum quam velocissime conficiat. (3) Nempe, qui primus currit, is secundo tradit mandata, secundus tertio; atque sic illa deinceps alii atque alii tradita, per singulos transeunt, quemadmodum apud Graecos lampas in lampadum festivitate, quae in Vulcani honorem celebratur. Hunc equorum cursum Persae angareion vocant.

XCIX. Jam superior nuncius ubi Susa pervenit, Athenas tenere Xerxem, tanta laetitia Persas, qui domi erant relicti, impleverat, ut vias omnes myrto straverint, et thura adoleverint, et ipsi festis atque epulis celebrandis dederint operam. (2) Posterior autem ubi emanavit nuncius, ita eos consternavit, ut tunicas cuncti discerperent, et in clamorem ejulatumque erumperent infinitum, Mardoniumque tamquam auctorem calamitatum accusarent. (3) Fecerunt autem haec Persae, non tam quod navibus dolerent perditis, quam quod de ipso Xerxe essent solliciti. Atque haec apud Persas toto interjecto tempore duraverunt, donec illos Xerxes ipse adventu suo sedavit.

C. Jam Mardonius, Xerxem ex pugnae navalis exitu videns gravissimo dolore adfectum, suspicatusque fugam illum ex Athenis meditari, et reputans secum ipse, poenas se daturum quod regi persuasisset Graeciae bellum inferre, meliusque sibi esse tentata iterum belli fortuna aut prorsus debellare Graeciam, aut ipsum honestam obire mortem, postquam magnarum rerum spe fuisset elatus; denique in hanc partem maxime inclinans, ut Graeciam subigeret: (2) haec, inquam, secum reputans, tali oratione regem est adlocutus: «Domine, ne moerori indulgeas, neque nimium ex eo quod accidit capias dolorem! Non enim lignorum certamen ad belli exitum nobis maximum confert momentum, sed virorum equorumque. (3) Tibi vero nemo,

neque ex his qui nunc omnia confecisse sibi videntur, exscensione e navibus facta resistere conabitur, neque ex hac continente quisquam: et, qui contra nos steterunt, hi poenas dedere. (4) Si igitur tibi videtur protinus Peloponnesum adgrediamur: sin in praesentia omittere hoc placet, omittamus licet. Ne vero despondeas animum! nec enim ullo modo effugere Graeci possunt, quin rationem nobis eorum, quae et nunc et antea patrarunt, reddant, et servi fiant tui. (5) Igitur hoc quidem maxime agas. Quodsi vero hinc ipse abscedere et abducere exercitum decrevisti, aliud habeo post haec quoque consilium. Tu, rex, ne committe ut Graecis ludibrio sint Persae. In Persis enim tuis nihil detrimenti res tuae acceperunt, neque tu dices quo loco a nobis res male gesta sit. (6) Sin Phoenices et aegyptii et Cyprii et Cilices male pugnarunt, nihil ad Persas haec clades pertinet. Nunc igitur, quum non sit quod Persas culpes, mihi morem gere. Si tibi constitutum est hic non manere, tu quidem tuas in sedes discede, majorem exercitus partem tecum abducens: at me oportet tibi Graeciam in servitutem redactam tradere, postquam de exercitu trecenta hominum millia delegero.»

CI. Quibus auditis Xerxes, ut post mala, gavisus delectatusque est, Mardonioque ait, se ei, postquam deliberaverit, responsurum esse, utrum ex his, quae ab illo proposita erant, facturus sit. (2) Ubi vero cum Persis in consilium adhiberi solitis consultabat, placuit ei Artemisiam quoque in consilium vocare, quippe quae etiam antea comperta esset, sola quid faciendum perspexisse. (3) Quae ubi advenit, submotis consiliariis Persis et satellitibus, haec ad eam Xerxes verba fecit: «Hortatur me Mardonius, ut hic maneam, et Peloponnesum adgrediar; dicens, Persas et pedestrem exercitum nullius calamitatis, quae nobis accidisset, culpam sustinere, et lubentes illos re ipsa hoc esse demonstraturos. (4) Me igitur ille aut hoc facere hortatur, aut ipse velle se, ait, cum selectis de exercitu trecentis millibus Graeciam mihi tradere in servitutem redactam; me ipsum autem jubet cum reliquis copiis meas ad sedes discedere. (5) Tu igitur, quum etiam de pugna navali, quam suscepimus, bene mihi consulueris, negans illam esse suscipiendam, nunc quoque suade, utrum horum faciendo rectius feliciusque rebus meis consuluero.»

CII. Haec consulenti Xerxi in hunc modum Artemisia respondit: «Difficile, rex, est ita me esse felicem ut tibi consultanti optima dicam: verumtamen in praesenti rerum statu optimum mihi videtur, ut tu domum revertaris; Mardonium vero, si ista efficere vult tibique recipit, hic cum eis quos postulat relinquas. (2) Nam, sive illa ea, quae animo agit polliceturque, perfecerit, eique res ex sententia successerit, tuum, rex, hoc facinus erit; tui enim servi id fecerint: sive contra Mardonii sententiam res ceciderit, non ingens fuerit calamitas, salvo et te et domus tuae statu. (2) Tu enim si salvus fueris domusque tua, multa frequentiaque pericula de salute sua adhibunt Graeci. Mardonio vero si quid acciderit, non tanti fuerit momenti; neque Graeci, etiamsi Mardonium vicerint, insignem reportaverint victoriam servo tuo interempto. Tu vero cujus rei caussa expeditionem hanc suscepisti, incensis Athenis discessum facies.»

CIII. Hoc consilio, ut consentaneum erat, delectatus est Xerxes: opportune enim Artemisia ea ipsa dixerat, quae ille animo agitabat. Etenim, ut mihi quidem videtur, etiamsi omnes et viri et mulieres, ut ibi maneret, ei suasissent, non erat mansurus: adeo metu erat perculsus. (2) Igitur laudibus Artemisiam prosecutus est, eamque dimisit, filios ipsius Ephesum ducturam: filii enim nonnulli nothi eum erant secuti.

CIV. Cum istis pueris Xerxes custodem misit Hermotimum, genere Pedasensem, qui primum inter eunuchos locum apud regem tenebat. Habitant autem Pedasenses supra Halicarnassum. (2) In quo Pedasorum oppido hoc rei fertur accidere: quando finitimis quibuscumque, qui circa oppidum illud habitant, grave quidpiam intra certum tempus imminet, tunc antistitae templi Minervae, quod ibi est, grandis nascitur barba: atque id jam bis apud illos accidit.

CV. Ex his igitur Pedasensibus Hermotimus erat: cui contigit gravissimam omnium, quos novimus, ultionem obtinere in hominem a quo injuria fuerat adfectus. Etenim bello captum et venundatum emit Panionius, civis Chius, qui opere iniquissimo vitam sustentabat. (2) Quoties enim pueros nactus esset forma praestantes, hos castrabat, et Sardes aut Ephesum abductos ingenti pretio vendebat. Quippe apud barbaros eunuchi pretiosiores sunt his qui non sunt castrati, et major illis in omnibus rebus fides habetur. (3) Quum alios igitur multos castraverat hic Panionius, utpote hoc quaestu vitam alens, tum vero etiam hunc ipsum. Nec vero usquequaque infelix Hermotimus fuit: nam e Sardibus cum aliis muneribus ad regem pervenit, et succedente tempore prae omnibus eunuchis maximo in honore apud Xerxem fuit.

CVI. Quo tempore vero Persicum exercitum adversus Athenas ducens rex Sardibus versabatur, tunc Hermotimus, quum nescio cujus negotii caussa in Mysiam terram quae Chiorum est, cui Atarneus nomen, esset profectus, ibi Panionium invenit. (2) Quem ubi agnovit, multis verbis benigne est adlocutus; memorans primum, quantam prosperitatem per illum esset consecutus; deinde promittens, se repetendae gratiae caussa ingentibus beneficiis illum cumulaturum, si cum sua familia Sardes habitatum venisset. Quibus verbis persuasus Panionius, lubens accipiens conditionem, cum liberis et uxore Sardes migravit. (3) Sed postquam eum cum tota domo in potestate Hermotimus habuit, tum vero his verbis eum adfatus est: «O jam tu omnium hominum nequissime, ex iniquissimo negotio quaestum faciens, quid tibi aut ego ipse mali feci, aut quam injuriam aliquis meorum aut tibi aut tuorum alicui intulit, cur me ex viro feceris ut nihil essem? (4) Et tu quidem tunc putabas fore ut deos lateant tua facinora: at illi, justa lege utentes, te qui iniqua ista patrasti, meas in manus tradidere: quare de poena, quam a te repetam, non est quod conqueraris.» (5) His postquam conviciis eum accepit, filios ejus in conspectum jussit adduci, et Panionium coegit suis ipsius filiis, qui quattuor numero erant, virilia abscindere; quod ille necessitate coactus fecit: deinde vero, hoc perfecto, filii ejusdem coacti sunt ipsum evirare. Talis Panionium ultio ex Hermotimo assecuta est.

CVII. Xerxes postquam filios suos Artemisiae commiserat Ephesum ducendos, vocatum ad se Mardonium jussit, quos vellet, de exercitu seligere, operamque dare ut promissis facta aequaret. (2) Et haec quidem illo die gesta sunt. Insequente vero nocte jussu regis duces classis naves ex Phalero abduxerunt, quanta velocitate quisque posset, ad Hellespontum revertentes, pontes custodituri ut regi ad transeundum essent parati. (3) Sed barbari hi, ut prope Zosterem pervenere, ubi tenuia quaedam promontoria in mare prominent, naves has esse putantes, procul aufugerunt. Interjecto vero tempore, postquam intellexere non naves esse, sed promontoria, rursus sese conjunxerunt, cursumque continuarunt.

CVIII. Ut illuxit, Graeci, pedestrem exercitum eodem in loco manentem conspicientes, existimabant naves etiam ad Phalerum adhuc stare: et navalem pugnam redintegraturos illos putantes, ad repugnandum sese comparabant. Postquam vero abiisse naves cognovere, tunc ocyus persequi illas decreverunt. At classem Xerxis non conspexere, usque ad Andrum eam persecuti. Postquam vero Andrum pervenere, deliberarunt. (2) Et Themistocles quidem pro sententia dixit, per insulas navigando classemque etiamnunc persequendo, recta ad Hellespontum dirigendum esse cursum, pontesque rescindendos. At contrariam huic sententiam Eurybiades proposuit, dicens: si rescidissent pontes, hoc ipso longe maximam calamitatem Graecis inlaturos.[TR4] (3) Nam, si interclusus Persa cogeretur in Europa manere, operam illum esse daturum ut nunquam quietem agat; quoniam, si quietem ageret, nihil suarum rerum promoveret, neque reditus ei ullus ostenderetur, et fame periturus esset illius exercitus: molienti autem aliquid, et rebus gerendis sedulo operam danti, omnia Europae oppida omnesque populos accessuros videri, sive bello subactos, sive deditione in tempore facta; et alimento hostibus futuros esse annuos Graecorum fructus. (4) E contrario, quum pugna navali victus Persa non videatur in Europa mansurus, permitti ei oportere ut fugiat, donec suam in terram fuga pervenerit; deinde vero de propria ipsius terra cum illo esse decertandum. Hanc ad sententiam accesserunt reliquorum etiam Peloponnesiorum duces.

CIX. Ibi tunc Themistocles, postquam intellexit se majori ducum numero persuadere non posse ut in Hellespontum navigarent, mutato consilio Athenienses adiens (quippe qui effugisse barbaros aegerrime ferebant, et ipsi etiam per se, si reliqui nollent, in Hellespontum cupiebant navigare), haec apud eos verba fecit: (2) «Equidem multis saepe hujusmodi rebus interfui, et multo plura talia accidisse audivi: nempe viros ad necessitatem redactos, postquam victi essent, instaurasse pugnam, et superiorem reparasse calamitatem. Nos vero, postquam ex insperato et nos ipsos et Graeciam, repulsa tanta hominum nube, lucrifecimus, fugientes viros ne persequamur! (3) Nec enim nos haec perfecimus, sed dii atque heroes; qui noluerunt unum virum simul Asiae et Europae imperare, impium illum et nefarium; qui sacra et profana pariter insuper habuit, et simulacra deorum evertit cremavitque, qui mare etiam flagellis cecidit, et compedes in illud dejecit. (4) At tunc, quum bene res nostrae habeant, maneamus in Graecia, et nostrûm ipsorum familiarumque nostrarum curam geramus; et aedes suas quisque reficiat, et sementi faciendae sedulo det operam, postquam Barbarum prorsus ejecerimus: ineunte autem vere in Hellespontum et in Ioniam navigemus!» (5) Haec ille locutus est hoc consilio, ut gratiam apud Persam in futurum tempus iniret; quo, si ab Atheniensibus adversi aliquid ei accidisset, perfugium haberet: quod quidem ei etiam usu venit.

CX. Haec dicens Themistocles, decepit Athenienses: at illi morem ei gesserunt. Quoniam enim, quum jam antea sapiens esset habitus, nuper re ipsa sapiens et plenus consilii erat repertus, facile dictis ejus paruere. (2) Postquam hi igitur ab illo persuasi fuerunt, continuo deinde viros cum navigio dimisit, quos confisus erat, etiamsi omnibus tormentis cruciarentur, tacituros mandata ad regem deferenda, quorum in numero iterum famulus ipse Sicinnus erat. Hi ubi ad Atticam pervenere, reliquis in nave manentibus, Sicinnus exscendit, et haec apud Xerxem verba fecit: (3) «Misit me Themistocles, Neoclis filius, praetor Atheniensium, sociorum omnium fortissimus et sapientissimus, qui tibi dicerem, Themistoclem Atheniensiem, rebus tuis cupientem inservire, cohibuisse Graecos, naves tuas persequi volentes et pontes in Hellesponto rescindere. Itaque nunc largum per otium revertaris licet.» His nunciatis, retro hi navigarunt.

CXI. Graeci, postquam displicuit consilium classem barbarorum ulterius prosequendi aut in Hellespontum navigandi ad rescindendos pontes, Andrum circumsederunt, expugnare eam molientes. (2) Primi enim ex insulanis Andrii fuerunt a quibus pecuniam postulaverat Themistocles, quam illi dare recusarunt; sed Themistocli, quum his verbis eos adortus esset, ut diceret, venire Athenienses, duos magnos deos secum habentes, Persuasionem et Necessitatem, quare utique dare illos oportere pecunias; ad haec illi responderunt, merito magnas et opulentas fuisse Athenas, et bonis usas esse diis; caeterum Andrios tenuem incolere terram et admodum esse egenos; duosque inutiles deos non relinquere ipsorum insulam, sed constanter eam habitare, Paupertatem et Impotentiam; et quum hosce deos Andrii possideant, non daturos ipsos pecuniam: numquam enim potentiam Atheniensium superiorem fore ipsorum impotentia. Hi igitur, quum haec respondissent, nec dedissent pecuniam, oppugnabantur.

CXII. Themistocles vero, numquam cessans corradere pecunias, in reliquas insulas eosdem, quos ad Andrios, nuncios cum minacibus mandatis misit, pecunias ab illis postulans, dicensque, nisi postulatis satisfacerent incolae, ducturum se adversus eos Graecorum exercitum, et obsessos perditurum. (2) Haec dictitando, ingentes pecunias a Carystiis et a Pariis coegit. Hi enim, quum Andrum cognovissent oppugnari quod Medis favisset, scirentque in maxima prae caeteris ducibus existimatione Themistoclem esse, haec metuentes, pecunias miserunt. (3) An vero et alii nonnulli ex insulanis pecunias dederint, adfirmare non possum: puto autem, et alios dedisse, nec hos solos. At Carystiis quidem ideo nihilo magis contigit evitare calamitatem: Parii vero, Themistocle pecuniis placato, incursionem exercitus effugerunt. (4) Ita igitur Themistocles, ab Andro impetum faciens, pecunias ab insulanis coegit clam reliquis ducibus.

CXIII. Xerxes autem cum suis, paucos post navalem pugnam dies moratus, eadem qua venerat via in Boeotiam movit. Nam Mardonio visum erat et comitari regem, et, quia opportunum non esset anni tempus ad bellum gerendum, satius esse in Thessalia hibernare, et deinde, redeunte[TR5] vere, Peloponnesum adgredi. (2) Ut vero in Thessaliam pervenere, ibi Mardonius primum Persas omnes, quos Immortales vocant, selegit, excepto duce eorum Hydarne; hic enim se negaverat relicturum regem. Deinde ex reliquis Persis loricatos selegit, et millenarium equitatum; tum vero Medos et Sacas et Bactrios et Indos, tam peditatum, quam equitatum. (3) Et ex his quidem populis omnes, qui aderant, sibi sumpsit: ex reliquis vero sociis non nisi paucos passim selegit, eos legens qui aut forma essent praestantes, aut a quibus clarum aliquod facinus editum noverat. (4) In horum autem numero plerique genere Persae fuere, torques et armillas gestantes; et post hos Medi. Erant autem Medi numero non inferiores Persis, sed robore his cedebant. Ita factum est, ut universus exercitus a Mardonio selectus, simul cum equitibus, numerum trecentorum millium compleret.

CXIV. Per idem tempus, quo Mardonius delectum instituit militum, et Xerxes adhuc in Thessalia erat, oraculum ex Delphis adlatum est Lacedaemoniis, jubens illos satisfactionem a Xerxe repetere pro caede Leonidae; et, quidquid ille dedisset, accipere. (2) Itaque ocyus praeconem miserunt Spartani: qui ut universum exercitum nactus est in Thessalia adhuc haerentem, in conspectum Xerxis prodiens, haec dixit: «Rex Medorum, Lacedaemonii et Heraclidae ex Sparta satisfactionem abs te postulant quod regem ipsorum interfecisti, qui Graeciam erat

servaturus.»[TR6] (3) Ad haec ridens rex, et diu nihil respondens, postremo, quum forte adstaret ei Mardonius, hunc digito monstrans ait: «Itaque Mardonius hic satisfactionem illis dabit, qualis eis digna est.» Et praeco, accipiens dictum, reversus est.

CXV. Inde Xerxes, Mardonio in Thessalia relicto, ipse ad Hellespontum maturavit abire: et quadragesimo quinto die ad locum, ubi trajecerat fretum, pervenit, nullam (ut ita dicam) exercitus partem in Asiam reducens. (2) Milites in itinere, ubicumque locorum erant et apud quoscumque homines, horum fructus rapientes comedebant: sicubi nihil fructuum invenissent, gramen e terra enatum, et decerptum arborum corticem, et ex arboribus tam cultis quam silvestribus destricta manducabant folia, nihilque reliquerant, fame ita cogente. (3) Ad haec pestis et dysenteria invadens exercitum, multos in itinere interemit. aegrotos vero etiam in itinere relinquebat rex, dato civitatibus, ut in quaque erant, mandato, ut curarent illos alerentque: ita alios in Thessalia, alios in Siri Paeoniae, alios in Macedonia reliquerat. (4) Ibi etiam antea, quum in Graeciam tenderet, sacrum currum Jovis reliquerat: quem nunc rediens non recepit. Nam Paeones, qui illum Thracibus tradiderant, repetenti Xerxi dixere, equas e pascuo raptas esse a superioribus Thracibus circa Strymonis fontes habitantibus.

CXVI. Ibidem rex Bisaltarum et terrae Crestonicae, Thrax, immane patravit facinus. Dixerat ille, nec se ultro serviturum Xerxi, sed in superiora loca in montem Rhodopen se receperat, et filiis suis interdixerat ne adversus Graeciam militarent. (2) At illi, spreto patris imperio, sive quod cupido illos incesserat belli spectandi, cum Persa militarunt. Postquam vero salvi omnes, sex numero, redierunt, oculos eis pater istam ob culpam effodit: et illi quidem hanc mercedem abstulerunt.

CXVII. Persae vero ut peragrata Thracia ad trajectum pervenere, quanta maxima celeritate poterant Hellespontum navibus trajicientes Abydum petierunt: etenim pontes non amplius stratos invenerant, sed tempestate dissolutos. (2) Ibi morantes, quum copiosiora quam in itinere alimenta nacti supra modum sese implerent, et alias, quam adhuc, biberent aquas, multi de exercitu qui supererat periere. Reliqui vero una cum Xerxe Sardes pervenere.

CXVIII. Fertur quidem etiam alia fama, Xerxem, postquam Athenis profectus Eionem ad Strymonem fluvium pervenisset, inde non amplius terrestri usum esse itinere; sed exercitum quidem Hydarni tradidisse, qui eum ad Hellespontum deduceret, ipsum vero conscensa Phoenissa nave in Asiam trajecisse; (2) in trajectu vero a vehemente impetuosoque vento Strymonia fuisse exceptum. Ibi tunc, quum magis magisque fureret tempestas, et nimis onerata esset navis, quippe magno numero Persarum Xerxem comitantium in ponte navis stante, timore perculsum regem cum clamore quaesisse ex gubernatore, ecqua salutis spes esset; eique gubernatorem respondisse, «Domine, non alia spes est, nisi de numero multorum horum vectorum pars quaedam amoveatur.» (3) Quae audientem Xerxem, aiunt, dixisse: «Viri Persae, nunc vestrûm quisque ostendat curae vobis esse regem! nam in vobis mea salus posita videtur.» Quibus auditis illos adorasse regem, et in mare prosiliisse; et navem ita levatam, salvam in Asiam pervenisse. (4) Xerxem vero, simul atque in terram exscendisset, haec fecisse: aurea corona

donasse gubernatorem, quod regis vitam conservasset; deinde vero, quod magnum Persarum numerum perdidisset, caput ei jussisse praecidi.

CXIX. Sed haec altera de Xerxis reditu temere fertur fama, mihique prorsus incredibilis est, tam quod ad caetera spectat, quam quod ad istam Persarum calamitatem. (2) Nam si ista Xerxi gubernator dixisset, et decem millibus hominum, quos rogarem sententiam, ne unum quidem esse existimo, quin mihi sit adsensurus, non ejusmodi quidpiam facturum fuisse regem, sed Persas Persarumque principes, qui in ponte fuerunt, jussurum fuisse in cavitatem navis descendere, remigum vero, qui Phoenices erant, parem numerum, quot Persae fuerunt, in mare ejecturum. (3) At ille, ut modo dixi, simul cum reliquo exercitu terrestre iter faciens in Asiam rediit.

CXX. Cujus rei etiam locuples est testimonium hoc, quod satis constat, Xerxem in reditu Abdera venisse, et hospitium contraxisse cum Abderitis, eosque aureo acinace atque tiara auro intexta donasse. (2) Et, ut soli quidem Abderitae narrant, (quod mihi parum fit probabile,) primum apud illos, ex quo Athenis profugit, cingulum solvit, utpote nunc in tuto se esse ratus. Sunt autem Abdera Hellesponto propiora, quam Strymoni et Eioni, ubi illum aiunt navem conscendisse.

CXXI. Graeci, quum expugnare Andrum non potuissent, Carystum petierunt, et evastato Carystiorum agro, Salaminem redierunt. Ibi primum primitias praedae exemerunt diis, quum alia, tum tres Phoenissas triremes; quarum una in Isthmo dedicaretur, quae mea adhuc aetate superfuit; altera ad Sunium, tertia Ajaci in ipsa Salamine. (2) Deinde praedam inter se diviserunt, et Delphos miserunt primitias; e quibus facta est statua duodecim cubitorum magnitudine, rostrum navis manu tenens; quae eodem loco posita est ubi aurea Alexandri Macedonis statua.

CXXII. Postquam Delphos primitias miserunt Graeci, communi omnium nomine interrogarunt deum, an sufficientes et gratas accepisset primitias. Quibus ille respondit, a caeteris quidem; nec vero ab aeginetis: sed ab his repetiit praemium quod illis ob rem ad Salamina bene gestam tributum fuisset. (2) Quo audito, aeginetae dedicarunt aureas stellas tres, quae super aeneo malo stant in angulo proxime Croesi craterem.

CXXIII. Post praedae distributionem in Isthmum navigarunt Graeci, virtutis praemium tributuri ei e suorum numero, qui in hoc bello prae caeteris illud commeruisset. (2) Postquam vero eo pervenerunt duces, et calculos inter se ad Neptuni aram distribuerunt, primum et secundum suo judicio designaturi; ibi tunc eorum quisque sibi primum posuit calculum, se ipsum quisque fortissimum judicans: quod autem ad secundas partes pertinet, plerique calculi in Themistoclem consenserunt. (3) Itaque illi singula habuere suffragia: Themistocli autem longe pleraque suffragia secundas tribuerunt partes.

CXXIV. Id judicium duces quidem Graeci, ob invidiam ratum habere noluerunt, sed re injudicata suam quisque in civitatem discessit: verumtamen Themistocles per universam Graeciam ut

Graecorum longe prudentissimus praedicatus celebratusque est. (2) Quoniam vero, licet victor, non tamen honore adfectus erat ab his qui pugnae ad Salaminem fuerant socii; protinus post haec Lacedaemonem se contulit, ibi se honoratum iri sperans. Et liberaliter eum receperunt Lacedaemonii, et eximio honore adfecerunt. (3) Nam Eurybiadi quidem primum decrevere praemium, oleagineam coronam: prudentiae vero et dexteritatis praemium Themistocli tribuerunt, oleagineam huic pariter coronam. Praeterea curru eum donarunt, pulcerrimo qui Spartae erat: (4) et egregie collaudatum prosecuti sunt abeuntem delecti trecenti Spartanorum, hi qui Equites vocantur, usque ad Tegeatarum fines. Est autem Themistocles unus ex omnibus quos novimus hominibus, quem Spartani ita publice sint prosecuti.

CXXV. Ut autem Lacedaemone Athenas venit, ibi tunc Timodemus, Aphidnensis, qui de numero inimicorum ejus erat, caeterum non ex illustribus viris homo, invidia insaniens, obtrectavit Themistocli; exprobransque ei quod Lacedaemonem se contulisset, aiebat, Atheniensium gratia Lacedaemonios eum honore illo esse prosecutos, non ipsius gratia. (2) Quod ubi passim dictitare non desiit Timodemus, Themistocles ei ait: «ita tibi se res habet: nec ego, si Belbinita essem, ita honoratus fuissem a Lacedaemoniis; nec tu, homo, si esses genere Atheniensis.» Et haec facta quidem hactenus.

CXXVI. Interim Artabazus, Pharnacis filius, jam ante spectatus vir inter Persas, et deinde ex Plataeensi pugna magis etiam nobilitatus, cum sexaginta militum millibus de eo exercitu quem Mardonius sibi selegerat, regem usque ad fretum deduxit. (2) Postquam rex in Asia fuit, Artabazus vero retrogressus circa Pallenen versabatur; quum Mardonius in Thessalia et Macedonia hiemaret, nec opus esset ut ipse cum reliquo exercitu se conjungere properaret; rem sese indignam judicavit, quum in Potidaeatas incidisset, qui a rege defecerant, si hos non in servitutem redigeret. (3) Etenim Potidaeatae, postquam rex fines eorum erat praetergressus, et classis Persarum a Salamine fuga se receperat, ex professo defecerant a barbaris, pariterque reliqui Pallenen incolentes.

CXXVII. Potidaeam igitur tunc Artabazus oppugnavit. Suspicatus vero etiam Olynthios defectionem a rege moliri, Olynthum quoque simul oppugnavit. Tenebant eam tunc Bottiaei, qui e Thermaeo sinu a Macedonibus fuerant ejecti. (2) Quos postquam vi expugnavit, ad lacum eductos jugulavit; urbem autem Chalcidicae genti tradidit, eique Critobulum Toronaeum praefecit. Atque ita Olynthum Chalcidenses habuere.

CXXVIII. Hac expugnata, curam omnem Artabazus in Potidaeam intendit. Qui dum hoc curat, ultro cum eo de proditione egit Timoxenus, dux Scionaeorum. Hic qua via initio usus sit, dicere non possum; nec enim memoratur: sed postremo res accidit hujusmodi: (2) quoties litteras mittere aut Timoxenus voluit ad Artabazum, aut Artabazus ad Timoxenum, epistolam circum sagittae crenas circumvolveant, et adaptatis alis, sagittam in locum, de quo inter eos convenerat, emittebant. (3) Sed proditionis Potidaeae compertus est Timoxenus. Etenim Artabazus, sagitta versus destinatum locum emissa, a scopo aberrans, humerum feriit civis Potidaeatae. Et adcurrens hominum turba, ut fieri in bello solet, vulneratum circumstat; qui sagittam prehendentes, ut epistolam animadverterunt, protinus ad duces deferunt: aderant vero etiam

ex aliis Pallenensibus socii. (4) Ubi autem legerunt duces epistolam, auctoremque cognoverunt proditionis, visum est eis crimine proditionis non affligere Timoxenum, civitatis Scionaeorum gratia, ne in posterum omne aevum proditores esse existimarentur Scionaei. Et ille quidem hoc modo compertus est.

CXXIX. Inde postquam tres menses Artabazus in oppugnanda Potidaea erat occupatus, accidit ingens maris recessus, et is quidem in longum admodum tempus: et barbari, locum videntes vadosum factum,[TR7], in Pallenem transire instituerunt. (2) Ut vero duas viae emensi erant partes, et tres partes adhuc reliquae erant, quas transire oportebat priusquam in Pallenen pervenirent, supervenit accessus maris tantus, quantus numquam antea, ut quidem indigenae dicunt, fuerat, licet saepe magnus accidat. (3) Itaque quicumque ex illis nandi erant imperiti, perierunt; qui vero natare poterant, hos Potidaeatae navigiis persecuti interemerunt. (4) Caussam autem hujus aestus et exundationis calamitatisque Persarum hanc fuisse aiunt Potidaeatae, quod hi iidem Persae qui mari perierunt, in Neptuni templum et simulacrum, quod in suburbio est, impia facinora admiserant: quam caussam illi ex rei veritate adlegare mihi videntur. (5) Superstites Artabazus in Thessaliam ad Mardonium reduxit. Haec igitur fortuna fuit eorum, qui regem deduxerunt.

CXXX. Classis quae supererat Xerxis, postquam fuga ex Salamine in Asiam pervenit, regemque et exercitum e Chersoneso Abydum trajecit, Cumae hiemavit. (2) Adpetente autem vere ad Samum maturavit convenire, ubi etiam pars navium hiemaverat. Propugnatorum in iis major pars Persae erant et Medi: duces autem eis advenere Mardontes Bagaei filius, et Artayntes Artachaei: quibus etiam collega adfuit Ithamitres, fratris filius Artayntae, ab ipso adscitus. (3) Hi vero, quoniam magnam cladem erant passi, ulterius occidentem versus non moverunt, neque eos quisquam ad ulterius progrediendum cogebat: sed ad Samum sedentes, observabant Ioniam, ne deficeret: habebant autem naves, una cum Ionicis, trecentas. (4) Nec vero Graecos existimarunt in Ioniam moturos, sed satis habituros suam custodire terram: quod ex eo colligebant, quod ipsos ex Salamine fugientes non essent persecuti, sed libenter discessissent. Igitur mari quidem fracti animis barbari erant: terra vero longe hostibus superiorem fore Mardonium existimabant. (5) Itaque ad Samum haerentes, partim quidem consultabant si quid mali adferre possent hostibus, partim vero adrectis auribus exspectabant quis futurus esset exitus rerum a Mardonio gerendarum.

CXXXI. Graecos vero et ver adpetens excitavit, et Mardonius in Thessalia agens. Et pedestris quidem Graecorum exercitus nondum erat coactus, classis vero aeginam se contulit, naves numero centum et decem. (2) Dux et imperator classis erat Leotychides, ex altera regum familia; cui pater fuit Menares, avus Hegesilaus; reliqui majores hoc ordine, Hippocratides, Leotychides, Anaxilaus, Archidamus, Anaxandrides, Theopompus, Nicander, Charillus, Eunomus, Polydectes, Prytanis, Euryphon, Procles, Aristodemus, Aristomachus, Cleodaeus, Hyllus, Hercules: (3) qui omnes, exceptis duobus, quos proxime post Leotychidem commemoravi, reges fuerant Spartae. Atheniensium vero dux erat Xanthippus, Ariphronis filius.

CXXXII. Ut naves omnes aeginae adfuere, venerunt Graecorum in castra legati Ionum. Qui paulo ante Spartam quoque venerant, orantes Lacedaemonios ut Ioniam liberarent; quorum in numero etiam Herodotus fuit, Basilidae filius. (2) Hi inter se conjuraverant, omnino septem numero, de interficiendo Strattide, Chii tyranno, postquam vero patefacta conspiratio est, uno ex conjuratis consilium illorum prodente, reliqui sex ex Chio se receperunt, et Spartam primum, tunc vero illo tempore etiam aeginam venerunt, orantes Graecos ut in Ioniam navigarent: (3) sed aegre ab his impetrarunt, ut Delum usque moverent. Nam ulteriora omnia metuebant Graeci, quum et locorum essent imperiti, et hostilium copiarum omnia esse plena existimarent. Samus autem eis aeque longe atque Herculis columnae abesse videbatur. (4) Simul vero accidit, ut nec barbari, metu perculsi, ultra Samum versus occidentem navigare auderent; nec Graeci, quamvis sollicitati a Chiis, ultra Delum versus orientem. Ita quae in medio utrorumque erant, ob illorum metum in tuto fuerunt.

CXXXIII. Dum Graeci in Delum navigant, Mardonius adhuc in Thessalia in hibernis fuit. Inde autem ad consulenda oracula misit virum genere Europensem, cui nomen erat Mys; dato homini mandato, ut quaquaversum iret, et quorumcumque oraculorum explorare effata posset, ea consuleret. (2) Quid igitur fuerit, quod ille cognoscere ex oraculis cupiens mandatum istud dederit, id adfirmare equidem non possum; nec enim memoratur: sed misisse eum puto, de rebus praesentibus, non de aliis, consulturum.

CXXXIV. Hunc Myn constat et Lebadeam venisse, ibique mercede corrupto viro indigena, ad Trophonium descendisse; et Abas item pervenisse, quae in Phocide sunt, ad oraculum. (2) Idem quum prius Thebas venisset, non modo Ismenium Apollinem consuluit; ubi, sicut Olympiae, ex victimis responsa dei petuntur; verum etiam, homine externo, non Thebano, pecunia corrupto, in Amphiarai templo pernoctavit. (3) Thebanorum enim nulli fas est oraculum illud consulere, hanc ob caussam: edito responso jusserat eos Amphiaraus, duorum utrum vellent eligere, ut aut pro vate uterentur ipso, aut pro armorum socio, altero autem abstinerent; et illi hoc elegerant, ut armorum ipsis esset socius. Hanc ob caussam nulli homini Thebano fas est in illius templo pernoctare.

CXXXV. Istud vero, quod narrant Thebani, maxime mihi mirum accidit: eumdem quippe Europensem Myn aiunt, postquam per omnia circumvagatus esset oracula, etiam ad Ptoi Apollinis fanum venisse. (2) Vocatur quidem id fanum Ptoum, est autem Thebanorum, situm supra Copaidem lacum ad montem, proxime Acraephiam oppidum. Ad hoc templum quum venit hic Mys (latine Mus) nominatus, comitatos eum esse aiunt tres viros publice ad hoc delectos, scripto consignaturos responsum quod redditurus esset deus: prophetam vero protinus barbara locutum esse lingua, (3) ut stuperent comites Thebani, barbarum sermonem loco Graeci audientes, nescirentque quid in praesenti facerent: Europensem autem Myn, quam illi secum attulerant tabellam, eis eripuisse, in eaque haec quae propheta pronunciaverat, conscripsisse; dixisse autem, Cario sermone usum illum esse; deinde, his scripto consignatis, discessisse hunc, et in Thessaliam rediisse.

CXXXVI. Mardonius, perlectis oraculorum responsis, quae qualia fuerint nescio, post haec legatum Athenas misit Alexandrum, Amyntae filium, Macedonem, partim quoniam adfinitate huic juncti erant Persae; Alexandri enim sororem Gygaeam, Amyntae filiam, Bubares Persa habuit in matrimonio, ex qua natus est Asiaticus Amyntas, de avo materno nomen gerens, quem rex magna urbe Phrygiae Alabandis donavit cum reditibus inde percipiendis: partim vero hac caussa Alexandrum Mardonius misit, quod audivisset, hospitem Atheniensium eum esse et bene de illis meritum. (2) Hac enim maxime ratione se sibi adjungere posse Athenienses existimavit, quos audiverat non minus numerosum, quam fortem esse populum; et quas mari clades passi Persae erant, harum auctores Athenienses potissimum fuisse noverat. His autem sibi adjunctis, facile maris imperio se potiturum speravit; id quod etiam usu venturum fuerat; terra autem longe sibi videbatur esse superior: atque ita res suas rebus Graecorum superiores fore secum reputavit. (3) Fortasse vero etiam oracula hoc ei praedixerint, monuerintque eum ut Athenienses sibi socios conciliaret; hisque ille morem gerens Alexandrum miserit.

CXXXVII. Alexandri hujus septimus progenitor Perdiccas ille fuit, qui Macedonum regno potitus erat tali modo. Ex Temeni posteris tres fratres, Gauanes, Aeropus, et Perdiccas, Argis in Illyriorum fines profugerant: ex Illyriis vero in superiorem Macedoniam transgressi, Lebaeam oppidum pervenerant. (2) Ibi apud regem mercede serviebant; unus equos pascens; alter boves; natu minimus, Perdiccas, minores pecudes. (3) Fuerunt autem olim etiam reges pecuniae inopes, non solum populus: itaque regis uxor ipsa panem illis coquebat. Quoties vero coquebatur panis pueri mercenarii Perdiccae, duplo major fiebat quam consentaneum erat. Ubi autem constanter hoc ita accidit, marito rem illa indicavit. (4) Quo audito, statim subiit illius animum, esse hoc prodigium, quod ad magnum quidpiam spectet. Itaque vocatos ad se hos mercenarios jussit finibus suis excedere. Cui illi responderunt, justum esse ut accepta mercede abeant. (5) Ibi tunc rex, mercedis mentionem audiens, quum forte per caminum solis lumen in conclave incideret, divinitus mente captus, ait: «mercedem vobis ego dignam hanc persolvo,» solem monstrans. (6) Et Gauanes quidem et Aeropus, natu majores, hoc ut audivere, attoniti steterunt: at puer, «Accipimus, ait, rex, quae nobis das;» et cultro, quem forte habebat, solis lumen in pavimento conclavis circumscripsit, eoque facto ter deinceps radios solis in sinum suum hausit, atque ita cum fratribus abiit.

CXXXVIII. Qui postquam abierant, unus ex assessoribus monuit regem quid esset quod fecisset puer, quamque prudenter fratrum natu minimus accepisset quod rex illis dedisset. Et rex, his auditis, ira correptus, equites nonnullos misit, qui illos insequerentur et interficerent. (2) Est autem in hac regione fluvius, cui posteri horum Argivorum virorum sacra faciunt, tamquam Servatori. Hic fluvius, postquam eum trajecerant Temenidae, ita auctus fluxit, ut transire equites non possent. (3) Illi vero in aliam Macedoniae regionem secesserunt, habitaruntque prope hortos qui dicuntur Midae, Gordiae filii: quibus in hortis sponte nascuntur rosae, quarum unaquaeque sexaginta folia habet, et quae odore praestant caeteris. (4) In eisdem hortis etiam Silenus captus erat, ut narrant Macedones. Supra istos hortos mons situs est, cui Bermius nomen, aditu difficilis ob aeris intemperiem. Inde impetu facto, postquam hac regione potiti sunt, reliquam etiam Macedoniam sub potestatem suam redegerunt.

CXXXIX. Ab hoc igitur Perdicca Alexander ortus est hisce progenitoribus: Amyntas, cujus filius Alexander fuit, patrem habuit Alcetam; Alcetae pater fuit Aeropus; Aeropi pater, Philippus;

Philippi, Argaeus; Argaei pater, Perdiccas is qui regno potitus est. Hi fuere[TR8] Alexandri, Amyntae filii, progenitores.

CXL. Postquam a Mardonio missus Alexander Athenas venit, tali usus est oratione: (I.) «Viri Athenienses, Mardonius haec dicit. Nuncius mihi a rege venit in haec verba: (2) Atheniensibus injuriam omnem mihi ab illis inlatam remitto; quare tu hoc fac, Mardonie: et terram eorum illis redde, et ipsi praeter hanc eligant aliam, quamcumque voluerint, et sui juris sunto: et templa omnia, quae ego cremavi, tu illis instaura, si modo societatem mecum voluerint jungere. (2) Hic quum mihi nuncius advenerit, necessario haec exsequi me oportet, nisi vos ipsi obstiteritis. Hoc autem vobis dico. Quid nunc insanientes arma fertis contra regem? neque enim superare eum poteritis, neque in omne futurum tempus ei resistere. (4) Vidistis enim copiarum Xerxis multitudinem et res gestas; audivistis etiam quanta nunc vis sit mecum: ita quidem, ut etiamsi nos superaretis et vinceretis, (quod quidem, si bene sapitis, neutiquam speratis,) alius exercitus multis partibus numerosior adfuturus esset. (5) Nolite igitur, regi vos aequantes, terra privari vestra, et perpetuo in periculo de salute vestra versari: sed componite bellum. Potestis autem praeclarissime illud componere, quum rex in hanc partem animo feratur. Estote liberi, armorum societate sine fraude et dolo nobiscum contracta. (II.) Haec, Athenienses, Mardonius ut vobis dicerem mihi mandavit. Ego vero de mea in vos benevolentia nihil dicam: nec enim nunc primum, puto, experti illam fueritis. Oro autem vos et obsecro, ut morem geratis Mardonio. (6) Perspectum enim habeo fieri non posse, ut vos perpetuo bellum geratis cum Xerxe: namque hoc si fieri posse a vobis intelligerem, numquam ad vos hujusmodi cum sermone venissem. Est enim regis potentia plus quam humana, et manus supra quam dici potest longa. (7) Quare nisi propere foedus cum eo inieritis, quando tanta vobis commoda, si pacisci cum eo volueritis, pollicetur; timeo vobis, qui prae reliquis omnibus sociis maxime in via expositi estis, semperque soli perdimini, quippe terram incolentes quae prae caeteris veluti inter duas acies media interjecta est. (8) At morem gerite! etenim maximi vobis momenti res est, si rex magnus vobis solis ex omnibus Graecis peccata condonans, amicitiam vobiscum vult contrahere.» Haec Alexandri fuit oratio.

CXLI. Lacedaemonii vero ut audivere Alexandrum Athenas venisse persuasurum Atheniensibus ut foedus cum Barbaro faciant; memores oraculorum, quae praedixerant in fatis esse ut ipsi cum caeteris Doriensibus a Medis et Atheniensibus Peloponneso ejiciantur, vehementer timuerunt ne cum Persa societatem Athenienses contraherent, et propere legatos Athenas mittere decreverunt. (2) Atque ita contigit, ut utrique simul in senatum introducerentur. Exspectaverant enim Athenienses et moras traxerant, bene gnari rescituros Lacedaemonios venisse a Barbaro nuncium ad pacem conciliandam, eaque re cognita protinus legatos missuros. Quare consulto tempus duxerant, quo sententiam suam Lacedaemoniis declararent.

CXLII. Ubi igitur dicendi finem Alexander fecit, sermonem excipientes Spartani legati, in hunc modum sunt locuti: «Miserunt nos Lacedaemonii petituros a vobis, ne quid novarum rerum in Graecia moveatis, neque conditiones admittatis a Barbaro vobis oblatas. (2) Nam et iniquissimum hoc foret; et aliis quidem etiam Graecis omnibus, sed vobis maxime omnium, indignum et indecorum; idque multis de caussis. Nam bellum hoc vos, invitis nobis, concitastis: et initio de vestra solum terra certamen fuit, nunc vero ad universam etiam pertinet Graeciam. (3) Horum igitur omnium auctores Graecis, praeter ea etiam servitutis fieri Athenienses, nullo

modo foret tolerabile: quippe qui semper et jam a priscis temporibus palam libertatis auctores multis hominibus fuerunt. Quod autem vos prae caeteris hoc bello premimini, et duorum jam annorum fructibus estis privati, et tamdiu jam domus et fortunae vestrae eversae jacent, condolemus vobiscum: (4) et propterea profitentur vobis recipiuntque Lacedaemonii et reliqui socii, alituros se uxores vestras et quidquid vestris in familiis ad bellum est inutile, quoad bellum hoc duraturum est. (5) Ne vero Alexander Macedo laevigato Mardonii sermone vos commoveat! Huic enim hoc facere convenit; quippe, tyrannus quum sit, tyranno operam praestat. At vos non facietis, si quidem recte sapitis; bene gnari, in barbaris nec fidem nec veritatem esse.» Haec Spartani legati dixere.

CXLIII. Athenienses vero Alexandro in hunc modum responderunt: «Ne nos quidem ignoramus, multis partibus majorem Medo, quam nobis, esse potentiam; ut non opus sit de illa nos multa cum ostentatione admonere. (2) Verumtamen, quum libertatis simus studiosi, resistemus ei quocumque modo poterimus. Itaque, ut societatem contrahamus cum Barbaro, desine conari ut nobis persuadeas; nec enim persuadebis. (3) Nunc vero renuncia Mardonio, dicere Athenienses, quousque sol eadem via incedet, qua nunc incedit, numquam nos societatem inituros cum Xerxe: sed adjutoribus confidentes diis et heroibus, quibus ille spretis aedes et simulacra eorum cremavit, fortiter pugnando ulcisci illum conabimur. (4) Et tu cave, ne posthac tales adferens sermones Athenis conspiciaris; neque per speciem commodis nostris inserviendi, ut nefaria faciamus, nos horteris: nolumus enim tibi ingrati quidpiam accidere ab Atheniensibus, quum sis publicus hospes noster et amicus.»

CXLVI. Haec quum Alexandro Athenienses respondissent, ad Lacedaemonios sermonem converterunt his verbis: «Quod verentur Lacedaemonii ne cum Barbaro nos societatem contrahamus, id vero admodum humanum est. (2) At turpiter utique hoc videmini vereri; quum, quo pacto animati sint Athenienses, non ignoretis. Neque enim tanta auri copia usquam est, neque terra ulla pulcritudine et fertilitate ita praestans, ut ea accepta vellemus cum Medis facere, et Graeciam redigere in servitutem. (3) Etenim multa et magna sunt, quae nos, ne id faciamus, etiam si vellemus, prohibeant. Primum quidem, et maxime, deorum simulacra et templa cremata et solo aequata: quorum facinorum necessario, quibuscumque modis possumus, poenam repetere potius debemus, quam societatem contrahere cum eo qui haec patravit. Deinde, quum Graecum omne genus consanguinem sit, et linguam et deorum sedes et sacra communia habeamus, et mores consimiles; nefaria res foret, si horum proditores fierent Athenienses. (4) Denique scitote, si forte adhuc nescivistis, quoad vel unus supererit Atheniensium, numquam nos cum Xerxe societatem inituros. Vestram autem providam erga nos laudamus voluntatem; quod nobis, quorum fortunae eversae sunt, ita prospicitis, ut nutrire familias nostras velitis. (5) Atque ita vestrum quidem expletum est beneficium: at nos tamen in hoc quo sumus statu durabimus, nullam vobis molestiam exhibituri. Nunc vero, haec quum ita sint, maturate ocyus exercitum mittere. (6) Nam, ut suspicamur, nulla interposita mora aderit Barbarus et terram nostram invadet, simulatque ei fuerit renunciatum, nihil nos eorum quae a nobis petiit facturos. (7) Itaque necesse est, ut, priusquam ille in Atticam venerit, nos ei in Boeotiam occurramus.» Hoc ab Atheniensibus accepto responso, Spartam rediere legati.

HERODOTI HISTORIARUM LIBER NONUS. (CALLIOPE.)

I. Mardonius, ut ei Alexander, Athenis reversus, responsa renunciavit Atheniensium, movit e Thessalia, et exercitum adversus Athenas ducere maturavit: quacumque autem iter faciebat, inde semper adsumptis militibus exercitum auxit. (2) Et Thessalos eorum, quae adhuc acta erant, nihil poenituit, multoque etiam studiosius hi Persam ad hanc expeditionem incitabant: et Thorax Larissaeus, qui Xerxem fugientem comitatus erat, nunc palam Mardonium in Graeciam transmisit.

II. Ubi vero progrediens exercitus in Boeotia fuit, ibi tunc Mardonium Thebani retinuerunt, consulueruntque ei, dicentes nullum esse locum magis idoneum ubi castra poneret: et ulterius progredi prohibuerunt, hortantes ut ibi manens operam daret quo sine pugna universam Graeciam in potestatem redigeret. (2) Vi enim et armis subigere Graecos, si concordes sint, sicut adhuc fuerunt, cunctis etiam hominibus esse difficile: «At tu, aiebant, si quod nos suademus feceris, nullo negotio omnia illorum consilia in potestate tua habebis. (3) Mitte pecunias viris qui in quibusque civitatibus principatum tenent: his donis in partes divides Graeciam; et eorum ope, qui tuas partes sequentur, hos qui tecum non facient, facile evertes.»

III. Haec illis suadentibus Mardonius non paruit; sed vehemens illum cupido incesserat Athenas iterum capiendi, partim stolida quadam ferocia ductum, partim quod ignium ope per insulas accensorum cogitaret regi Sardibus versanti significare, tenere sese Athenas. (2) Ubi vero in Atticam pervenit, ne tunc quidem Athenienses in ea nactus est, sed plerosque in Salamine et in navibus esse audivit: itaque vacuam cepit urbem. Haec quidem altera occupatio Mardonii evenit decimo post mense quam a Xerxe prior erat facta.

IV. Athenis quum esset Mardonius, in Salaminem legatum misit Murychiden, virum Hellespontium; qui easdem Atheniensibus conditiones proponeret, quas Alexander Macedo ad illos pertulerat. (2) Quamquam enim jam antea minime amicas Atheniensium acceperat sententias, iterum tamen nunc misit, sperans illos a stolida superbia remissuros, quum bello capta esset universa Attica, et in ipsius jam esset potestate. Hac caussa Murychiden in Salaminem misit.

V. Qui quum ad senatum venisset, exposuissetque Mardonii mandata, unus e senatoribus, Lycides, pro sententia dixit, recte factum sibi videri, si acciperent conditionem a Murychide ipsis propositam, de eaque ad populum referrent. (2) Hanc ille sententiam dixit, sive quod pecunias a Mardonio accepisset, sive quod ipsi per se ita visum fuisset. Sed indignati Athenienses, quum senatores, tum qui foris stabant, ut cognoverunt, protinus circumstantes Lyciden lapidibus obruerunt, Hellespontium vero Murychiden dimiserunt incolumem. (3) Orto autem in Salamine propter Lycidem tumultu, quum rescivissent Atheniensium mulieres, quid rei esset, cohortatae invicem, et alia aliam prehendens, ultro aedes Lycidae petierunt, et uxorem ejus et liberos lapidibus obruerunt.

VI. Athenienses vero hac ratione in Salaminem trajecerant. Quousque exspectabant exercitum ex Peloponneso sibi auxilio venturum, in Attica manserunt: quum vero magis magisque in longum rem ducerent Lacedaemonii, et Mardonius, contra ipsos movens, jam in Boeotia esse diceretur, tunc demum omnia sua exportarunt, ipsique in Salaminem transierunt. (2) Simul vero

legatos Lacedaemonem miserunt, qui et de Lacedaemoniis, quod Barbarum invadere Atticam passi essent, nec secum in Boeotiam obviam ei occurrissent, conquererentur, et illos admonerent quantum esset, quod ipsis Persa, si ad illius partes transissent, pollicitus esset; denique praedicerent Lacedaemoniis, nisi auxilio venirent Atheniensibus, ipsos etiam per se levamen aliquod inventuros esse malorum.

VII. Nempe festos dies tunc maxime agebant Lacedaemonii, Hyacinthia celebrantes, maximique faciebant rem divinam curare: simul vero etiam murum in Isthmo muniebant, isque jam lorica erat instructus. (2) Ut vero Lacedaemonem legati Athenienses pervenerunt, secum etiam Megarensium et Plataeensium ducentes legatos, introducti ad Ephoros, in hunc modum verba fecere: (I.) «Miserunt nos Athenienses, dicentes: Medorum rex non modo terram nostram nobis reddit, verum nos aequa conditione sibi socios vult adjungere, sine dolo et fraude: atque etiam, praeter nostram, aliam nobis terram vult tradere, quamcumque ipsi elegerimus. (3) At nos Hellenium reverentes Jovem, remque indignam censentes prodere Graeciam, non sumus ei adsensi, sed repudiavimus conditionem, quamquam injuria adfecti a Graecis proditique, et bene gnari longe nobis conducibilius esse societatem contrahere cum Persa, quam gerere bellum: nec vero umquam volentes cum eo paciscemur. (4) Ita quidquid a nobis proficisci potest, id sincero animo tribuimus Graeciae. (II.) At vos, qui nuper vehementissime metuebatis ne cum Persa pacisceremur, nunc, postquam constitutum nobis esse numquam prodere Graeciam perspicue intellexistis, et quoniam murus vester, quem in Isthmo ducitis, prope absolutus est, ne ullam quidem rationem habetis Atheniensium; et, postquam vobis nobiscum convenit occursuros vos Persae in Boeotiam, prodidistis nos, et Barbarum in Atticam invadentem non prohibuistis. (5) Habent igitur in praesentia Athenienses quod vobis succenseant: nec enim recte fecistis. At nunc vos hortantur, ut ocyus nobiscum emittatis exercitum, quo Barbarum excipiamus in Attica. Quoniam enim Boeotiam in tempore non occupavimus, est quidem nostra in terra opportunissimus ad praelium faciendum locus, Thriasius campus.»

VIII. His auditis, ephori responsum in posterum diem distulerunt, tunc postero die in sequentem, atque ita usque in decimum diem fecerunt, de die in diem moras facientes. Interea temporis Peloponnesii omnes ingenti studio Isthmum munire pergebant, et opus jam proxime finem erat. (2) Et, quod Lacedaemonii, quum Alexander Macedo Athenas venisset, tanto studio impedire conati sint quominus Medorum partes amplecterentur Athenienses, nunc vero id prorsus non curarint, nullam aliam edere caussam possum, nisi quod nunc munitum habuerunt Isthmum, nec se amplius indigere Atheniensibus existimarunt: quando vero in Atticam venit Alexander, nondum exstructus erat murus, sed opus etiam tunc faciebant, vehementer metuentes Persas.

IX. Ad extremum vero, ut et responsum legatis Lacedaemonii, et milites Atheniensibus auxilio mitterent, hac ratione effectum est. Pridie ejus diei quo ultimam apud ephoros audientiam habituri legati erant, Chilaus, civis Tegeates, qui in maxima prae aliis omnibus hospitibus auctoritate apud Lacedaemonios erat, ex ephoris sermonem omnem, quem habuerant Athenienses, audivit. (2) Quo audito, haec illis Chilaus dixit: «Ita se res habet, Ephori: si amici nobis non fuerint Athenienses, sed cum Barbaro contraxerint societatem; valido licet muro per Isthmum ducto, magnae tamen portae apertae sunt Persae, quibus intrare in Peloponnesum possit. At morem Atheniensibus gerite, priusquam aliud illi consilium capiant, quod exitium ferat Graeciae.» Hoc ille Lacedaemoniis suasit.

X. Atque hi, re inter se deliberata, neque communicata cum legatis qui a civitatibus advenerant, e vestigio, noctu adhuc, quinque millia emiserunt Spartanorum [attributis cuique septem Helotis], mandato dato Pausaniae, Cleombroti filio, ut illos educeret. (2) Erat quidem tunc rex Lacedaemoniorum Plistarchus, Leonidae filius; sed hic adhuc puer erat, ille vero tutor hujus et frater patruelis. Neque enim in vivis adhuc fuit Cleombrotus, Pausaniae pater, Anaxandridae filius; sed postquam exercitum, qui murum exstruebat, ab Isthmo abduxerat, brevi interjecto tempore e vita discesserat. (3) Hac autem caussa exercitum ab Isthmo Cleombrotus abduxit, quod, dum sacra faciebat adversus Persam, sol obscuratus est in coelo. (4) Collegam autem sibi Pausanias adscivit Euryanactem, Doriei filium, qui ex eadem fuit regia domo. Illi igitur cum Pausania Spartam sunt egressi.

XI. Legati vero, ubi dies illuxit, profectionis illorum prorsus ignari, adierunt ephoros, ipsi constitutum inter se habentes redire quisque suam in civitatem. (2) Hos, ubi advenerunt, ita sunt adlocuti: «Vos igitur, Lacedaemonii, hic domi manentes, Hyacinthia celebratis et ludicra agitis, prodentes socios: Athenienses vero, a vobis injuria adfecti, et sociis destituti, cum Persam pacem component quocumque modo poterunt. (3) Pace autem cum illo conciliata, manifestum est socios non regis fore: et cum Persis militabimus contra quamcumque terram nos illi ducturi sunt. Vos vero proinde experiemini quale sit, quod vobis ex ea re eventurum est.» (4) Haec quum legati dixissent, responderunt ephori, interposito jurejurando, profectum esse exercitum, viderique jam ad Oresteum esse, proficiscentem adversus peregrinos: barbaros enim peregrinos (ξένους) vocabant. (5) Legati autem, hoc nescientes, interrogarunt quid esset quod dicerent; et, ubi rem totam cognoverunt, demirati factum, ipsi quoque abire maturarunt, illos insequentes: et cum ipsis profecti sunt etiam ex perioecis Lacedaemoniorum (circum Spartam habitantibus) selecta quinque militum millia gravis armaturae.

XII. Hi dum ad Isthmum ire properant, Argivi, quum prius recepissent Mardonio cohibituros se esse Spartanos ne exirent, nunc simul atque resciverunt exercitum cum Pausania Sparta egressum esse, praeconem in Atticam miserunt, optimum ex cursoribus (Graece hemerodromis) quem reperire potuerant. (2) Qui ubi Athenas pervenit, haec dixit: «Mardonie, miserunt me Argivi, qui tibi dicerem, ex Lacedaemone egressam esse juventutem, nec Argivos cohibere illos ne exirent potuisse. Quare, ad hoc quod spectat, tu recte rebus tuis consule.» His dictis, ille reversus est.

XIII. Mardonius, hoc audito nuncio, non consultum duxit diutius in Attica morari. Priusquam enim hunc nuncium accepisset, continuerat se ibi, cognoscere cupiens quid facturi Athenienses essent: et Atticam nec evastaverat, nec ullo malo adfecerat, per omne hoc tempus sperans illos in conditiones propositas consensuros. (2) Postquam vero eis id non persuasit, remque omnem cognovit, tum vero, incensis Athenis, et sicubi de muris aut de privatis aedibus aut de sacris aliquid adhuc rectum stabat, corrutis his omnibus et solo aequatis, priusquam Pausanias cum suis usque ad Isthmum esset progressus, Attica excessit. (3) Excessit autem hac caussa, quod neque equitatui opportuna Attica erat; et, si ipse praelio victus foret, nonnisi per angusta loca se recipere posset, ubi eum pauci etiam homines possent transitu prohibere. Itaque Thebas redire constituit, et prope urbem sibi amicam acie decernere, in regione equitatui opportuna.

XIV. Ita igitur Mardonius Attica excessit: qui ut jam in itinere erat, advenit ei praecursor, nuncians alium exercitum Megara venisse, mille Lacedaemonios. Quo audito, hos primum capere cupiens, deliberabat quo pacto id efficeret. (2) Igitur conversum agmen versus Megara duxit: et praemissus equitatus jam Megaricam incursavit terram. Estque haec Europae regio longissime occidentem versus sita, in quam pervenerit Persicus hic exercitus.

XV. Post haec vero nunciatur Mardonio, frequentem Graecorum exercitum in Isthmo esse. Itaque retroducens per Deceleam iter fecit: Boeotarchi enim finitimos arcessiverant Asopiorum, qui ei viam monstrarunt Sphendaleas ferentem, atque inde Tanagram: (2) ubi quum pernoctasset, postero die Scolon pergens, in finibus fuit Thebanorum. Ibi vero, licet partes ipsius sequerentur Thebani, nihilo minus agros eorum vastavit, non utique hostili in eos animo, sed ingente necessitate coactus: voluit enim munimentum exercitui exstruere, quod et sibi, si praelium committenti minus ex sententia res cecidisset, perfugium esset. (3) Pertinebant autem castra illius inde ab Erythris, praeter Hysias, usque ad Plataeensium fines, secundum Asopum fluvium locata. Nec tamen munitionem eadem magnitudine fecit, sed in decem fere stadia quodque ejus latus. (4) Dum in hoc opere occupati erant barbari, Attaginus Phrynonis filius, civis Thebanus, facto magnifico adparatu, et Mardonium ipsum, et quinquaginta Persarum spectatissimos, ad hospitale epulum vocavit. Et vocati accepere conditionem; celebratumque est epulum in ipsa urbe Thebana.

XVI. Jam quae his adjiciam, ea ex Thersandro audivi, cive Orchomenio, spectato inter primos viro apud Orchomenios. (2) Dixit autem Thersander, se quoque ab Attagino ad hanc coenam fuisse vocatum, vocatosque item fuisse quinquaginta cives Thebanos; nec vero seorsum utrisque sedes adsignasse hospitem, sed in quoque lectulo simul Persam et Thebanum collocasse. (3) Tum, finita coena compotantibus convivis, Persam qui cum ipso in eodem lectulo cubabat, Graeca lingua loquentem, quaesisse ex ipso unde esset, seque respondisse, esse se Orchomenium. (4) Dein Persam haec dixisse: «Quoniam igitur et mensae et libationis mihi socius es, volo tibi monumentum relinquere meae sententiae; quo etiam tu, re ante cognita, tuis prospicere commodis possis. (5) Vides hosce epulantes Persas, et exercitum, quem in castris juxta fluvium reliquimus! Horum omnium, brevi tempore interjecto, non nisi paucos quosdam videbis superesse.» (6) Haec dicentem Persam largas profudisse lacrimas. Se vero, miratum illius sermonem, respondisse: «Igitur Mardonio hoc dicere oportet, et eis ex Persis qui post illum auctoritate pollent.» (7) Ad haec illum reposuisse: «Hospes, quae deus vult ut fiant, ea avertere in nullius hominis potestate est: nam fidelia consilia dantibus parere nemo solet. Ac novimus quidem hoc multi ex Persis: sequimur vero ducem, necessitate constricti. Est autem acerrimus, qui adficere hominem possit, dolor hic, bona multa consilia nosse, et tamen eorum nullum posse exsequi.» (8) Haec equidem narrantem Orchomenium Thersandrum audivi, et praeterea hoc adfirmantem, ipsum protinus hunc sermonem ad alios homines retulisse, priusquam ad Plataeas commissum esset praelium.

XVII. Quo tempore Mardonius primum castra in Boeotia habuerat, reliqui omnes, quotquot ex Graecis has regiones incolentibus Medorum partes amplexi erant, exercitum illi praebuerant, cum illoque in Atticam erant ingressi. Soli Phocenses castra illius non erant secuti: nam et hi

quidem utique Medorum partes erant amplexi, nec vero volentes, sed necessitate coacti. (2) Sed haud multis diebus postquam Thebas Mardonius venit, advenere ex illorum numero mille, duce Harmocyde, viro inter suos spectatissimo. Qui ubi Thebas venerunt, Mardonius missis equitibus jussit illos seorsum in campo residere. Quod ubi fecere, protinus totus adfuit equitatus: (3) Moxque per Graecanicum exercitum, qui cum Medis erat, ferebatur fama, perditum iri Phocenses equitum sagittis; eademque fama inter ipsos etiam Phocenses percrebuit. Ibi tunc eos dux Harmocydes his verbis est cohortatus: (4) «Phocenses, manifestum est, hosce homines certae neci nos destinasse, accusatos, ut equidem suspicor, a Thessalis. Nunc igitur quemque vestrûm oportet fortem se virum praestare: melius est enim, ut agentes aliquid et fortiter pugnantes finiamus vitam, quam ut turpissima morte interimendos nos praebeamus. Sed intelligat illorum quisque, quale hoc sit, quod, barbari quum sint, Graecis hominibus mortem sint machinati.»

XVIII. Dum hic suos sic hortatur, cingunt illos equites, moxque adversus eos invehuntur tamquam perdituri, et jacula in illos torquent veluti jam emissuri, ac passim etiam nonnulli emittunt. At, quum illi densatis undique ordinibus et quam maxime poterant conglobati resisterent, conversis equis equites redierunt. (2) Nec equidem pro certo dicere possum, utrum revera illi ad interficiendos rogatu Thessalorum Phocenses venerint, et deinde, postquam eos ad sese defendendum paratos viderunt, ideo retro discesserint, quod vererentur ne et ipsi vulnera acciperent: (ita enim Mardonius praeceperat:) an ad illos tentandos numquid eis fortitudinis inesset. (3) Postquam vero discesserunt equites, praeconem Mardonius misit, haec dicentem: «Confidite, Phocenses! namque fortes vos esse viros demonstravistis, non quales mihi narratum erat. Et nunc alacri animo gerite hoc bellum: nam beneficiis neque me neque regem vincetis.» Et haec quidem, ad Phocenses quod attinet, ita gesta sunt.

XIX. Lacedaemonii, ut in Isthmum venerunt, castra ibi posuerant: quo cognito, reliqui Peloponnesii, quibus meliora placebant, nonnulli etiam quod Spartanos vidissent egredientes, aequum non censuerunt, ad bellum proficiscentibus Lacedaemoniis, domi manere. (2) Jam ex Isthmo, postquam laeta nunciarunt victimae, profecti omnes, Eleusina venerunt. Et, quum ibi quoque sacrificantibus laeta fuissent exta, ulterius sunt progressi, cum eisque simul Athenienses; hi enim, postquam e Salamine trajecerant, Eleusine sese cum illis junxerunt. (3) Qui ubi Erythras, Boeotiae oppidum, venerunt, resciveruntque barbaros ad Asopum habere castra, re deliberata, ex adverso illorum in Cithaeronis montis radicibus consedere.

XX. Inde quum in planitiem Graeci non descenderent, Mardonius contra eos universum equitatum misit, cui praeerat Masistius, quem Macistium Graeci vocant, illustris vir apud Persas, Nisaeum habens equum, aureo freno et aliis ornamentis nitentem. (2) Ibi, ut Graecis adpropinquarunt equites, turmatim in eos impetum faciebant; in eoque conflictu magna illis incommoda adferebant, mulieresque eos vocabant.

XXI. Acciderat forte, ut eo loco, qui maxime omnium expositus hosti erat, Megarenses essent locati, et in eum locum maxime impetum facerent equites. (2) Quum igitur ab invadente equitatu premerentur Megarenses, praeconem miserunt ad duces Graecorum; qui ubi ad illos

venit, haec verba fecit: (3) «Dicunt Megarenses: Nos, o socii, non possumus soli impetum sustinere equitatus Persarum, hic stantes ubi initio locati sumus. Sed adhuc quidem perseveramus, et fortiter resistimus, quamvis graviter pressi: nunc vero, nisi alios mittitis qui nostrum in locum succedant, scitote nos ordinem esse relicturos.» (4) Haec quum ille ducibus nunciasset, Graecos tentavit Pausanias, ecqui alii ultro vellent istum in locum se conferre, et succedere Megarensibus. (5) Quumque nollent caeteri, acceperunt conditionem Athenienses, et horum quidem selecti trecenti, cui cohorti praeerat Olympiodorus, Lamponis filius.

XXII. Hi fuerunt qui istam operam in se receperunt, et adsumptis secum sagittariis, ante alios omnes Graecos, qui ad Erythras aderant, stationem ceperunt. Qui quum per aliquod tempus pugnassent, ad extremum hujusmodi fuit pugnae exitus. (2) Dum turmatim impetum faciunt equites, Masistii equus, prae aliis eminens, sagitta vulneratur in latere: et prae dolore in posteriores pedes erectus, excutit Masistium. (3) In collapsum protinus Athenienses impetum faciunt; et equum ejus capiunt, ipsumque repugnantem interficiunt. Et initio quidem interficere cum non potuerant, quum sub punicea tunica, qua erat indutus, intus aurea lorica squamata esset armatus. (4) In thoracem igitur ferientes, nihil efficiebant; donec aliquis, intelligens quid rei esset, in oculum ejus ferrum adegit: ita demum cecidit mortuusque est. Haec forte sic gerebantur nescientibus reliquis equitibus: nec enim hi illum viderant ex equo cadentem, nec morientem; sed quum per id ipsum tempus converteretur turma et paululum retro veheretur, id quod agebatur non animadverterant. (5) Ubi vero restiterunt, continuo ducem desiderarunt, quum nemo esset qui illos ordinaret: et quid factum esset intelligentes, equos adegerunt cuncti, quo cadaver saltem auferrent.

XXIII. Tunc vero Athenienses, ubi viderunt jam non amplius turmatim, sed simul omnes adcurrere equites, reliquum exercitum auxilio advocarunt. Dum vero peditatus omnis auxilio venit, interim fit acris pugna circa mortui corpus. (2) Et quoad soli fuere illi trecenti, multo erant inferiores, nec auferre cadaver potuere: ut vero eis multitudo succurrit, jam rursus horum vim equites non sustinuere, neque eis contigit mortuum auferre, sed praeter eum alios etiam de suis amisere. (3) Igitur ad duo fere stadia recesserunt: ubi, quum quid faciendum esset deliberassent, decreverunt, quoniam essent sine imperio, redire ad Mardonium.

XXIV. Qui postquam in castra venerunt, acerbissimo luctu et Mardonius et universus exercitus Masistium sunt prosecuti, se ipsos tondentes et equos et jumenta, lamentaque immensa tollentes, ut per totam Boeotiam echo resonaret; quippe mortuo viro apud Persas et apud regem post Mardonium spectatissimo. Atque ita quidem barbari suo more mortuum Masistium honorarunt.

XXV. Graeci vero, postquam irruentem exceperant equitatum, exceptumque repulerant, tanto magis confirmati animis, primum quidem, currui impositum cadaver per singulos ordines deduxerunt; erat enim corpus spectatu dignum, cum ob proceritatem, tum ob formae praestantiam: sed et hac caussa illud ita circumduxerunt, quoniam vulgo milites relictis ordinibus ad spectandum Masistium frequentes adcurrerant. (2) Deinde vero constituerunt ad Plataeas descendere, quum intellexissent campum Plataeensem et alias ob caussas et ob aquae copiam

multo ipsis ad castra ponenda opportuniorem esse quam Erythraeus campus. (3) In hunc igitur campum et ad fontem Gargaphiam,[TR1] qui in illo erat, descendendum sibi, ibique rite dispositis castra locanda judicarunt. (4) Igitur, sumptis armis, per Cithaeronis montis radices praeter Hysias in Plataeensium agrum contenderunt. Quo quum pervenissent, prope Gargaphiam fontem et Androcratis herois fanum, partim in tumulis haud ita editis, partim in planitie, per populos dispositi consederunt.

XXVI. Ibi tum, dum cuique populo suus adsignatur locus, acris verborum contentio orta est inter Tegeatas et Athenienses; contendentibus utrisque sibi hoc deberi ut alterum obtineant cornu, et tam nova quam antiqua facta in medium proferentibus. (2) Ab altera enim parte Tegeatae haec dixere: «Nobis semper hic locus, quem in acie obtineremus, ab omnibus sociis tributus est, in omnibus expeditionibus, quas junctis copiis Peloponnesii et olim et recentiori memoria susceperunt; et id quidem ab eo inde tempore, quo Heraclidae post Eurysthei obitum, in Peloponnesum conati sunt redire. (3) Tunc igitur honorem hunc adquisivimus facto hujusmodi: quo tempore nos cum Achaeis et cum Ionibus qui tunc Peloponnesum incolebant, in Isthmum egressi, castra opposita habuimus castris illorum qui redire conabantur, tunc Hyllus memoratur publice edixisse, non debere exercitum cum exercitu praelio commisso periclitari, sed deligendum unum esse ex castris Peloponnesiorum, quem illi suorum fortissimum judicassent, qui cum ipso certis conditionibus singulari pugna decertaret. (4) Placuitque Peloponnesiis ita fieri; et jusjurandum sibi mutuo utrique in haec verba dederant: «Si Hyllus ducem vicisset Peloponnesiorum, Heraclidas in paternas possessiones esse restituendos; sin vinceretur, tum vero abituros Heraclidas exercitumque abducturos, et intra centum annos non conaturos in Peloponnesum redire.» (5) Delectus est autem ex omnibus sociis Echemus, Aeropi filius, Phegei nepos, dux et rex noster, qui ultro sese obtulerat; isque inita singulari pugna, Hyllum interfecit. (6) Illo igitur facto a Peloponnesiis qui tunc fuere et alia honorifica praemia, quae adhuc tenemus, et hoc consecuti sumus, ut alterum semper cornu ducamus quoties communis suscipitur expeditio. (7) Cum vobis igitur, Lacedaemonii, non contendimus; sed optionem damus vobis utri cornu velitis praeesse, illoque vobis cedimus; sed ad nos hoc pertinere contendimus, ut, quemadmodum superiori tempore, sic et nunc alteri cornu praesimus. (8) Praeter istud vero quod commemoravimus factum, sunt etiam alia ob quae digniores nos sumus qui hunc locum obtineamus, quam Athenienses: etenim multa praeclara praelia adversus vos, Spartani, multaque item adversus alios fecimus. (9) Quare aequum est, ut nos potius, quam Athenienses, alterum cornu habeamus: nam ab illis nec nuper, nec olim, tales res gestae sunt quales a nobis.» Haec Tegeatae dixere.

XXVII. Ad quae Athenienses in hunc modum responderunt: «Novimus quidem, pugnandi caussa adversus Barbarum hic nos convenisse, non disputandi: at quoniam Tegeatarum dux et vetera et nova in medium protulit, quae ab utrisque nostrûm ab omni inde memoria bene gesta sint, necesse est ut vobis exponamus, unde nobis, qui semper fortes fuimus, magis patrium sit, quam Arcadibus, ut primi simus. (2) Primum Heraclidas, quorum hi ducem in Isthmo a se interfectum aiunt, hos antea, quum servitutem fugerent a Mycenaeis imminentem, repulsique fuissent a Graecis omnibus quos adierant, nos soli recepimus, et Eurysthei injuriis finem fecimus, reportata cum illis victoria de his qui tunc Peloponnesum tenebant. (3) Deinde, quum Argivi cum Polynice contra Thebas profecta, ibique vita functi, insepulti jacerent, a nobis bello Cadmeis illato ablatos esse gloriamur mortuos, et in nostra terra Eleusine sepultos. (4) Est etiam res a nobis praeclare gesta contra Amazonidas, quae olim a Thermodonte fluvio in terram Atticam incursionem

fecerunt. Atque in Trojano etiam bello nullis fuimus secundi. (5) Sed enim nihil proficit, harum rerum fecisse mentionem: nam, qui tum fortes fuere, fieri potest ut iidem nunc sint deteriores; et qui tunc ignavi, iidem nunc fortiores. (6) Itaque, de rebus olim gestis, haec sufficiant. Nos autem, si nullum aliud edidissemus factum, qui tamen multa, si qui alii ex Graecis, bene praeclareque gessimus; at propter unam certe Marathoniam victoriam digni sumus hoc honore, atque aliis etiam insuper honoribus: qui ex omnibus Graecis soli cum Persa pugnavimus, tantamque rem adgressi superiores discessimus, et de sex et quadraginta populis victoriam reportavimus. (7) Nonne hac una re gesta commeruimus, ut hic nobis locus in acie tribuatur? At, quum in hoc temporis momento non deceat de loco quo quisque in acie locetur altercari, parati nos sumus vobis parere, Lacedaemonii, et ibi stare ubi et contra quos ut locemur opportunissimum vobis fuerit visum. Nam ubicumque fuerimus locati, operam dabimus ut fortes nos viros praestemus. Imperate igitur, et nos obsequemur.»

XXVIII.[TR2] Hoc quum illi respondissent, universus Lacedaemoniorum exercitus adclamavit Atheniensibus, digniores illos esse qui cornu praeessent, quam Arcades. Atque ita Athenienses, victis Tegeatis, honorem illum sunt consecuti. (2) Post haec, Graecorum acies, quum eorum[TR3] qui initio convenerant, tum qui paulatim supervenerant, in hunc modum ordinata est. Dextrum cornu Lacedaemonii tenuere, numero decies mille; quorum quinque millia Spartani fuere, quos custodiebant Helotae quinquies et tricies mille, leviter armati septem Helotae cuique viro attributi. (3) Proximum sibi locum Spartani Tegeatis tribuerunt, et honoris caussa, et virtutis: erantque hi mille et quingenti graviter armati. (4) Post hos locati erant Corinthiorum quinque millia: qui a Pausania impetrarunt, ut juxta ipsos starent Potidaeatae qui aderant ex Pallene, numero trecenti. (5) His proximi erant locati Arcades Orchomenii sexcenti; et his, Sicyonii ter mille; juxtaque hos stabant Epidaurii octingenti; (6) prope quos constituti erant Troezenii mille; tum juxta Troezenios Lepreatae ducenti; prope hos Mycenaei et Tirynthii quadringenti; quibus proximi, Phliasii mille; (7) atque his propinqui erant Hermionenses trecenti. Proximi Hermionensibus locati erant Eretrienses et Styrenses sexcenti: post quos Chalcidenses quadringenti, et post hos, Ampraciatae quingenti; (8) deinde Leucadii locati erant et Anactorii, numero octingenti: hisque proximi Palenses ex Cephallenia ducenti. Post hos aeginetae stabant quingenti; et juxta illos Megarenses locati ter mille; (9) atque his proximi erant Plataeenses sexcenti. Postremi vero et primi Athenienses stabant, laevum cornu tenentes, numero octies mille; quibus Aristides praeerat, Lysimachi filius.

XXIX. Hi cuncti, exceptis septem illis cuique Spartanorum attributis, graviter fuere armati; numero, simul omnes, octies et tricies mille et septingenti. (2) Iste igitur fuit numerus graviter armatorum, qui ad pugnandum contra Barbarum convenerant. Leviter vero armatorum numerus hic fuit: in Spartanorum ordinibus quinquies et tricies mille viri, quippe septem circa quemque virum; eratque horum quisque ut solet ad bellum instructus. (3) Reliquorum vero Lacedaemoniorum et Graecorum leviter armati, unus fere circa quemque virum, fuere quater et tricies mille et quingenti. Itaque leviter armatorum numerus universus fuit sexaginta novem millium et quingentorum.

XXX. Itaque universus Graecarum copiarum, quae ad pugnam aptae essent, numerus ad Plataeas, collectus, simul sumpta et gravi et levi armatura, fuit centum et decem millium, minus mille et octingentis. (2) Adjunctis vero Thespiensibus qui aderant, completus est numerus centum et

decem millium. Adfuerunt enim etiam in castris quotquot supererant Thespiensium, ad mille octingentos numero: sed illi quidem nonnisi leviter armati. Graeci igitur, ita ordinati, ad Asopum castra habuere.

XXXI. Barbari cum Mardonio, postquam finem fecerunt parentandi Masistio, quum cognovissent Graecos ad Plataeas esse, ipsi quoque ad Asopum, qui illac fluit, se contulerunt. (2) Quo ubi venere, Graecis in hunc modum oppositi sunt a Mardonio. Contra Lacedaemonios locavit Persas; qui quidem, quum illos multitudine longe superarent, non solum plures in ordines locati, sed Tegeatis etiam oppositi stabant. (3) Ordinavit eos autem Mardonius ita, ut selectos suorum validissimos quosque opponeret Lacedaemoniis, infirmiores vero contra Tegeatas locaret: idque fecit indicantibus et monentibus Thebanis. (4) Persis proximos Medos locavit; qui ex adverso Corinthios habebant et Potidaeatas et Orchomenios et Sicyonios. A latere Medorum Bactrios locavit, Epidauriis oppositos et Troezeniis, item Lepreatis, Tirynthiis, Mycenaeis et Phliasiis. Post Bactrios locavit Indos, quibus ex adverso Hermionenses stabant et Eretrienses et Styrenses et Chalcidenses. (5) Proxime Indis Sacas locavit, Ampraciatis oppositos et Anactoriis et Leucadiis et Palensibus et aeginetis. Proximos Sacis, ex adverso Atheniensium et Plataeensium et Megarensium, Boeotos locavit et Locros et Malienses et Thessalos et mille illos, quos memoravi, Phocenses. (6) Nec enim omnes Phocenses a partibus Medorum stabant; sed eorum nonnulli etiam cum Graecis faciebant, circa Parnassum conglobati, indeque impetu facto exercitum Mardonii, et Graecos qui cum eo erant, vexabant praedamque ex illis agebant. Insuper vero etiam Macedonas, et populos Thessaliae finitimos, Atheniensibus Mardonius opposuit.

XXXII. Quos adhuc nominavi populos a Mardonio in acie locatos, hi numerosiores erant caeteris majorisque momenti. (2) Mixti his autem fuere ex aliis quoque populis viri, Phryges, Thraces, Mysi, Paeones, aliique. Adfuere etiam ex aethopibus selecti, et aegyptiorum Hermotybies et Calasiries qui vocantur, gladiis armati; qui soli sunt aegyptiorum milites. (3) Hos autem Mardonius, quum adhuc Phaleri esset, e navibus adsciverat quarum propugnatores erant: nec enim aegyptii in peditatu fuerant, qui cum Xerxe Athenas venit. (4) Jam barbarorum quidem numerus qui cum Mardonio erant, ut jam supra dixi, trecenta millia fuere: Graecorum vero numerum, qui ei socii aderant, nemo novit, nec enim initus illorum numerus est; sed, si conjectura licet uti, ad quinquaginta millia coacta fuisse conjicio. Hic igitur peditatus fuit, in acie locatus: equitatus autem seorsum instructus stabat.

XXXIII. Cunctis ita per populos et per manipulos dispositis, dein postridie utrique sacra fecerunt. (2) Graecis Tisamenus, Antiochi filius, sacrificator erat: hic enim exercitum hunc ut vates sequebatur. Eleus is fuit, Clytiades (ex Clytii familia), de gente Iamidarum: quem Lacedaemonii civem adoptaverant. Scilicet quum Delphicum oraculum Tisamenus de prole consuluisset, responderat ei Pythia, quinque maximis certaminibus victoriam illum reportaturum. (3) Is igitur, aberrans ab sententia oraculi, gymnicis certaminibus dabat operam, tamquam in his victoriam reportaturus: et quinquertium exercens, Olympiae certamine inito cum Hieronymo, genere Andrio, in eo erat ut victoria potiretur, sed uno luctae certamine victus est. (4) Tunc Lacedaemonii, intelligentes ad bellica certamina, non ad gymnica, spectare responsum Tisameno editum, conati sunt Tisamenum proposita mercede sibi conciliare, eique persuadere ut una cum regibus de Heraclidarum genere dux ipsis esset bellorum. (5) At ille, ubi vidit multum interesse Spartanorum, amicum se illis et socium adjungi, auxit pretium, dixitque, si se in civium

numerum vellent cooptare, omniumque jurium participem reddere, tunc se id facturum, alio autem pretio minime. (6) Quo audito, primum indignati Spartani: missam fecerunt illius artem divinandi: ad extremum vero, quum ingens eis metus impenderet a Persico hoc exercitu, consentientes in conditionem,[TR4] arcessiverunt virum. (7) At ille, ubi mutatam vidit eorum sententiam, ne sic quidem, ait, sufficere sibi hoc unum, sed oportere etiam fratrem suum Hagian eadem conditione, qua ipse, fieri Spartanum.

XXXIV. Haec ille dicens, postulatis suis, ut credi par est, imitabatur Melampodem, qui regiam dignitatem cum jure civitatis petebat. Melampus enim, quum Argis mulieres furore essent correptae, et Argivi illum proposita mercede Pylo vellent arcessere, ut eo morbo liberaret mulieres ipsorum, mercedem postulaverat dimidium regni. (2) Qua repudiata conditione postquam digressi sunt Argivi, quum multo etiam plures mulieres in insaniam incidissent, ita demum in conditionem a Melampode propositam consentientes, adierunt eum, id quod ille postulaverat daturi. (3) At tunc ille, mutatam videns horum sententiam, aucta cupiditate, ait, nisi fratri quoque ipsius Bianti tertiam regni partem traderent, non esse se illis morem gesturum. Et Argivi, in angustias adducti, in hanc etiam conditionem consenserunt.

XXXV. Pari modo etiam Spartani, quum Tisamenum sibi adjungere vehementer cuperent, omnibus ejus postulatis concesserunt. Quae postquam ei Spartani indulserunt, ad quinque maximas reportandas victorias Tisamenus Eleus, nunc Spartanus factus, operam suam illis arte sua divinandi contulit. (2) Sunt autem isti duo ex omnibus hominibus soli, quos Spartani in civium numerum cooptarunt. Quinque vero certamina, in quibus ope Tisameni victoriam Spartani reportarunt, haec sunt: primum hoc, ad Plataeas; deinde illud ad Tegeam, contra Tegeatas et Argivos; tertium, in Dipaeensibus adversus universos Arcadas, exceptis Mantinensibus; quartum, adversus Messenios ad Ithomam; quintum, ad Tanagram contra Athenienses et Argivos: hoc autem postremum peractum est certamen ex illis quinque.

XXXVI. Hic igitur Tisamenus, Spartanos comitatus, interpres sacrorum ad Plataeas fuit Graecis. Et felicem rei exitum Graecis portendebant sacra, si sese defenderent; parum prosperum autem, si Asopum transirent et pugnae facerent initium.

XXXVII. Mardonius vero, quum cuperet initium facere pugnandi, non opportuna habuit sacra; sed huic quoque, si sese defenderet, fausta omnia portendebantur. Usus est enim etiam ille Graecanicis sacris; eratque illi vates Hegesistratus, civis Eleus, et Telliadarum nobilissimus. Eumdem virum antea Spartani, a se captum, in vincula conjecerant, et supplicio destinaverant, quippe multa indigna ab eo perpessi. (2) Ille vero, hac calamitate circumventus, utpote cui non modo capitis imminebat poena, sed ante mortem etiam multa tristia patienda, facinus commisit dictu incredibile. (3) Quum enim ligno illigatus esset ferro revincto, illatum forte ferreum instrumentum nactus, continuo facinus molitus est omnium quae novimus fortissimum: postquam enim perpendit quo pacto reliquum pedem e compede educeret, anteriorem pedis partem sibi praecidit. (4) Quo facto, quum custodiretur a custodibus, perfosso pariete Tegeam profugit, noctu iter faciens, interdiu vero inter fruticeta latens et in statione manens: atque ita, Lacedaemoniis ubique eum quaerentibus, tertia nocte Tegeae fuit: et audacia hominis

obstupefacti erant Lacedaemonii, quum abscissum dimidiatum pedem viderent humi jacentem, hominem autem non possent reperire. (5) Postquam igitur hoc modo tunc Lacedaemonios evasit, Tegeam profugit, quae per id tempus non pacata erat Lacedaemoniis. Dein persanato vulnere, ligneum sibi pedem adscivit; et ab illo tempore ex professo hostis fuit Lacedaemoniorum. (6) Nec tamen usque ad finem ei profuit odium in Lacedaemonios conceptum: captus est enim ab illis quum vaticinaretur in Zacyntho, et interfectus. (7) Sed hic interitus Hegesistrati post pugnam accidit Plataeensem: tunc vero ad Asopum fluvium, haud exiguo pretio a Mardonio conductus, sacra faciebat, et promptam operam navabat, tam ob odium Lacedaemoniorum, quam quaestus cupidine.

XXXVIII. Quum igitur et ipsi Persae, et qui cum eis erant Graeci (nam et hi seorsum suum aruspicem habebant, Hippomachum Leucadium), victimarum judicio prohiberentur committere praelium, continenter autem novae sociorum copiae in castra confluerent Graecorum, numerusque illorum in dies augeretur; tum vero Timagenides Herpyis filius, Thebanus, Mardonio suasit, ut exitum faucium Cithaeronis occuparet; dicens, continenter Graecos quotidie adfluere, quorum ingentem numerum ibi esset intercepturus.

XXXIX. Et jam octo diebus castra castris opposita habuerant, quum ille hoc consilium Mardonio dedit. Atque intelligens Persa bonum esse consilium, noctu equitatum ad faucium Cithaeronis exitum, versus Plataeas ferentem, misit; quem locum Boeoti Tria capita vocant, Athenienses vero Quercus capita. (2) Nec frustra venerunt equites, eo loci missi: ceperunt enim ingredientia planitiem jumenta quingenta; quae ex Peloponneso cibaria in castra vehebant, cum hominibus jumenta sequentibus. (3) Qua praeda capta Persae immanem caedem ediderunt, nec jumento parcentes nec homini cuiquam: donec caede satiati, reliqua circumventa ad Mardonium in castra abegerunt.

XL. Post hoc factum, biduum adhuc morati sunt utrique, quum neutri vellent initium facere pugnae. Et barbari quidem usque ad Asopum progrediebantur, lacessentes Graecos: sed neutri fluvium trajiciebant. (2) Attamen equitatus Mardonii continuo instabat Graecis, eosque infestabat. Thebani enim, magnopere Medis faventes, studiose gerebant bellum, et continuo illis usque ad pugnae discrimen praeibant; deinde vero in eorum locum succedentes Persae et Medi, haud spernenda virtutis specimina edebant.

XLI. Usque ad decimum igitur diem nihil his amplius gestum est. Ut vero undecimus adfuit dies quo castra castris ad Plataeas opposita habuere, numerusque Graecorum multum erat auctus, et moram aegerrime ferebat Mardonius; (2) tunc in colloquium convenere Mardonius Gobryae filius, et Artabazus Pharnacis, vir in paucis Persarum Xerxi probatus. (3) Ibi consultantium duae hae erant sententiae: altera Artabazi, censentis quam primum movenda esse castra, et cum toto exercitu ad murum Thebanorum eundum, ubi et frumentum multum convectum haberent, et pabulum jumentis; ibi tranquille sedentes conficere bellum posse, hac inita ratione: (4) multum se habere aurum, quum signatum, tum factum, multumque argentum et pocula; his ne parcerent, sed ad Graecos haec dimitterent, et praesertim ad Graecarum civitatum praesides; ita hos haud cunctanter prodituros libertatem, neque iterum discrimen pugnae adituros. (5)

Hujus igitur eadem fuit sententia atque Thebanorum: melius enim hic quoque, quam Mardonius, quid futurum esset, prospexerat. At Mardonii fortior erat et pertinacior sententia, nec ullo modo cedens: existimare enim se, aiebat, suum exercitum Graecanico longe praestare; itaque quamprimum praelio esse decernendum, nec committendum ut plures etiam conveniant quam jam nunc convenissent: missa autem facienda Hegesistrati sacra, neque pertinaciter in illa incumbendum; sed Persarum institutum sequendo arma ferenda in hostem.

XLII. Haec quum facienda Mardonius censuisset, nemo contra dixit; et vicit illius sententia. Illi enim summa imperii a Xerxe commissa erat, non Artabazo. Tum convocatis ordinum ductoribus, atque etiam Graecorum sociorum ducibus, quaesivit an oraculum aliquod cognitum haberent de Persis, tamquam in Graecia perituris. (2) Tacentibus autem cunctis qui advocati erant, quippe aliis ignorantibus oracula, aliis cognita quidem habentibus, sed non tutum sibi judicantibus ea proferre, ipse Mardonius ait: (3) «Quoniam[TR5] vos igitur aut nihil nostis, aut non audetis dicere, dicam ego, bene gnarus. Est oraculum, dicens in fatis esse ut Persae, postquam in Graeciam venerint, templum spolient Delphicum, eoque facto pereant omnes. (4) Itaque nos, quoniam hoc ipsum novimus, non adibimus id templum, nec spoliare adgrediemur: neque hanc ob culpam peribimus. Proinde quotquot vestrûm bene cupitis Persis, gaudeatis hoc nomine, confidatisque nos superaturos esse Graecos.» (5) His dictis, continuo imperavit ut omnia pararent recteque disponerent, quippe postridie prima luce praelio futuro.

XLIII. Jam istud quidem oraculum, quod in Persas valere Mardonius dixit, novi equidem in Illyrios editum esse et in Enchelensium exercitum, non in Persas. (2) Sed Bacidis exstat effatum hanc pugnam spectans, hujusmodi:

Gramineis ripis Asopi ac Thermodontis

barbaricae Graiis acies clamore coibunt.

Hic multi occumbent defuncti munere vitae,

quando sagittiferis aderit lux ultima Medis.

(3) Hoc igitur, et alia his similia Musaei, equidem novi in Persas valentia. Thermodon autem fluvius inter Tanagram fluit et Glisantem.

XLIV. Postquam ita Mardonius de oraculis interrogavit duces, eosque cohortatus est, ingruit nox, et excubiae sunt dispositae. Quum autem jam multum nox processisset, viderenturque omnia tranquilla esse in castris, maximeque homines somno sepulti; tunc Alexander Amyntae filius, dux et rex Macedonum, equo ad Graecorum custodias advectus, se cum illorum ducibus velle

colloqui dixit. (2) Et custodum quidem major pars in statione mansit, nonnulli vero ad duces cucurrerunt, nunciantes, venisse hominem equo vectum e castris Medorum, qui, nullum aliud verbum promens, duces nominatim designasset, cum quibus colloqui se velle dixisset.

XLV. His auditis, duces protinus ad custodias illos secuti sunt. Quo ubi venere, haec illis Alexander dixit: «Viri Athenienses, verba haec ego in vestram fidem depono, rogans ut arcana habeatis, nec ulli alii, nisi Pausaniae, edicatis; ne mihi extremam adferatis perniciem. (2) Nec enim dicturus haec eram, nisi de universa Graecia vehementer essem sollicitus. Sum enim et ego antiquitus Graecus genere,[TR6] et nolim Graeciam ex libertate in servitutem redactam videre. Dico igitur vobis, non potuisse Mardonio ejusque exercitui sacra ex sententia fieri: alioqui jam pridem praelio decertassetis. (3) Nunc vero ei decretum est, valere jussis sacrificiis, prima luce praelium committere: timet enim Mardonius, ut ego suspicor, ne major vestrûm numerus conveniat. Ad hoc ergo vos comparate. Sin differt ille pugnam, et nunc vos non adgreditur; durate porro, et manete: etenim non nisi paucorum adhuc dierum cibaria exercitui supersunt. (4) Quodsi vero hujus belli exitus ex vestra evenerit sententia, etiam mei oportebit vos memores esse, et de me liberando cogitare, qui Graecorum caussa tam periculosum facinus pro meo in vos studio suscepi, cupiens consilium vobis aperire Mardonii, ne barbari ex improviso vos nondum exspectantes adoriantur. Sum autem Alexander Macedo.» His dictis ille retro egit equum, et in castra suamque ad stationem est reversus.

XLVI. Moxque Atheniensium duces ad dextrum cornu se contulerunt, et Pausaniae, quae ex Alexandro audiverant, renunciarunt. Quo nuncio ille territus, Persasque metuens, haec ait: «Quoniam igitur primo mane praelium committetur, oportet ut vos Athenienses adversus Persas stetis, nos autem contra Boeotos et Graecos, qui adversus vos locati sunt; idque hac caussa: (2) vos nostis Medos et illorum pugnandi genus, qui ad Marathonem cum eis congressi estis: nos vero horum hominum nullam experientiam neque notitiam habemus; nemo enim Spartanorum cum Medis periculum fecit: sed Boeotos atque Thessalos usu cognitos habemus. Quare omnino necesse est, ut vos sumptis armis in hoc cornu transeatis, nos autem in sinistrum cornu.» (3) Ad haec Athenienses responderunt: «Nos quoque ipsi pridem ab initio, ubi contra vos vidimus locatos Persas, in animo habebamus haec dicere, quae nunc vos nobis proponere occupastis; sed metuebamus, ne ingrata vobis esset ea oratio. Nunc quoniam vos ipsi hujus rationis fecistis mentionem, grata nobis haec oratio est, et parati sumus morem vobis gerere.»

XLVII. Ut igitur utrisque hoc placuit, illucescente tunc aurora stationes inter se permutarunt. Quod ubi animadverterunt Boeoti, renunciarunt Mardonio: et ille, hoc audito, protinus ipse quoque aciei suae rationem coepit immutare, Persasque adversus Lacedaemonios ducere. (2) Quod ubi Pausanias intellexit, suumque consilium non latere vidit hostem, retro Spartanos duxit in dextrum cornu: perinde vero item Mardonius suos laevum in cornu reduxit.

XLVIII. Postquam utraque acies pristinum locum ceperat, praeconem Mardonius ad Spartanos misit, haec illis ipsius nomine dicentem: «Vos igitur, Lacedaemonii, ut fortissimi viri praedicamini ab hominibus has regiones incolentibus, qui magnopere vos admirantur, quod numquam ex bello fugiatis, numquam deseratis stationem, sed duretis donec aut adversarios perdideritis aut

perieritis ipsi. (2) Atqui horum nihil verum erat. Nam, priusquam nos congrederemur et ad manus veniremus, palam fugientes vos vidimus et stationem deserentes, nempe in Atheniensibus primum periculum facturos, vos ipsos vero contra servos nostros locantes. (3) Haec neutiquam sunt fortium virorum facta: sed nimirum plurimum de vobis nos fefellit opinio. Nam quum propter virtutis vestrae famam existimassemus vos nobis praeconem, qui nos provocaret, missuros esse, et cum solis Persis velle dimicare; nos ad hoc ipsum parati, nihil tale vos vidimus facientes, sed metu terroreque refugientes. (4) Nunc igitur, quoniam vos non priores hanc nobis proposuistis conditionem, nos eam vobis ultro proponimus. Quidni pro Graecis vos, qui fortissimi esse existimamini, pro barbaris autem nos, pari utrimque numero jam pugnemus? Et si quidem placuerit ut caeteri etiam pugnent, illi deinde post nos pugnanto: sin hoc non placet, sed satis esse judicaritis ut nos soli pugnemus, decernamus igitur! et, utri nostrûm vicerint, hi pro universo exercitu vicisse censeantur.»

XLIX. His dictis praeco aliquantisper substitit: ut vero nemo ei respondit, reversus est, et Mardonio quid acciderit renunciavit. Tum ille, vehementer gavisus, et frigida elatus victoria, equitatum adversus Graecos misit. (2) Et adcurrentes equites universum Graecorum exercitum incommodabant, et jacula in eos torquentes, et sagittas ex arcubus emittentes: quippe sagittarii erant equites, nec cum eis cominus congredi poterant Graeci. Iidem etiam fontem Gargaphiam, unde aquabatur universus Graecorum exercitus, turbabant et obstruebant. (3) Et erant quidem prope illum fontem soli Lacedaemonii locati; reliqui vero Graeci, prout singuli locati erant, longius aberant a fonte, Asopum autem in propinquum habebant. Sed quoniam ab Asopo arcebantur, ad eumdem fontem aquatum iverant; ex fluvio enim aquari prohibebantur ab equitum missilibus.

L. In hoc rerum statu, quum aqua careret exercitus, et ab equitatu hostium incommodaretur, Graecorum duces convocavit Pausanias, ut ad se in dextrum cornu convenirent, et de his ipsis rebus itemque de aliis deliberarent. (2) Nam praeter haec, aliis quoque incommodis magis etiam premebantur: cibaria enim illos defecerant; famulique eorum, ad subvehendum commeatum in Peloponnesum missi, interclusi erant ab equitatu, ut in castra pervenire non possent.

LI. Deliberantibus ducibus placuit, ut, si eum diem Persae praetermisissent praelium non committentes, ipsi in insulam se conferrent. Abest haec decem stadia a fonte Gargaphia, ad quem tunc castra habebant, estque ante urbem Plataeensium. (2) Ita insula fuerit in continente: nempe fluvius a Cithaerone monte in planitiem decurrit in duos alveos divisus, tria fere stadia a se invicem distantes, et deinde in unum confluit: nomen ei est Oeroe, filiamque hanc esse Asopi aiunt hujus regionis incolae. (3) Hunc in locum transferre castra constituerunt, quo et aquae haberent copiam,[TR7] nec ab equitibus, sicut dum ex adverso stabant, infestarentur. Movere autem placuit castra sub secundam noctis vigiliam, ne Persae viderent abeuntes, nec equites sequerentur eos et incommodarent. (4) Deinde constituerant, quando in hunc locum pervenissent, quem Asopi filia Oeroe e Cithaerone decurrens circumfluit, eadem nocte dimidiam copiarum partem ad Cithaeronem mittere, ad recipiendos famulos, qui commeatum advecturi abierant: erant enim in Cithaerone interclusi.

LII. Haec quum ita decrevissent, toto illo die ab equitatu pressi, immensum sustinuerunt laborem. Ut vero dies defecit, destiteruntque equites, facta nocte et adpropinquante hora qua ut discederent erat constitutum, tum vero plerique collectis vasis discesserunt; non illi locum, de quo convenerat, petere in animo habentes; sed, simulac moveri coeperunt, laeti effugisse equitatum, versus Plataeensium urbem fugientes, ad Heraeum (Junonis templum) pervenerunt, quod est ante Plataeensium urbem, viginti stadia a Gargaphia fonte distans; ibique ante templum consederunt.

LIII. Hi igitur circa Heraeum castra habuere. Pausanias vero, postquam illos vidit castris egredientes, ratus eum locum illos, de quo convenerat, petere, Lacedaemonios etiam arma jussit capere, et eadem via, qua caeteri praecessissent, progredi. (2) Ibi tunc, quum alii omnes ordinum ductores parati essent Pausaniae obsequi, unus Amompharetus, Poliadae filius, manipulum ducens Pitanetarum, ait se non fugiturum peregrinos, neque ultro ignominiam adspersurum Spartanis; miratusque est, ubi quid ageretur vidit: nec enim superiori colloquio interfuerat. (3) Pausaniae vero et Euryanacti indigna res visa est, imperio non obtemperare illum, adhuc vero indignior, deserere manipulum Pitanatarum, quoniam ita dux illorum animatus esset; quippe veriti, ne, si illo relicto facerent quae cum caeteris Graecis constituissent, desertus periret Amompharetus cum suis. (4) Id secum reputantes, gradum sistere jusserunt Laconicas copias, et persuadere homini conati sunt, non recte eum facere.

LIV. Dum illi Amompharetum adhortantur, unum ex omnibus Lacedaemoniis et Tegeatis pone manentem; interim Athenienses haec fecerant: quieti steterant in vestigio ubi locati erant, bene gnari moris Lacedaemoniorum, alia saepe cogitantium, alia dicentium. (2) Ut autem movere se coepit exercitus, equitem de suis miserunt, qui spectaret utrum Lacedaemonii discedere adgrederentur, an omnino de profectione non cogitarent; tum qui ex Pausania quaereret, quid ipsis esset faciendum.

LV. Ubi ad Lacedaemonios pervenit praeco, vidit illos suo loco instructos stantes, et primores illorum inter se altercantes. Quum enim Amompharetum hortati essent Euryanax et Pausanias, ne solus Lacedaemoniorum ibi manens se suosque in periculum adduceret, minime ei persuaserunt; et ad extremum eo ventum est, ut ad mutua convicia descenderent, quo tempore adveniens praeco Atheniensis coram eis stetit. (2) Et maledictis illos incessens Amompharetus, ambabus manibus sublato saxo, eoque ante pedes posito Pausaniae, Hoc calculo, ait, suffragium ego fero, non debere nos fugere peregrinos: nempe peregrinos barbaros dicens. (3) Quem furiosum et male sanum adpellans Pausanias, mox ad praeconem Atheniensium conversus interrogantem quod ei mandatum erat, jussit hunc, illis quid hic ageretur nunciare, suoque nomine rogare Athenienses, ut ad se venirent, et de discessu facerent quod ipsos vidissent facere.

LVI. Et hic quidem ad Athenienses rediit. Illos vero ut inter se disceptantes aurora deprehendit, Pausanias, quum adhuc ibidem mansisset, existimans Amompharetum,[TR8] si reliqui Lacedaemonii discessissent, non ibi solum manusurum, (id quod etiam accidit,) dato imperio caeteros omnes abduxit per clivos; et Tegeatae quoque sequebantur. (2) Athenienses vero,

ordine instructi, contraria quam Lacedaemonii via incedebant: hi enim metu equitatus clivos sequebantur et radices Cithaeronis; Athenienses vero infra per planitiem progrediebantur.

LVII. Amompharetus autem, prorsus persuasus nequaquam ausurum Pausaniam se suosque deserere, etiam nunc institit ut ibi manerent, nec desererent stationem: at, ubi jam longius progressum Pausaniam cum suis vidit, tunc ratus palam illos sese deseruisse, manipulum suum arma capere jussit, eumque militari gradu ad reliquum agmen adduxit. (2) At illi, postquam decem fere stadia progressi erant, exspectaverunt Amomphareti manipulum, circa fluvium Moloentem resistentes et circa locum cui Argiopio nomen, ubi templum situm est Cereris Eleusiniae. Manserunt autem ibi hoc consilio, quo, si stationem qua locatus erat non relinqueret Amompharetus ejusque manipulus, sed ibi manerent, redirent ipsi eisque succurrerent. (3) Vixdum ad illos pervenerat Amompharetus, quum universus barbarorum equitatus eis instabat. Etenim equites pro suo more castris Graecorum adequitantes, quum vacuum vidissent locum, quo illi superioribus diebus steterant, ulterius continuo equos adegerunt: et simulatque Graecos adsecuti sunt, protinus eis institerunt.

LVIII. Mardonius, ut Graecos noctu discessisse cognovit, locumque vacuum vidit, Larissaeum Thoracem vocavit ejusque fratres Eurypylum et Thrasydeium, eosque his verbis est adlocutus: «Nunc quid porro dicetis, filii Aleuae, loca haec vacua videntes? nam vos, horum hominum finitimi, dicebatis non fugere Lacedaemonios ex pugna, sed bellica virtute primarios esse viros: quos et paulo ante vidistis stationem deserere, et nunc cuncti videmus proxima nocte prorsus profugisse. (2) Nempe, ubi acie illis decernendum fuit cum eis qui revera fortissimi sunt hominum, ostenderunt, aperte se nihili esse homines inter Graecos, qui nec ipsi ullius sunt frugis. Ac vobis quibus Persarum virtus minus comperta est, facile ignovi, laudantibus hos homines, quorum res quaedam bene gestae vobis innotuerunt (3) sed tanto magis Artabazum miratus sum, Lacedaemonios pertimescentem, et timore perculsum ignavissimam dicentem sententiam, movenda nobis esse castra, et in Thebanorum urbem secedendum, nempe ibi obsidendis: quam sententiam etiam rex ex me cognoscet. (4) Sed de his quidem alias disserendi locus erit: nunc vero illis, ut nos effugiant, non est permittendum; sed persequi eos oportet, donec deprehensi poenas nobis dederint omnium quae adversus Persas patrarunt.»

LIX. Haec locutus Mardonius Persas, Asopo superato, cursim duxit, vestigia secutus Graecorum, tamquam fugientium: duxit autem adversus solos Lacedaemonios et Tegeatas; nam Athenienses, per planitiem euntes, obstantibus clivis non conspexerat. (2) Et reliquarum barbaricarum duces copiarum, ut Persas viderunt ad persequendos Graecos egressos, protinus et ipsi omnes sublatis signis raptim secuti sunt, ut quique pedibus valebant, nullo ordine, non instructa acie. Ita igitur hi cum clamore et tumultu adcurrerunt, tamquam primo impetu Graecos oppressuri.

LX. Pausanias, quum instaret equitatus, equitem ad Athenienses misit, qui ipsius verbis haec illis diceret: «Cives Athenienses, quum maximum nobis propositum sit certamen, quo id agitur, liberane maneat Graecia, an servitutem[TR9] sit servitura, proditi sumus tam nos Lacedaemonii, quam vos Athenienses, a sociis, qui proxima nocte fuga se proripuerunt. (2) Nunc igitur decretum est quid hinc sit nobis faciendum: nempe pugnare oportet quam fortissime possumus,

et mutuo nobis succurrere. Igitur si in vos primos irruisset equitatus, oporteret nos et Tegeatas, qui nobiscum sunt neque Graeciam prodiderunt, vobis succurrere: nunc vero quum in nos universus ingruit, aequum est vos ut laborantibus maxime partibus exercitus suppetias veniatis. (3) Sin vos ipsi occupati estis ut succurrere nobis non possitis, hoc saltem nobis gratificamini, ut sagittarios vestros ad nos dimittatis. Quum compertum sit nobis, quam singulare studium in hoc bello adhibeatis, non dubitamus vos gratum hoc nobis facturos.»

LXI. His auditis, Athenienses parati erant illis succurrere, et quantam maximam possent opem ferre. Jamque iter erant ingressi, quum subito in illos impetum fecerunt Graeci a barbarorum partibus stantes, qui illis in acie fuerant oppositi: quo facto, jam succurrere istis non potuere, ipsi ab adgredientibus infestati. (2) Itaque soli relicti Lacedaemonii et Tegeatae, simul cum levi armatura, quinquagies mille Lacedaemonii, et ter mille Tegeatae (nam hi numquam ab illis discesserunt), sacra fecerunt, quippe cum Mardonio et exercitu qui cum eo erant conflicturi. Quumque nihil laeti portenderent victimae, multi interim eorum ceciderunt, et multo plures vulnerabantur. (3) Etenim Persae, vallo e cratibus facto, adeo immensam in illos vim sagittarum emiserunt, ut Pausanias, quum perlitare non posset, et valde premerentur Lacedaemonii, Junonis templum respiciens, quod ad Plataeas est, deam invocaret, orans ne spem ipsorum frustraretur.

LXII. Dum ille adhuc deam invocat, priores surgunt Tegeatae, et in barbaros tendunt. Mox vero etiam Lacedaemoniis, post preces a Pausania peractas, laetae fuerunt victimae. (2) Qui ut tandem perlitarunt, ipsi quoque adversus Persas pergunt; et illis Persae, relictis arcubus, obviam ire instituunt. Primum igitur fit praelium apud crates: quae ubi corruerunt, atrox jam fit pugna apud ipsum Cereris templum, eaque diuturna, donec eo ventum est ut velut in turba vir virum premeret: nam hastas Graecorum prehendentes barbari frangebant. (3) Et studio quidem ac robore non inferiores erant Persae: sed praeterquam quod leviter erant armati, ignari etiam fuere pugnae Graecorum, et solertia cedebant adversariis. Procurrentes singuli, aut deni, et modo plures, modo pauciores, globo facto irruebant in Spartanos; et ab his interficiebantur.

LXIII. Qua parte quidem ipse Mardonius erat, ex candido equo pugnans, secumque selectos habens mille fortissimos Persarum, ibi vehementer hi premebant adversarios. (2) Quoad igitur Mardonius vixit, etiam reliqui restiterunt, et fortiter pugnando multos straverunt Lacedaemonios: ut vero interfectus Mardonius est, et quod circa eum steterat robur virorum cecidit, tunc nimirum et reliqui terga verterunt, cessaruntque Lacedaemoniis. (3) Maxime enim illis nocebat vestitus, scuto et lorica carens: etenim cum gravi armatura leviter armati pugnabant.

LXIV. Ibi tunc poenam caedis Leonidae, secundum oraculi responsum, Spartanis Mardonius solvit: et nobilissimam omnium, quas novimus, victoriam Pausanias retulit, Cleombroti filius, Anaxandridae nepos. Superiorum hujus viri progenitorum nomina recensui, ubi de Leonida agebatur: sunt enim prorsus iidem. (2) Interfectus est autem Mardonius ab Arimnesto, spectato inter Spartanos viro: qui insequente tempore, post hoc Medicum bellum, bello Messeniaco trecentos viros ducens, cum omnibus Messeniorum copiis ad Stenyclerum conflixit: et una cum trecentis suis occubuit.

LXV. Persae apud Plataeas a Lacedaemoniis fusi fugatique, nullo ordine ad castra sua confugerunt et in ligneum murum, quem in agro Thebano construxerant. (2) Miror vero equidem, qui factum sit, quum ad Cereris lucum pugnata sit haec pugna, ut tamen nullus repertus fuerit Persarum, qui in locum deae sacrum aut intrarit aut in eo ceciderit, sed omnes in profana terra circa templum occubuerint. (3) Opinor autem, si modo fas est de rebus divinis opinari aliquid, deam illos non recepisse, ut qui ipsius templum, quod Eleusine fuit, cremassent. Hic igitur Plataeensis pugnae exitus fuit.

LXVI. Artabazo, Pharnacis filio, initio statim non placuerat, Mardonium a rege in Graecia relinqui: idemque tunc, multum hortatus ne praelium ille committeret, nihil profecerat. Itaque, utpote improbans Mardonius inierat rerum gerendarum modum, hac ipse ratione egit: (2) quum suo sub imperio manum haberet haud exiguam, sed ad quadraginta hominum millia, his ordine compositis, quo tempore fiebat praelium, bene gnarus quis futurus esset exitus pugnae, egressus est, dato imperio, ut, qua ipse praeiret, sequerentur omnes eodem gradu quo ipsum vidissent praeeuntem. (3) Hoc dato imperio, duxit illos, veluti in praelium duceret: sed quum ipse praegrederetur agmen, jamque fugientes conspexisset Persas; inde non amplius eodem ordine suos duxit, sed citato cursu fugam cum eis corripuit, non ligneum murum petens nec Thebanorum moenia, sed in Phocidem tendens, cupiensque quam primum ad Hellespontum pervenire. Hi igitur hanc in partem iter intenderunt.

LXVII. Graecorum, qui cum rege erant, major pars de industria cessaverant: sed Boeoti perdiu cum Atheniensibus dimicarunt. Nam Thebanorum, qui cum Medis faciebant, singulare studium adhibuere, fortiter pugnantes, minimeque ultro cedentes; ita ut eorum trecenti, primarii viri fortissimique, ibi ab Atheniensibus sint interfecti. (2) Ut vero hi quoque terga vertere coacti sunt, Thebas se receperunt, non quidem ita ut Persae (incondita fuga). Atque reliqua turba sociorum, nulla re gesta, ac ne pugna quidem cum ullo ex hostibus conserta, in fugam se proripuerunt.

LXVIII. Atque hinc adparet, barbarorum res universas ex Persis pependisse; quandoquidem et hi tunc, priusquam cum hoste essent congressi, simulatque Persas videre fugientes, et ipsi fugam capessiverunt. (2) Itaque omnes se fugae mandarunt, praeter equitatum, quum reliquum, tum Boeoticum. Atque fugientibus magno etiam usui equitatus fuit, semper proxime ab hostibus obequitans, et suos fugientes a Graecis sejungens.

LXIX. Dum ita victores Graeci fugientes barbaros persequuntur occiduntque, interim reliquis Graecis, qui circa Junonis templum consederant, et praelio non interfuerant, nunciatur pugnam esse pugnatam, vicisseque Pausaniam cum suis. (2) Quo audito, nullo ordine Corinthii superiore via, quae per montis radices et per clivos fert, recta versus Cereris templum contenderunt; Megarenses vero et Phliasii per planitiem molliori via. (3) Ubi vero prope hostem Megarenses et Phliasii fuere, e longinquo eos conspicati equites Thebani, videntesque nullo ordine properantes, equos in illos adegerunt, Asopodoro duce, Timandri filio. In quos invecti, sexcentos eorum straverunt; reliquosque persecuti, in Cithaeronem praecipites compulerunt. Isti igitur ignobili morte perierunt.

LXX. Persae autem et reliqua turba, postquam intra ligneum murum pervenerunt, adscendere in turres maturarunt, priusquam Lacedaemonii adessent: eisque conscensis, quam optime poterant ad defendendum murum sese compararunt: et, ubi advenerunt Lacedaemonii, valide admodum propugnarunt. (2) Nam priusquam Athenienses accessissent, repulerunt Lacedaemonios, et multo eis erant superiores, quippe oppugnandarum munitionum imperitis. Ut vero Athenienses advenere, tunc acris exstitit et diuturna circa murum pugna. (3) Sed ad extremum virtute et adsiduitate laboris conscenderunt murum Athenienses, eumque diruerunt: et ea parte Graeci intra munitionem irruerunt. Primi qui ingressi sunt, Tegeatae fuere: et hi sunt qui tentorium spoliarunt Mardonii, ex eoque quum alia asportarunt, tum praesepe equorum, quod totum aeneum erat et spectatu dignum. (4) Ac praesepe hoc quidem Mardonii in templo Aleae Minervae dedicarunt Tegeatae; reliquam vero praedam omnem in eumdem locum cum communi Graecorum praeda contulerunt. (5) Barbari vero, ex quo murus corruit, nullum amplius globum, quem hosti opponerent, fecerunt, neque quisquam virtutis meminit; sed consternati erant, utpote multae hominum myriades in exiguum locum fuga compulsae et conclusae. (6) Et Graecis ita facilis fuit caedes, ut ex triginta hominum myriadibus (demptis quattuor myriadibus, cum quibus Artabazus profugit) ne ter mille quidem reliqui essent. (7) Lacedaemoniorum vero, qui quidem ex ipsa Sparta fuere, nonnisi unus et nonaginta in praelio ceciderant; ex Tegeatis vero sedecim; ex Atheniensibus duo et quinquaginta.

LXXI. Virtutis nomine in Plataeensi pugna eminuere, inter barbaros, peditatus quidem Persarum, equitatus vero Sacarum: inter singulos viros eminuisse dicitur Mardonii virtus. Inter Graecos, quamquam et Tegeatae et Athenienses fortiter pugnarunt, prae caeteris eminuit Lacedaemoniorum virtus: (2) quod quidem nullo alio indicio confirmare possum (hi enim cuncti vicerunt eos qui ipsis oppositi steterant), nisi quod Lacedaemonii cum robustissima parte copiarum hostilium conflixerunt, hosque superarunt. Inter singulos viros, ut mihi quidem videtur, prae caeteris longe fortissime pugnavit Aristodemus, is qui, quum ex trecentis unus a Thermopylis rediisset, ignominia notatus erat. (3) Post hunc autem eminuere Posidonius et Philocyon, et Spartanus Amompharetus. Quamquam, quum sermo haberetur quis illorum fortissimus fuerit, praesentes Spartani statuerunt, Aristodemum manifeste mori voluisse propter culpam qua tenebatur, eaque caussa furiosum, et ordinem suum relinquentem, praeclara facta edidisse; Posidonium vero, quum non decrevisset mori, fortissime pugnasse, tantoque esse praestantiorem illo. (4) At hoc fortasse illi ex invidia dixerint. Caeterum hi omnes, quos nominavi, qui in hac pugna ceciderunt, publico honore adfecti sunt, Aristodemo excepto: Aristodemus vero, eo quod ob praedictam culpam mori decrevisset, non est honoratus.

LXXII. Hi igitur ex Lacedaemoniis Plataeensi pugna maxime nobilitati sunt. Nam Callicrates extra pugnam mortuus est, pulcerrimus Graecorum qui in exercitu fuerunt, non modo Lacedaemoniorum, sed reliquorum etiam Graecorum. Quo tempore sacra fecit Pausanias, sedens ille suo in ordine sagitta vulneratus est in latere. (2) Ac tum quidem caeteri capessiverunt pugnam: ipse vero ex acie elatus, aegerrime ferens mortem, dixit Arimnesto, civi Plataeensi, non se poenitere quod pro Graecia moriatur, sed quod manu non sit usus, neque ullum se dignum facinus edidisset, quum id ipsum unice cupivisset.

LXXIII. Inter Athenienses nobilitatus est Sophanes, Eutychidis filius, ex populo cui Decelea nomen. Cujus popularium Deceleensium olim factum exstitit, ut ipsi Athenienses narrant, in omne aevum eis utile. (2) Nam, quo tempore olim repetendae Helenae caussa Tyndaridae cum numeroso exercitu terram Atticam invaserunt, et, quum nescirent quem in locum illa deportata esset, populos Atticae sedibus suis expulerunt; tunc, ut vulgo aiunt, Deceleenses, sive, ut alii dicunt, ipse Decelus, indignatus iniquo Thesei facinore, simulque universae metuens Atheniensium terrae, totam rem illis aperuit, viamque quae fert Aphidnas monstravit: quas tum Titacus, Aphidnensis ipse, Tyndaridis prodidit. (3) Quod ob factum Deceleensibus Spartani immunitatem vectigalium et praecipuam in conventibus publicis et in festorum solennibus sedem indulserunt; quo privilegio illi etiam nunc fruuntur, ita quidem ut etiam in eo bello, quod multis post hoc bellum annis inter Peloponnesios et Athenienses gestum est, quum reliquam Atticam Lacedaemonii vastarent, Decelea abstinuerint.

LXXIV. Ex hoc igitur Atticae pago Sophanes fuit, qui tunc virtutis praecipuam inter Athenienses laudem abstulit. Quo de viro duplex fama fertur: altera, gestasse eum ferream ancoram, e loricae cingulo aenea catena religatam; eam illum ancoram, quoties propius hostes venisset, in terram defigere solitum esse, ne hostes, impetum in illum facientes, statione eum depellere possent; fuga autem facta hostium recipere consuesse ancoram, et ita persequi hostem. (2) Haec de hoc viro fama fertur. Cui contradicentes alii aiunt, in ejusdem viri clypeo, quem semper ille in gyrum agere consuesset, nec umquam quietum sinere, pro insigni fuisse ancoram, nec gestasse illum ferream ancoram e lorica religatam.

LXXV. Exstat ejusdem Sophanis aliud praeclare factum, scilicet quum Athenienses aeginam circumsederent, hic Eurybaten Argivum, virum quinquertio nobilem, a se ad singulare certamen provocatum interfecit. (2) Sed eidem Sophani insequente tempore accidit, ut, quum dux esset Atheniensium cum Leagro Glauconis filio, apud Daton oppidum, ubi pro auri metallis decertabatur, fortiter pugnans, ab Edonis interficeretur.

LXXVI. Postquam ita ad Plataeas barbari prostrati sunt a Graecis, advenit ad hos mulier transfuga: quae ut perditos vidit Persas, Graecosque victores, quum fuisset pellex Pharandatis Persae, Teaspis filii, multo ornata auro et ipsa et ejus famulae, et veste pretiosissima quae ad manus erat, descendit de carpento et ad Lacedaemonios accessit in caedibus adhuc occupatos. (2) Quumque omnia ibi administrantem videret Pausaniam, cujus et nomen et patriam jam antea frequenti auditu noverat, agnovit Pausaniam, et genua ejus complectens, his verbis eum adlocuta est: (3) «Rex Spartae, libera me supplicem captivitatis servitute! Nam et hactenus me juvisti, quod hos homines perdidisti, qui nec heroum nec deorum curam habent. Sum autem genere Coa, Hegetoridae filia, Antagorae filii: quam vi ex Co raptam habuit Persa.» (4) Cui ille respondit: «Confide, mulier, non modo ut supplex, sed et insuper si verum est quod ais, filiam te esse Hegetoridae Coi, qui maxime omnium ista loca habitantium hospitii jure mecum conjunctus est.» (5) His dictis, tunc illam praesentibus ephoris tradidit, deinde vero aeginam misit, quo ipsa venire cupiverat.

LXXVII. Post hujus mulieris adventum mox adfuere Mantinenses, re confecta. Qui ubi cognovere sero se venire post peractam pugnam, vehementer indoluerunt, et mulctam se commeruisse ultro fatebantur. (2) Ut vero audivere fugam corripuisse Medos qui cum Artabazo erant, hos illi, dissuadentibus licet Lacedaemoniis, persecuti sunt usque in Thessaliam. Postquam vero domum sunt reversi, duces suarum copiarum exsilio multarunt. (2) Post Mantinenses Elei venerunt: et hi pariter atque Mantinenses gravissime dolentes redierunt, pariterque atque illi, postquam domum reversi sunt, duces suos in exsilium miserunt. Et haec quidem de Mantinensibus et Eleis hactenus.

LXXVIII. Fuit autem in exercitu aeginetarum ad Plataeas aegineta Lampon, Pytheae filius, primarius vir inter aeginetas: qui Pausaniam adiit, rem improbissimam ei suasurus. Ad quem quum accessisset, magno studio haec verba fecit: «(2) Fili Cleombroti, exsecutus es facinus ita magnum et praeclarum, ut hominis superare naturam videatur: tibique hoc dedit deus, ut liberata Graecia omnium quos novimus Graecorum longe maximam gloriam sis consecutus. At tu nunc etiam quod superest perfice; quo famam consequaris majorem etiam, et barbarorum quisque posthac caveat ne res nefarias adversus Graecos suscipiat. (3) Postquam Leonidas ad Thermopylas occubuit, Mardonius et Xerxes caput ejus praeciderunt, et e palo erexerunt. Huic si tu paria reddideris, primum Spartani, tum vero etiam Graeci omnes te collaudabunt. Quippe Mardonium si e palo erexeris, patruum tuum ultus fueris Leonidam.» Haec ille dixit, putans se gratificaturum Pausaniae.

LXXIX. Cui his verbis rex respondit: «Hospes aegineta, tuam et benevolentiam et prospicientiam laudo: at a recto animi sensu plurimum abes. Nam postquam me et patriam factumque meum in coelum usque extulisti, in nihilum me projecisti, dum hortaris ut mortuo insultem, et me ais, id si fecero, melius auditurum. (2) Barbaros hoc facere decet, non Graecos: atque illos hoc nomine odimus. Ego quidem, quod ad hoc attinet, nec aeginetis velim placere, nec quibuscumque talia placent: sufficitque mihi, Lacedaemoniis placere, sancte agentem, sancteque loquentem. (3) Leonidas vero, quem tu me jubes ulcisci, puto magnifice esse parentatum: nam innumerabilium horum caede ultionem et ipse obtinuit et caeteri qui ad Thermopylas occubuerunt. Omnino vero, talia propositurus aut suasurus, noli porro meum in conspectum venire: et gratias habe, quod incolumis abeas!» His auditis, ille discessit.

LXXX. Jam Pausanis, proposito per praeconem edicto, ne quis de praeda quidquam tangeret, Helotas jussit pretiosa colligere. (2) Et illi, castra obeuntes, tentoria invenerunt auro argentoque repleta, lectosque auro et argento obductos, et crateres aureos, et phialas, aliaque pocula: (3) plaustrisque impositos invenerunt saccos, in quibus lebetes erant aurei et argentei: denique stratis cadaveribus armillas detraxerunt, et torques, et acinaces, qui item aurei erant: vestis enim variegatae ne ratio quidem ulla habebatur. (4) Ibi tunc multa furto subtrahentes Helotae vendiderunt aeginetis: multa vero etiam repraesentabant, quaecumque abscondere non potuerant. Atque hinc initium cepere ingentes aeginetarum divitiae: quippe qui aurum quasi aes esset, ab Helotis emerunt.

LXXXI. Pecuniis reliquisque rebus pretiosis in unum collatis, decimam exemerunt Delphico deo; ex qua aureus ille tripus dedicatus est, qui tricipiti serpenti aeneo insistit proxime aram; item Olympico deo decimam exemerunt, ex qua Jovis aenea statua decem cubitorum dedicata est; denique Isthmio deo, unde confecta est Neptuni aenea statua septem cubitorum. (2) Haec postquam exemere, reliqua inter se distribuerunt, pellices Persarum, et aurum, et argentum, et alias res pretiosas, et jumenta: acceperuntque quique pro suo merito. Quaenam vero praecipua data sint eis quorum prae caeteris virtus eminuit ad Plataeas, a nemine memoratum reperio: puto autem equidem, his praecipua quaedam data esse. Pausaniae vero omnia dena selecta dataque sunt, mulieres, equi, talenta, cameli, pariterque alia etiam pretiosa.

LXXXII. Narrant etiam hoc accidisse: Xerxem, ex Graecia fugientem, supellectilem suam Mardonio reliquisse; Pausaniam igitur, quum Mardonii tentorium vidisset auro et argento et variegatis aulaeis instructum, pistores et coquos jussisse coenam parare prorsus qualem Mardonio soliti essent instruere. (2) Quod quum illi fecissent, tum Pausaniam, lectulos videntem aureos et argenteos pulcre stratos, et mensas aureas et argenteas, et magnificum ipsius coenae adparatum, propositas admiratum lautitias, joci caussa suos famulos Laconicam parare coenam jussisse. (3) Quumque multum interesset inter utrumque epulum, ridentem Pausaniam vocasse Graecorum duces; eisque, ut convenerunt, utriusque coenae adparatum monstrantem, dixisse, (4) «Hoc consilio, Graeci viri, vos convocavi, quo stultitiam vos ostenderem regis Medorum; qui, quum tali victus generi esset adsuetus, ad nos venit, miserum nostrum epulum nobis rapturus.» Haec Pausanias ducibus Graecorum fertur dixisse.

LXXXIII. Sed et insequente tempore post has res gestas multi Plataeenses arculas adhuc invenerunt auro et argento et aliis pretiosis rebus repletas. Et nonnullo rursus post haec tempore interjecto, postquam mortuorum cadavera carnibus prorsus erant nudata, etiam hoc mirum adparuit: (2) quum ossa in unum locum Plataeenses colligerent, repertum est cranium nullam prorsus suturam habens, sed uno osse constans. Reperta est etiam maxilla, quum inferior, tum superior, cujus dentes ita concreti erant, tam reliqui, quam molares, ut uno osse constarent omnes. Reperta etiam sunt ossa viri quinque cubitorum.

LXXXIV. Deinde vero Mardonii cadaver, postridie quam commissa pugna est, non est repertum. Quod quidem quonam ab homine fuerit subtractum, dicere pro certo non possum. Multos vero memoratos audivi, et diversis e civitatibus viros, qui perhibentur sepeliisse Mardonium; ac novi multos qui hoc nomine ingentia dona acceperunt ab Artonte Mardonii filio. (2) At quis sit ex his, qui Mardonii corpus subtraxerit et sepeliverit, pro certo comperire non potui. Fertur etiam fama quaedam, Dionysophanem Ephesium sepeliisse Mardonium. Sed haec Mardonii sepultura.

LXXXV. Graeci vero, divisa praeda, suos sepeliverunt, seorsum quique. Et Lacedaemonii quidem tria conditoria fecerunt: in uno tum adolescentes (sive potius ordinum duces: graece irenas) sepelierunt, quorum e numero Posidonius fuit, et Amompharetus, et Philocyon, et Callicrates. (2) Sic in uno conditorio erant irenes: in altero reliqui Spartani; in tertio Helotae. Hac ratione Lacedaemonii usi sunt. Tegeatae vero seorsum ab illis suos omnes uno in sepulcro condiderunt: atque ita etiam Athenienses suos uno in loco: pariterque Megarenses et Phliasii suos, qui ab

equitibus occisi erant. (3) Horum itaque omnium plena erant sepulcra. Ad reliquorum vero populorum sepulcra quod attinet, quotquot apud Plataeas ostenduntur, illorum quique, ut ego comperio, quum puderet eos non interfuisse pugnae, inanes excitarunt tumulos, posterorum hominum gratia. Nam ibidem est etiam aeginetarum, quod vocant, sepulcrum; quod ego audio decimo post haec anno, rogantibus aeginetis, a Cleade excitatum esse, Autodici filio, cive Plataeensi, qui publicus aeginetarum hospes fuit.

LXXXVI. Sepultis ad Plataeas mortuis, deliberantibus Graecis placuit protinus contra Thebas ferre arma, postulareque a Thebanis ut sibi hos traderent qui Medorum partes essent secuti, inprimisque Timageniden et Attaginum, qui prae caeteris principes hujus factionis fuissent, quos nisi illi tradidissent, non abscedere decreverunt ab urbe, quin eam expugnassent. (2) Utque hoc eis placuit, ita undecimo post pugnam die ad Thebas venerunt; urbemque obsidentes, postularunt ut praedicti viri sibi dederentur: et, negantibus Thebanis se id facturos, agrum illorum vastarunt, murumque oppugnarunt.

LXXXVII. Qui quum adsidue multa illis damna inferrent, vicesimo die Timagenides haec apud Thebanos verba fecit: «Quonam Graecis decretum est, cives Thebani, non prius ab oppugnatione desistere abscedereque, quam aut expugnassent Thebas, aut nos illis a vobis dediti essemus; nunc nostra caussa ne plura porro patiatur Boeotia terra! sed, si illi, pecuniarum avidi, in speciem tantum nos deposcunt, demus eis pecunias ex publico; nam publice omnes Medorum partes secuti sumus, non nos soli: sin vere nos deditos cupiunt, eaque caussa urbem oppugnant, nos ipsi ad caussam apud eos dicendam nos sistemus.» (2) Et hic sane optime dicere visus est et opportune: protinusque caduceatorem Thebani miserunt ad Pausaniam, significantes se viros illos esse tradituros.

LXXXVIII. De quo ut inter utrosque convenit, interim Attaginus quidem ex urbe clam profugit: cujus filios Pausanias ad se adductos absolvit crimine, Medismi culpam, dicens, pueros nullam habere. (2) Reliqui vero viri quos Thebani dediderunt, putabant illi quidem ad dicendam caussam se iri admissum, praetereaque confidebant pecuniis amoliri a se posse periculum: at id ipsum suspicatus Pausanias, postquam illos accepit, universum sociorum exercitum dimisit, et illos Corinthum abductos interfecit. Atque hae quidem res sunt, ad Plataeas et ad Thebas gestae.

LXXXIX. Artabazus vero, Pharnacis filius, qui Plataeis profugerat, jam longe admodum erat progressus. Qui ubi in Thessaliam pervenit, Thessali eum ad hospitium vocarunt, sciscitatique sunt de reliquo exercitu: necdum enim quidquam de rebus ad Plataeas gestis compererant. (2) At Artabazus, bene gnarus, si de praeliis factis id quod res erat illis aperuisset, verendum sibi esse, ne ipse cum exercitu suo pereat: unumquemque enim se adgressurum existimavit, qui quae gesta erant cognovisset: haec igitur secum reputans, nec apud Phocenses vulgaverat quidquam, et apud Thessalos haec dixit: (3) «Ego quidem, ut videtis, Thessali, in Thraciam maturo pervenire; et celeritate utor, quippe praemissus e castris cum hisce ad rem quamdam peragendam. Ipse vero Mardonius, e vestigio me cum suo exercitu sequens, mox vobis aderit. (4) Hunc vos hospitio excipite, omniaque ei officia praestate: nec enim, id fecisse, in posterum vos poenitebit.» His dictis, raptim per Thessaliam et Macedoniam recta Thraciam versus duxit

exercitum, vere festinans, et per mediam terram viam carpens. (5) Denique Byzantium pervenit, relictis quidem de suo exercitu multis, qui partim a Thracibus in itinere caesi erant, partim fame et laboribus conflictati perierant. Tum ex Byzantio navigiis trajecit: atque ita hic in Asiam est reversus.

XC. Quo die autem ad Plataeas cladem Persae acceperunt illam, eodem die accidit ut alia calamitate ad Mycalen Ioniae adfligerentur. Scilicet quum Deli sederent Graeci, qui duce Leotychide Lacedaemonio cum classe advenerant, venerunt ad eos ex Samo legati, Lampon Thrasyclis filius, et Athenagoras Archestratidae, et Hegesistratus Aristagorae, a Samiis missi insciis Persis et inscio tyranno Theomestore, Androdamantis filio, quem Persae tyrannum Sami constituerant. (2) Qui ubi Graecorum duces convenere, multa atque varia verba Hegesistratus fecit; dicens, si modo vidissent illos Iones, descituros esse a Persis, et ad illorum adventum discessuros barbaros; sive hi manserint, nullam aliam talem praedam Graecos umquam reperturos. (3) Denique communes deos invocans, hortatus illos est, ut homines Graecos servitute vellent liberare, et pellere Barbarum. Idque facile illis esse factu, ait: etenim et naves eorum male navigare, nec viros resistere illis posse. Quodsi quam suspicionem haberent per dolum se illos excitare, paratos se esse in illorum navibus obsidum loco abduci.

XCI. Quumque pluribus verbis orare non desisteret Samius hospes, tunc Leotychides, sive consulto capiendi ominis caussa, sive forte fortuna, deo ita volente, interrogavit eum: «Samie hospes, quodnam tibi nomen est?» Et ait ille, «Hegesistratus (latine Dux exercitus).» (2) Moxque Leotychides, intercipiens reliquum sermonem si quem adjecturus Hegesistratus esset, «Accipio, inquit, Samie hospes, omen ducem exercitus edens. Tu modo fac, et hi qui tecum sunt, ut, priusquam hinc abeatis, fidem nobis detis, revera Samios promptos nobis socios adfuturos.»

XCII. Haec locutus, e vestigio rem exsequi adgressus est. Protinus enim Samii de societate cum Graecis fidem et jusjurandum dederunt: (2) eoque facto, duo ex legatis domum navigarunt; nam Hegesistratum secum navigare Leotychides jussit, nomen ejus pro omine accipiens. (3) Et illo quidem die se continuerunt Graeci, postridie vero laeta illis sacra fuere, interpretis sacrorum officio fungente Deiphono, Euenii filio, Apolloniata, ex illa Apollonia, quae ad Ionium mare sita est.

XCIII. Deiphoni hujus pater Euenius fortuna usus erat hujusmodi. Sunt Apolloniae oves Soli sacrae, quae interdiu pascuntur juxta fluvium, qui ex Lacmone monte per agrum Apolloniaten prope Oricum portum in mare influit: noctu vero selecti viri, divitiis et genere spectatissimi inter cives, easdem oves custodiunt, quisque per anni spatium. (2) Nam oves has, ex oraculi responso quodam, maximi faciunt Apolloniatae; stabulantur autem illae in antro quodam procul ab urbe. Ibi eas tunc Euenius hic, ad id delectus, custodiebat: et nocte quadam, quum vigilandi tempus dormiendo transigeret, ingressi in antrum lupi oves fere sexaginta corripuerunt. (3) Quod ubi ille animadvertit, tacuit, nec cuiquam edixit, alias cogitans emere et in illarum locum substituere. At non latuit Apolloniatas factum: qui, ut id cognoverunt, in judicium adductum Euenium condemnarunt, ut, quoniam ovium custodiam dormiendo transegisset, oculorum usu privaretur. (4) Sed, postquam eum excaecarunt, continuo deinde nec oves illis pepererunt, nec terra

fructum, ut ante, edere coepit. Inde oracula consulebant et Dodonae et Delphis, caussamque ex prophetis quaerebant praesentium malorum. (5) Responderunt illi, eo ipsis haec accidere, quod sacrarum ovium custodem Euenium luminibus orbassent: se enim (deos) immisisse illos lupos; neque prius desituros esse illum ulcisci, quam ei poenam facinoris dedissent Apolloniatae, quamcumque ipse postulasset: quae quando soluta fuerit poena, daturos Euenio esse deos tale donum, cujus caussa multi homines beatum illum sint praedicaturi.

XCIV. Haec Apolloniatis data sunt responsa; quae illi clam habentes, civium suorum nonnullis negotium cum Euenio conficiendum mandarunt. Et hi ad id conficiendum hac usi sunt ratione. (2) Conveniunt Euenium in sella sedentem, eique adsidentes primum aliis de rebus verba faciunt, deinde ad commiserandam hominis calamitatem progressi, atque ita eum fallentes, interrogant quasnam poenas esset postulaturus, si voluissent Apolloniatae poenas sustinere eorum quae in illum admisissent. (3) Et ille, qui de oraculi responso nihil audiverat, optans ait: Si quis ipsi daret agros istos (ibi nominabat cives quosdam, quos noverat duo pulcerrima Apolloniae praedia possidere), et aedes insuper in urbe, quas noverat ille pulcerrimas esse; haec, inquit, si nactus fuisset, in posterum se non iraturum esse civibus, sed hac mulcta fore contentum. (4) Quae ubi illi dixit, adsidentes ei cives responderunt: «Euenie, hanc mulctam, ex oraculi responso, solvunt tibi Apolloniatae pro eo quod te luminibus privarunt.» (5) Et ille quidem, postquam rem totam cognovit, aegerrime tulit se ita esse circumventum: Apolloniatae vero ea, quae ille optaverat, empta a dominis, ei dederunt. Protinus autem ab hoc tempore insitam divinandi vim et sacra interpretandi idem Euenius habuit, ita ut hoc nomine celebris evaserit.

XCV. Hujus igitur Euenii filius Deiphonus, adductus a Corinthiis, sacrorum interpres fuit apud hunc exercitum. Audivi vero etiam, eumdem Deiphonum, usurpato Euenii nomine, passim per Graeciam operam suam locasse, quum non fuisset Euenii filius.

XCVI. Graeci, ut perlitarunt, naves ex Delo ad Samum moverunt; et postquam ad Calamos venerunt, terrae Samiae locum ita nominatum, ibi prope Junonis templum, quod eo loci est, adpulerunt et ad navalem pugnam se compararunt. At Persae, ubi illos adnavigare resciverunt, ipsi quoque naves moverunt; et caeteras quidem admoverunt continenti, Phoenicum vero naves ut abirent permiserunt. (2) Deliberantibus quippe visum erat, pugna navali non esse decernendum; nec enim se Graecis pares esse existimabant. Ad continentem autem navigarunt, quo essent sub pedestris exercitus sui tutamine, qui in Mycale erat, nempe jussu Xerxis de reliquo exercitu ibi custodiendae Ioniae caussa relictus. Sexaginta hominum millia erant, quibus Tigranes praeerat, vir et forma et statura inter Persas eminens. (3) Hujus igitur sub exercitus tutamen se recipere decreverunt duces classis, navesque in terram subducere, et vallo circumdare, quod simul munimentum navibus et sibi refugium esset.

XCVII. Hoc inito consilio moverunt Persae; quumque praeternavigato Potniarum (dominarum, dearum: nisi Potniensium) templo, quod in Mycale est, in Gaesonem et Scolopoentem venissent, ubi est Cereris Eleusiniae templum, quod Philistus statuit, Pasiclis filius, Neleum Codri filium ad Miletum condendam secutus: (2) ibi subduxerunt naves; et, caesis arboribus frugiferis, muro eas circumdederunt partim ligneo, partim lapideo, palosque praeacutos circa murum defixerunt.

Denique, in utramque partem re deliberata, et ad tolerandam obsidionem et ad superandum hostem sese comparabant.

XCVIII. Graeci, ut ad continentem abiisse barbaros cognoverunt, aegre ferebant quod sibi e manibus essent elapsi: nec vero satis certi erant quid facerent ipsi, utrum domum redirent, an in Hellespontum navigarent. (2) Ad extremum decreverunt neutrum horum facere, sed ad continentem dirigere naves. Itaque praeparatis scalis et aliis rebus quarum in navalia pugna usus est, versus Mycalen navigarunt. (3) Ubi vero prope castra fuerunt hostium, neque quisquam adparuit qui adversus illos egrederetur, naves autem viderunt intra murum subductas, et frequentem peditatum secundum littus in acie stantem; ibi tunc Leotychides, primum, praeter littus quam proxime potuit navigans, praeconis voce haec verba Ionibus adclamavit: (4) «Viri Iones, quotquot estis qui me auditis, accipite quae dico! omnino enim non intelligent Persae quae vobis mando. Quando ad manus venerimus cum hoste, tum quisque vestrûm ante omnia libertatis memento, deinde vero tesserae Hebae. Haec etiam qui vocem meam non exaudierit cognoscat vestrûm ex his qui audiverint.» (5) Cujus sermonis idem consilium fuit quod Themistoclis ad Artemisium. Scilicet, si barbaros laterent dicta, persuasurum se speravit Ionibus ut deficiant; sive illa ad barbaros fuissent delata, facturum ut hi Graecis (Ionibus) diffiderent.

XCIX. Deinde, postquam ita Ionas hortatus Leotychides est, haec fecerunt Graeci: adpulsis ad littus navibus exscenderunt, aciemque instruxerunt. Persae vero, quum Graecos cernerent ad pugnandum paratos, scirentque hortatos eos esse Ionas; nec Samiis nec Milesiis satis fidebant. Et Samiis quidem, quod eos suspicarentur cum Graecis sentire, arma adimunt. (2) Samii enim, quum in classe barbarorum[TR10] advenissent Athenienses captivi, quos in Attica relictos ceperat Xerxis exercitus, hos omnes pretio redemerant, et dato viatico Athenas remiserant: quo magis hos suspicio premebat, ut qui quingenta capita hostium Xerxis liberassent captivitate. (3) Milesios vero jusserunt exitus viarum custodire ad Mycalae cacumina ferentium, ut qui regionem optime nossent: id autem hoc consilio fecerunt, ut illi extra castra essent. (4) Ab his igitur Ionibus, quos suspicabantur si potestatem nanciscerentur, res novas molituros, hoc modo sibi Persae praecaverunt: ipso vero crates comportarunt, quae sibi pro vallo essent.

C. Jam Graeci, instructa acie, ibant in hostem, quum subito fama quaedam pervolavit universum exercitum, et caduceus conspectus est in littore depositus. Currebat autem fama hujusmodi, Graecos in Boeotia exercitum Mardonii praelio superasse. (2) Nempe multis utique documentis declarantur res quae divinitus contingunt; quandoquidem tunc quoque, quum idem congruit dies quo et ad Plataeas cladem Persae acceperunt et ad Mycalen accepturi erant, ad Graecos hic stantes fama pervenit; quo factum est, ut multo majorem fiduciam caperet exercitus, et ad subeundum periculum esset alacrior.

CI. Atque etiam hoc alterum contigit ut concurreret, quod utraque pugna prope Cereris Eleusiniae templum pugnata sit. Nam prope Cereris templum et in Plataeensi agro, ut supra dixi, pugnatum est, et nunc ad Mycalen pariter pugnaturi erant. (2) Victoriam autem jam tum reportasse Graecos cum Pausania, recte his fama nunciavit: nam Plataeensis pugna matutino adhuc tempore hujus diei pugnata erat, haec autem ad Mycalen sub vesperam. (3) Pugnatam

autem esse utramque pugnam eodem ejusdem mensis die, haud multo post, ratione inita, liquido cognoverunt. Anxii autem fuerant, priusquam haec fama advenit, non tam sui caussa, quam omnium Graecorum, metuentes ne Mardonio succumberet Graecia: (4) sed postquam illa exercitum pervolavit fama, eo confidentiores et celeriore gradu in hostem iverunt. Igitur et Graeci et barbari pugnandi studio flagrabant, quippe quibus et insulae et Hellespontus praemium victoriae propositum erat.

CII. Athenienses, et qui proxime illos locati erant, dimidium fere totius exercitus, viam habebant secundum littus et per plana loca; Lacedaemonii vero, et qui post hos locati, per voraginem et montana. (2) Dumque hi circumibant, illi in altero cornu pugnam jam commiserant. Quamdiu igitur Persis rectae stabant crates, repugnabant illi hostibus, neque eis erant inferiores. Sed quum Athenienses hisque proximi, quo ipsorum esset factum, non Lacedaemoniorum, invicem cohortati, acrius incumberent operi, tum quidem mutata est rei facies. (3) Perruptis enim cratibus ingenti impetu conferti in Persas irruebant: et illi exceperunt quidem impetum, et per sat longum tempus repugnarunt; ad extremum vero intra murum profugerunt. (4) Quos insecuti Athenienses cum Corinthiis et Sicyoniis et Troezeniis (hi enim ita deinceps in acie locati erant), simul cum illis intra murum irruerunt. Ut igitur etiam castellum hoc expugnatum est, omissa pugna barbari fugam corripuere, exceptis Persis; qui, etiam ad exiguum licet numerum redacti, constanter tamen Graecis, adsidue irruentibus sese opposuerunt. (5) Et ex ducibus quidem Persicis duo fuga evasere, duo vero perierunt. Artayntes et Ithamitres, classiariorum praefecti, fuga salutem petierunt; pugnantes vero ceciderunt Mardontes et imperator pedestris exercitus Tigranes.

CIII. Dum adhuc pugnabant Persae, advenerunt Lacedaemonii, quique cum his erant, et reliqua simul peregerunt. Ceciderunt autem ibi ex ipsis etiam Graecis haud pauci; quum alii, tum ex Sicyoniis multi, eorumque dux Perilaus. (2) Samii vero, qui in exercitu Medico militabant, quibus arma erant adempta, quum jam initio vidissent ancipitem esse pugnam, quidquid in eorum fuit potestate, fecerunt, quo Graecos juvarent. (3) Et reliqui Iones, videntes Samios initium facere defectionis, ipsi quoque a Persis deficientes, adorti sunt barbaros.

CIV. Jam Milesiis quidem mandatum erat, ut viarum exitus custodirent, salutis caussa Persarum; quo, si eis accidisset id quod etiam accidit, ducibus his uterentur, quorum ope in cacumina Mycalae salvi evaderent. Hoc quidem consilio Milesios Persae ibi locaverant ad illud efficiendum: simul vero, ne, si exercitui adessent, novi quidpiam molirentur. (2) At illi plane contrarium ejus, quod mandatum erat, fecerunt: fugientes quippe barbaros per contrarias duxerunt vias, quae ad hostes ferebant; et ad extremum eos ipsi, ut infensissimi hostes, interfecerunt. Ita quidem iterum Ionia a Persis defecit.

CV. In hac ad Mycalen pugna inter Graecos virtutis praemium obtinuerunt Athenienses; et ex Atheniensibus Hermolycus Euthyni filius, pancratiastes. Idem vero Hermolycus post haec, quum bellum gererent Athenienses cum Carystiis, Cyrni in agro Carystio cecidit in praelio, et prope Geraestum sepultus est. (2) Post Athenienses autem Corinthii et Troezenii et Sicyonii praecipuam virtutis laudem commeruerunt.

CVI. Graeci, plerisque barbarorum, partim in praelio, partim in fuga interfectis, naves cremarunt et totum munimentum, praeda prius egesta et in littore deposita: repererantque arcas nonnullas rebus pretiosis repletas. (2) Munitione et navibus incensis, retro navigarunt. Deinde, postquam Samum pervenere, deliberarunt de Ionia in aliam terram transferenda, et qua parte Graeciae, quae in potestate esset Graecorum, sedes Ionibus sint adsignandae. Ionia enim videbatur barbaris esse relinquenda, (3) quandoquidem fieri non posset ut ipsi perpetuo Ioniae praesiderent, eamque custodirent; Iones autem, nisi sub Graecorum praesidio essent, nequaquam sperare possent, salvos se fore nec poenas Persis daturos. (4) Qua proposita deliberatione, qui ex Peloponnesiis aderant dignitate eminentes, emporia Graecorum qui cum Medis sensissent, ejectis incolis, cum agro ad quodque emporium pertinente, Ionibus tradi debere censebant incolenda. Contra Athenienses nullo pacto Ionas aliam in terram transferendos censebant, nec decere Peloponnesios de ipsorum coloniis quidquam statuere. (5) Quibus obnitentibus, haud inviti Peloponnesii concesserunt. Itaque Samios, et Chios, et Lesbios, reliquosque insulares, qui arma et naves cum Graecis sociaverant, in commune sociorum receperunt, fide et jurejurando adstrictos de societate constanter et cum fide servanda. (6) His jurejurando adstrictis, ad Hellespontum navigarunt, pontes soluturi, quos adhuc stratos se reperturos esse existimaverant.

CVII. Qui ex barbaris fuga evaserunt, numero haud multi, in Mycalae cacumina compulsi erant, hi deinde Sardes salvi redierunt. (2) Qui dum eo revertuntur, in itinere Masistes, Darii filius, qui acceptae cladi interfuerat, ducem exercitus Artaynten multis insectatus est maledictis, quum alia dicens, tum et esse illum muliere ignaviorem, quod isto modo bellum administrasset; et quavis poena dignum esse, qui regis domum illa calamitate adfecisset. (3) Apud Persas autem muliere ignaviorem audire, maximum opprobrium est. Et ille his diu auditis indignatus, acinacen eduxit, interfecturus Masisten. (4) Sed irruentem in eum cernens Xenagoras, Praxilai filius, Halicarnassensis, a tergo stans ipsius Artayntae, corripuit medium, sublatumque prostravit humum: atque interim adcurrentes satellites Masisten protexerunt. (5) Quo facto Xenagoras et apud Masisten, et apud Xerxem, servato fratre, gratiam iniit: ob idemque factum dein a Xerxe universae Ciliciae praefectus est. (6) In reliquo itinere nihil amplius memorabile accidit: itaque Sardes hi venere. Morabatur autem tunc Sardibus Xerxes ab eo inde tempore quo post cladem mari acceptam, Athenis fugiens, hanc in urbem venerat.

CVIII. Sardibus igitur dum Xerxes moratur, amore tunc captus est uxoris Masistae, quae et ipsa ibi erat. Quum vero missis qui eam sollicitarent nihil profecisset, nec vim ei vellet inferre, ratione habita fratris sui Masistae; (quod ipsum etiam mulierem retinuit, bene gnaram sibi vim non iri illatum;) (2) tum ille, quum nulla ei alia via pateret, filio suo Dario hasce conciliat nuptias, nempe filiam hujus mulieris et Masistae illi dat uxorem; ratus, si hoc fecisset, facilius se matre potiturum. Hoc conciliato matrimonio, et peractis nuptiarum solennibus, Susa abiit. (3) Quo ut pervenit, uxoremque Darii suas in aedes recepit; tum vero, omissa uxore Masistae, mutatoque amore, uxorem Darii deperiit, Masistae filiam, eaque potitus est. Nomen huic mulieri Artaynta fuit.

CIX. Sed succedente tempore comperta res est hac ratione. Amestris, uxor Xerxis, amiculum texuerat ingens, variegatum, et spectatu dignum, quod dono dedit Xerxi. (2) Quo ille delectatus,

idem amiculum indutus convenit Artayntam. Jamque quum et hac delectatus esset, jussit eam, pro eo quod ipsi gratificaretur, petere quidquid illa sibi dari voluisset; omnia enim, quae petitura esset, consecuturam. (3) Tum illa (nam in fatis erat, ut ingens calamitas universae familiae incumberet) Xerxi respondit: «Dabisne mihi quod abs te petam?» Et ille, quidvis potius aliud petituram illam ratus, interposito jurejurando promisit. Tum illa, postquam juravit rex, nihil verita, amiculum istud petiit. (4) At Xerxes, in omnes se partes vertens, dare recusavit, nulla quidem alia de caussa, nisi quod Amestrin metuebat, veritus ne ab illa, jampridem id quod agebatur suspicante, in hac culpa deprehenderetur; sed urbes se illi dono daturum ait, et auri immensam vim, et exercitum cui nemo alius nisi ipsa praefutura esset. Est autem hoc Persicum utique donum, exercitus. (5) At mulieri non persuasit; ideoque amiculum ei dedit. Quo munere illa supra modum gavisa, gestabat amiculum, eoque superbiebat: et eam illud habere cognovit Amestris.

CX. Quo comperto, regina non tam in mulierculam illam odium concepit, quam in ejus matrem, Masistae uxorem; eique, ut quae auctor hujus rei, ut illa putabat, et unice in culpa esset, exitium meditata est. (2) Itaque diem observavit, quo maritus ipsius Xerxes regiam coenam erat propositurus: (paratur autem haec regia coena semel quotannis, natali regis die; et Persico sermone tycta dicitur, quod Graecorum lingua τέλειον, id est perfectum, significat; quo etiam die tantum rex sibi caput smegmate detergit, et munera dat Persis:) (3) hoc igitur observato die Amestris petiit a Xerxe, ut sibi traderetur uxor Masistae. Ille vero rem atrocem et indignam judicavit, uxorem fratris illi tradere, eamque nullam hujus rei culpam habentem: intellexerat enim cur hanc illa sibi tradendam postularet.

CXI. Verumtamen, quum illa postulare non cessaret, ipse autem lege teneretur, quae vetabat regem Persarum negare quidquid ab illo, quando regia coena proposita est, postulatur, postremo admodum quidem invitus indulget. Tradita vero muliere, hoc fecit: (2) uxorem jussit, quae vellet, facere: ipse vero fratrem ad se vocatum his verbis compellavit: «Masista, tu Darii filius es, meusque frater: ad haec vir bonus et fortis es. Jam tu hanc mulierem, quam adhuc in matrimonio habuisti, noli porro habere: sed tibi ego, pro illa, meam filiam despondeo. Cum hac matrimonium contrahe; illa vero, quam nunc habes, non sit porro tua conjux; sic enim mihi placet.» (3) Cui Masistes, miratus dicta, respondit: «Proh domine! quaenam est haec importuna oratio, quod me jubes uxorem meam, ex qua mihi tres juvenes filii nati sunt, et filiae, quarum tu unam tuo filio in matrimonium duxisti, denique quae animo meo convenit, hanc me dimittere jubes, et tuam filiam ducere uxorem! (4) Ego vero, rex, magni quidem facio quod me conjugio filiae tuae digneris: at horum tamen equidem neutrum faciam: tu vero noli mihi vim adferre, talem rem postulans. Tuae certe filiae reperietur alius maritus me non inferior: me vero sine meam habere uxorem!»[TR11] (5) Quo responso iratus Xerxes, «Igitur hoc, inquit, profecisti: nempe nec ego tibi filiam meam dabo in matrimonium, nec tu istam porro habebis uxorem; quo discas oblata accipere.» (6) Et ille, nihil amplius nisi hoc verbum subjiciens, «Domine, nondum tamen prorsus me perdidisti,» foras exiit.

CXII. Per idem tempus quo Xerxes cum fratre disseruit, interim Amestris, accitis regis satellitibus, uxorem Masistae misere dilacerat: praecisas mamillas canibus projicit, et nares et aures et labia, denique linguam ubi exciderat, domum dimittit ita indigne dilaniatam.

CXIII. Masistes, quum nihil etiam tunc horum audivisset, metuens tamen aliquam sibi calamitatem imminere, cursu domum suam properavit. Ubi conspecta uxore ita mutilata, consilio cum filiis inito, protinus cum filiis aliisque nonnullis Bactra proficiscitur, Bactrianam provinciam ad defectionem sollicitaturus, et quanta maxima posset mala illaturus regi. (2) Atque hoc ipsum etiam perfecisset, ut mihi videtur, si usque ad Bactros et Sacas pervenisset: hi enim illum diligebant, et erat ipse Bactrianae praefectus. (3) At Xerxes, ubi eum hoc agere cognovit, misso contra eum exercitu, et ipsum et ejus filios et milites qui cum illo erant, in itinere interfecit. Et haec quidem de amore Xerxis et de Masistae obitu hactenus.

CXIV. Graeci a Mycale versus Hellespontum profecti, primum ad Lectum naves adpulere, ventis retenti: deinde vero, ubi Abydum pervenere, pontes viderunt rescissos, quos adhuc stratos esse putaverant; qua de caussa etiam maxime ad Hellespontum navigaverant. (2) Quare Leotychidae caeterisque Peloponnesiis placuit retro navigare in Graeciam: Atheniensibus vero, eorumque duci Xanthippo, visum est his in locis manere, et Chersonesum tentare. Itaque Lacedaemonii domum navigarunt, Athenienses vero, postquam ex Abydo in Chersonesum trajecerant, Sestum oppugnarunt.

CXV. Est autem haec Sestus munitissimus illius regionis locus: itaque, adlato nuncio de Graecorum in Hellespontum adventu, in illam se receperant et ex aliis finitimis oppidis frequentes, et ex Cardia oeobazus Persa, qui ibi armamenta pontium deposuerat. Tenebant urbem indigenae aeolenses: cum his vero et Persae erant, et aliorum sociorum haud exiguus numerus.

CXVI. Tyrannus universae provinciae Artayctes erat, Persa, saevus vir et nefarius: qui etiam, decepto rege quum contra Athenas proficisceretur, Protesilai thesauros, Iphicli filii, Elaeunte spoliaverat. (2) Est enim Elaeunte, Chersonesi oppido, Protesilai sepulcrum, eique circumdatum fanum, in quo erant pecuniae multae, et aureae argenteaeque phialae, et aes, et vestis, et alia donaria; quae Artayctes rapuit, dono sibi data a rege. (3) Deceperat autem Xerxem tali oratione: «Domine, inquit, est hic loci domus viri Graeci, qui, quum adversus terram tuam arma ferret, poenas dedit, occisusque est. Hujus tu domum mihi dono da; quo discat quisque, contra tuam terram non esse arma ferenda.» (4) Quibus dictis facile persuasurus erat regi, ut ei domum hujus viri largiretur; quippe qui nihil eorum, quae ille sentiret, suspicatus erat. Quod autem ille Protesilaum adversus regis terram arma tulisse dixit, id hoc modo intellexerat: Persae universam Asiam existimant suam esse et illius regis qui quoque tempore apud illos regnum obtinet. (5) Artayctes igitur dono sibi datas opes Elaeunte Sestum transportavit, et in agro heroi consecrato partim sementem fecit, partim pecora sua pavit: et quoties ipse Elaeuntem venit, in penetrali cum mulieribus concubuit. (6) Tunc vero obsidebatur ab Atheniensibus, quum nec ad tolerandam obsidionem paratus esset, nec omnino exspectasset Athenienses, qui prorsus de improviso illum invaserant.

CXVII. Postquam vero obsidioni autumnus supervenit, tum dolentes Athenienses, quod et domo abessent, et urbem non possent expugnare, orarunt duces, ut domum se reducerent. (2) At hi

negarunt id se prius facturos, quam aut expugnassent urbem, aut a communi Atheniensium revocarentur. Ita illi quoque praesentem rerum statum patienter tulerunt.

CXVIII. Jam vero, qui in urbe erant, ad extrema redacti erant malorum; ita quidem ut lora etiam lectulorum elixarent comederentque. Quum autem ne haec quidem amplius suppeterent, noctu profugerunt Persae cum Artaycte et oeobazo, in postica urbis parte de muro descendentes, qua parte valde rari erant hostes. (2) Quod factum, ubi illuxit, Chersonesitae Atheniensibus e turribus significarunt, portasque eis aperuerunt. Moxque major horum pars persecuti sunt profugos, caeteri vero urbem occuparunt.

CXIX. Et oeobazum quidem, quum in Thraciam fugisset, captum Thraces Absinthii Plistoro indigenae deo mactarunt suo more; caeteros autem, qui cum eo erant, alio modo interfecerunt. (2) Artayctes vero cum suis, qui post illos demum fugam capessiverant, deprehensi quum paullo ultra aegos Potamos essent progressi, satis diu restiterunt; donec, aliis interfectis, caeteri vivi capti sunt: (3) quos vinctos Sestum Athenienses duxerunt, in hisque ipsum etiam Artaycten et ejus filium.

CXX. Memorantque Chersonesitae, uni ex eis, qui vinctos custodiebant, quum salsamenta super igne torreret, prodigium obtigisse hujusmodi: salsamenta igni imposita subsiliebant palpitabantque, veluti recens capti pisces. (2) Quod factum quum mirarentur reliqui adcurrentes, Artayctes, ut vidit prodigium, compellans hominem salsamenta torrentem, ait: «Hospes Atheniensis, non est quod tu hoc prodigio terrearis. Non enim tibi illud adparuit; sed mihi Portesilaus, qui Elaeunte est, significat, se etiam mortuum et sale conditum, vim habere a diis tributam nocendi his qui injuria illum adfecerunt. (3) Nunc igitur ego hanc mihi ipse mulctam, qua redimam culpam, volo irrogare: pro thesauris quos ex illius templo abstuli, centum talenta deo solvam; pro me autem et pro filio meo ducenta talenta pendam Atheniensibus, si salvos nos dimittere voluerint.» (4) Haec ille pollicitus, praetori Xanthippo non persuasit. Nam Elaeuntii, ulciscendi Protesilai caussa, ut supplicio ille adficeretur, rogarunt; et ipsius etiam praetoris in hanc partem inclinaverat sententia. (5) Itaque illum in littus eductum, in quod pertinuerant pontes a Xerxe juncti, sive, ut alii memorant, in collem supra Madytum oppidum situm, clavis asseri adfixum suspenderunt; et filium ejus in patris Artayctae conspectu lapidibus obruerunt.


CXXI. His rebus gestis, retro in Graeciam navigarunt, pecunias aliaque pretiosa secum vehentes, atque etiam pontium armamenta, quae in templis dedicare constituerunt. Atque hoc anno nihil praeterea memorabile gestum est.

CXXII. Hujus Artayctae e trabe suspensi progenitor Artembares fuit, is qui Persis auctor fuerat sermonis, quem illi arripientes Cyro proposuerunt, in hanc sententiam: (2) «Quoniam Juppiter, sublato Astyage, Persis imperium tradidit, et prae omnibus hominibus tibi, Cyre; age, quum terram possideamus exiguam, eamque asperam, hac relicta aliam habitemus meliorem! (3) Sunt autem multae tales in propinquo, multae etiam longinquiores: quarum si unam occupaverimus, pluribus hominibus admirationi erimus. Decet autem hoc facere viros principatum tenentes: et

quando tandem id fieri commodius poterit quam nunc, ubi tot hominibus et universae Asiae imperamus?» (4) Quibus auditis Cyrus, minime probans propositum, Faciant hoc! ait; simul vero ita se comparent, ut qui imperium porro non habituri sint, sed passuri! Ita enim naturam ferre, ut mollibus in terris molles nascantur homines: nec enim ejusdem terrae esse, et eximios fructus ferre, et fortes bello viros. (5) Et intelligentes Persae, longe sapientiorem Cyri sententiam quam suam, desistentes proposito abierunt; et imperare maluerunt, tenuem incolentes terram, quam campestrem fertilemque colentes aliis servire.

FINIS

Produced by Carolus Raeticus. Updated editions will replace the previous one--the old editions will be renamed. Transcriber's Preface. For this transcription, the following edition was used:"Herodoti Historiarum Libri IX" (Parisiis, Editore Ambrosio Firmin Didot, 1858). When a passage seemed doubtful, the following Greek/Latin edition was used to clear up any remaining doubts: Johannes Schweighaeuser, "Herodoti Musae sive Historiarum Libri IX" (6 volumes, Argentorati et Parisiis, 1816)



HERODOTI HISTORIARUM LIBRI IX. PROF. DR. DARCY CARVALHO. FEA USP. SÃO PAULO. BRAZIL. STUDIES IN MEDIEVAL AND MODERN LATIN. ANNO EPIDEMICO 2020.

Herodoti Historiarum Libri IX, produced by Carolus Raeticus